
1907
LIBRARY OF
HENRY FRANCIS PELHAM
CAMDEN PROFESSOR OF
ANCIENT HISTORY

DISPUTATIO

DE

GENTE FABIA.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

DISSERTATIO LITTERARIA INAUGURALIS

CONTINENS

DISPUTATIONEM

DE

GENTE FABIA,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

IOANNIS HENRICI SCHOLTEN,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. ET THEOL. DOCT., IN FACULT. THEOL. PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM
HUMANIORUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

GUILIELMUS NICOLAUS DU RIEU,

Lugduno-Batavus.

DIE XXX M. SEPTEMBRIS MDCCCLVI, HORA II—III.

IN AUDITORIO MAIORI.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD FRATRES VAN DER HOEK.

MDCCCLVI.

„*Nec liber ut fieret, sed uti sua cuique darentur*
„........ *propositum curaque nostra fuit.*"

Ovid. *Ex Ponto* III. 9. 51.

PRAEFATIO.

Quatuor sunt abhinc anni, quum ad Certamen Litterarium Rector et Senatus Academiae Rheno-Traiectinae in annum 1853 *invitarunt cives Academicos, propositis tum aliis tum hac quaestione:*

»Exhibeatur disputatio de Gente Fabia eiusque vi et auctoritate in civitate Romana, per tempora liberae reipublicae. Qua disputatione tam ipsius gentis antiquitas, ratio, instituta exponantur, quam principum ex ea virorum, qui vel in republica vel artium et litterarum studiis inclaruerunt, acta commemorentur, cum notatione monumentorum tam privatorum quam publicorum, quibus res illae testatae et proditae fuerint."

Quae quaestio statim mihi arrisit, quippe quae talis esset, id, quod non semper hac in re locum habere videtur, quod etiamsi vel ad optatam metam non pervenissem, tamen egregium fructum inde percipere possem, tum quod eius argumentum in eo campo laborando versaretur, in quo non plane hospitem me esse sentirem, ita ut spes me teneret fore ut humeri satis valerent; denique audax suscepi negotium, ut in certamen descenderem, in quo labore per sex menses quum intentus fuissem, quae collegeram et chartae mandaveram, mihi non ita displicebant, ut illa subtraherem doctissimorum iudicio; non latebat me multa quidem iis inesse, quae retractata alio modo enuntiarem aut accuratius indagata aliter componerem, verum obstabat certaminis ratio, quominus meliora circumspicerem, et impediebar quae conscripseram aliquantisper premere, recens parta statim exprimere coactus.

Successu non caruit quod susceperam negotium, et quod exspectare vix ausus eram, honorificentissimam de meo tirocinio tulit sententiam nobilissimus Ordo Litterarum Humaniorum et Philosophiae Theoreticae in Academia Rheno-Traiectina, quippe cui visus eram plura et meliora dedisse quam postulaverat, ita ut aureo praemio competitori praerepto ornata fuerit Disputatio mea.

Studiis Academicis tandem finem impositurο non diu mihi circumspiciendum erat argumentum Dissertationis litterariae inauguralis; et iam id, quod huic scribendi generi saepius audivi obiicientes, longe meliora fore Specimina inauguralia, quae quum ederent auctores biennio post, curis secundis haud frustra adhibitis, hoc inquam contra me non posse torqueri sciebam, si ad libellum ab alienis iudicibus probatum quartum in annum repositum nunc redirem.

Non opus est dicere, licet liberiorem argumenti dispositionem mihi eligerem et maiore doctrinae maturitate ac meliore virium exercitatione instructus essem, propter illud ipsum in multas me incidisse difficultates. Multa, quae antea imprudenti exciderant, statim reperta facile in melius verti aut in brevius contraxi; in aliis contra alia erat ratio, nam tum demum persensi, quantum istud tirocinium distet a probabili disputatione, qualis his temporibus postulatur, meumque iuvenilem laborem specimen tantum fuisse eius, quem omnibus numeris diceres absolutum. Non enim sufficere contendo nudam scriptiunculam, quae in singulis Fabiis enumerandis subsistat, aut in aliorum erroribus refutandis tantum versetur, verum eam, in qua omnibus locis pariter perpensis et ad examen vocatis sine ira et studio colligatur, quid re vera olim acciderit ducibus Fabiis aut iis praesentibus, quid omnino non ab iis perpetratum fuerit, et qua in re aberraverint tum illi ipsi in rebus agendis, tum historici in rebus enarrandis. Iam classicorum testimonia antiquitatisque monumenta studiosius adhuc mihi erant colligenda et accuratius explicanda, nec minus recentiorum opera ac sententiae, quae meum spectent argumentum, diligentius per-

legenda et, ubi opus esset, melius refellenda; quibus omnibus ut satisfiat ea doctrinae praestantia requiritur, quam me nondum assecutum esse non diffiteor, et saepiuscule iustus metus animum meum subiit, ut par essem tali oneri sustinendo et quaestioni ita pertractandae, ut publici iuris facerem Disputationem; nec tamen consilium mutavi, sed omnibus viribus quam maxime potuerim intentis aliquantisper ad propositum finem pervenisse mihi videor.

Sed iam evadit longior praefatio, quod in tanta rerum copia dedecet, ubi tu primus mihi eras compellandus clarissime COBET, *Promotor aestumatissime, cui debeo, si quid in republica litterarum unquam potero. Meum non est praedicare laudes tuas in iis disciplinis, in quibus regnas, sed methodum tuam numquam non praedicabo; huius enim excellentia prae paucis elucebat in lectionibus tuis de historia antiqua, quas summa animi delectatione semper audivi; nam accurata tua rerum notitia et ardenti tuo litterarum studio tunc nos docuisti unde et quo modo historia Romana nata sit, quid et quibus credere debeamus; tunc acuisti nostrum quoque iudicium, quam divinam animi dotem in omnibus rebus adhibendam esse iure contendis. Igitur te duce effloruit amor meus historiae excolendae vixdum natus, et tibi refero quod in illud certamen non frustra descenderim sed praeter magnam utilitatem insigne quoque commodum ex hoc labore perceperim. Iam accipe gratias, quas tibi facere quam agere malo, tum pro consiliis tuis, quibus mihi numquam defuisti et pro amicitia, qua me semper excepisti, tum quod promotoris munus lubentissime susceperis, quod si vulgari gravius fuerit, ignoscas velim Fabiisque illud tribuas.*

Dulce officium mihi incumbit, clarissime BAKE, *grato animo praedicare egregiam tuam institutionem; magna enim voluptate tuis lectionibus interfui, quum nos docebas quid Tullianum esset quid non, quod difficillimum negotium doctrinae tuae copia et ingenii tui acumine tam accurate conficere soles. Perge, quaeso, quo animo olim curabas primos meos in litteris profectus, et quo maturiorem discipulum instituebas, eodem mihi favere stadio Academico tandem decurso.*

Gratissimum mihi fuit, clarissime DE VRIES, *quod eundem te, quo doctissimo praeceptore iuvenis usus eram, ad altiora provectus strenuum audiverim professorem, et quod in familiaritatem tuam me receperis, etiamsi ad alia animus me trahat, nec te studiorum ducem sequar.*

Nec vero vos alto silentio hic premere possum, quos Professores Clarissimos in hac alma Musarum sede dilectissima per octo illos annos me audivisse glorior; cognovi tuam insignem benevolentiam, humanissime STUFFKEN; *stupui egregiam tuae doctrinae copiam, eruditissime* DOZY; *laudo excellentes tuas animi dotes, illustrissime* VAN ASSEN; *suspicio rerum copiam, quas memoria tenes, doctissime* DE WAL; *experimenta tua, nobilissime* RYKE, *ad physicam me alliciebant; admiratus sum indefessum tuum laborem, celeberrime* KAISER; *denique mihi exemplo erit, prudentissime* VERDAM, *diligentissima tua industria; accipite omnes hanc qualemcunque grati animi testificationem.*

Te quoque, clarissime GEEL, *cognovi doctum et benignum Academicae Bibliothecae praefectum, quem thesaurum, cui diceris ornamentum et es, optimo quoque libro a te auctum expertus, spero fore ut quoad licebit augeas.*

Vos denique coniunctissimi Amici, quos vereor Commilitones compellare, quippe qui ultimus fere vestrum nunc tandem Academiae nostrae valedicam, a vobis olim studiorum sociis salutatus. Sed tum aliorum tum Fabiorum causa longius extrahere lubuit vitae illud dulcissimum spatium, cuius memoria mihi semper erit iucundissima propter vestram familiaritatem, qui mecum Studiis et Amicitiae operam deditis. Nunc vero mihi videor satis »cunctatus" esse, et fine labori imposito hunc vobis mitto libellum in amicitiae nostrae memoriam.

Scripsi mense Quictili a. 1856.

INTRODUCTIO.

Diu multumque quaerere de laude Gentis quam describere aggredior, non lubet; neque magnum emolumentum inde evasurum contendo, si enumerantur quot et quanti viri principes in republica Romana ex hac stirpe prognati sint, quot bellatores, quot consules et tribuni, quot dictatores et magistri equitum inter Fabios occurrant; omnia ista persequi et ostendere quantum haecce gens prae ceteris excelluerit et longius duraverit, nunc non faciam; non quod huic rei nullam laudem inesse credam, et Romanis ista relinquam gloriandi argumenta, verum quod vereor ne mihi obiiciatur »laudat venales qui vult extrudere merces," ut est apud poëtam; respondeat ipsa disputatio pro istis omnibus, et ostendat quo nomine singuli Fabii excelluerint et quo nomine carpendi sint, quantas victorias necnon quantas clades perpessa sit respublica ducibus Fabiis.

Aliud iam hic moneam necesse est, ne quis forte credat descriptas esse hoc libro vitas et res gestas omnium Romanorum, qui nomine Fabii gaudebant et quorum memoria ad nos pervenit. De Gente Fabia tantum disputabo, id est de iis patriciis, qui ab saeculo Urbis conditae tertio medio usque ad Augusti principatum inclaruerunt. Hinc sequitur, ut excludam eos, qui sub bellis civilibus ex infimo ordine nati gloria militari aliisque modis ad altiora reipublicae munera paulatim pervenerunt aut ipsi aut

horum posteri; tum omnes istos alto silentio premam, quorum nonnisi nomina in sexcentis Latinis Inscriptionibus leguntur, apud Grüterum, Muratorium, Mommsenium, ceteros, quas si evolveris, tantam farraginem esse apparebit, ut vel operam perdideris, si istorum familias disponere susceperis. Denique in aetate imperatoria subsistam, quoniam hic iam deficit Fabiorum certa genealogia; non quod gens intermortua sit, nam per omnia saecula perdurasse creditur, imo ad nostra tempora, si quidem Italici quidam vel nunc gloriantur ex Fabiis Maximis recta linea, ut istis videtur scilicet, se seros nepotes descendisse. Verum de his idem valeat, quod de priscis Fabiis videbimus, qui ex Hercule, dum in terris degebat, gentis auctorem natum perhibebant. Omnes istos, qui non aetate historica vixerunt, missos faciam, et ea tantum, quae ad gentis nostrae antiquitatem et instituta pertinent, auctorem gentis volo et alia huius generis, breviter in Introductione percurram, ceteros, qui ad Fabiam gentem tempore liberae reipublicae pertinuerunt, ex ordine descripturus in eum modum, ut singulis Fabiis Caput, eorumque honoribus Paragraphum tribuens, eos qui eiusdem familiae fuerunt, in singulares Libros reiiciam.

Non poenitebit, priusquam ad ipsam disputationem transeam, breviter eorum opera recensere, qui ante me in Fabiis describendis et enarrandis versati sunt. Sic enim in posterum missam eorum mentionem faciam, ubi iis non assentiar, aut ubi recte aliquid ante me observaverit unus vel alter, quae omnia olim sedulo notata in immensum creverant, et hic adscripta lectori nauseam moverent sine dubio; hinc satius duxi novissimos tantum scriptores nominare, quando opus erat, hi enim prorsus obscurarunt antiquiora opera de gentibus Romanis.

Agmen ducat Richardus Streinius, baro Schwarzenavius, qui intra *Gentium et Familiarum Romanarum Stemmata* Fabiorum quoque tabulam genealogicam edidit (1559),

quae haudquaquam abiicienda videtur, etiamsi hic illic insunt errores, quos ei ignoscimus, qui tunc intra duos annos linguam Latinam Graecamque didicerat.

Accurate huic respondet stemma, quod edidit (1589) E. Reusner Leorinus Silesius in Γενεαλογικῷ *Romano de Familiis praecipuis* cet., ita ut exscriptum credam e praecedente, differt tantum in iis, quae singulis Fabiis subiunxit.

Eodem anno Iohannes Glandorpius publici iuris fecit *Onomasticum historiae Romanae, additis Stemmatis praecipuarum Familiarum;* qui fons est locupletissimus, nec quidquam eius laudibus detrahere velim, nam probabiliter admodum Fabios descripsit, sed prae nostris subsidiis contemni potest, qui negligentius nonnumquam versatus est in historia Romana; iam nunc alii libri longe meliores duces nobis sint.

A. Augustinus et Fulvius Ursinus *de Romanorum Gentibus et Familiis* qui scripserunt (1592), catalogum Fabiorum ut ita dicam composuerunt, in quo ex gente nostra principes melius quam ceteri descripti sunt, sed sine classicorum testimoniis.

Sequitur ut dicam de Stephano Vinando Pighio, cuius *Annales Romanorum* (1615) largus etiamsi turbulentus fons disputationi nostrae; in quo opere non sine insigni industria et indefesso labore composito quae leguntur ex analogia suppleta, nolui tractare aut ad disputationem trahere; honores volo quos Pighius absque classicorum testimoniis ex mera coniectura singulis Romanis tribuit, atqui Fabiis quoque. Non enim adeo constare illam analogiam persuasum mihi est, contra quam hoc gravissimum habeo argumentum, quod leges annales antiquitus aut nullae fuerint aut negligenter observarentur, neque interruptam honorum seriem omnibus fuisse contendo, consules denique ad unum omnes praetorios et aedilitios nobis sumere licet, sed praetura plures sibi postulabat candidatos quam

aedilitas suppeditaret; hinc singulis annis quantae supersint tenebrae non est quod dicam, sine ullo disputationis meae detrimento quaestores illos Pighianos, de quibus classici nil memoriae tradiderunt, auctori suo relinquamus.

G. A. Ruperti compendio historiae Romanae subiunxit *Tabulas genealogicas sive Stemmata nobilissimarum Gentium Romanarum* (1794), qui quod ad nostram attinet, Streinii stemma descripsit, unde errores commisit, quos vitare potuisset, si adire voluisset monumenta tum demum, aut longe melius quam Streinii temporibus cognita.

Meliorum Fabiorum catalogum invenimus in *Onomastici Tulliani* vol. VII parte II, quem I. C. Orelli et I. G. Baiter ediderunt (1838), qui Maximos tantum et paucos ex reliquis familiis descripserunt.

Locupletiorem dedit I. C. F. Bähr (*Algem. Encyclop. der Wissensch. u. Kunst.* von *Ersch und Gruber*, 1844. vol. XL, in lemmate *Fabia Gens.*), satis copiosum singulis Fabiis addita enarratione, nec tamen labor ille absolutus est, clariores tantum tractavit, genealogia bene administrata.

Idem ille eodem tempore descripsit Fabios eos, qui laude litteraria inclaruerant, in *A. Pauly Real-Encyclopaedie der Class. Altertumsw.* vol. III p. 401—403.

Hos omnes longe superat Ad. Haakh, qui in eiusdem operis vol. III p. 366—401 et VI p. 2899—2926 (1852) omnes Fabios accuratissime et copiosissime descripsit, perscrutatis omnibus classicorum necnon praecipuis recentiorum scriptorum locis, qui huc spectant; principum gentis historiam diligenter persecutus haud pauca nova tum de his tum de reliquis omnibus protulit, genealogiam bene administravit contra numismaticam; denique ita de eius opere iudicare non dubito, ut huius gentis historia non amplius desiderari videatur. Sed nondum mihi innotuerat ille liber, quum anno 1852 meo Marte de gente Fabia disputationem conscribebam, sedulo ex classicis collectis quae-

cunque ad eorum historiam pertinent. Quum vero postea cognovi uberius a me esse disputatum necnon in multis locis me ab eo dissentire, nunc secundis curis adhibitis non dubitavi publici iuris facere quae conscripta erant.

Ex hoc uberrimo fonte, quem rivulum duxit F. K. Kraft in *Real-Schullexicon* I p. 684 sqq., verbo dixisse sufficiat; is negligentissime in ceteris, quorum historiam Haakh in vol. VI tractavit, versatus est, et vel pro istius libri indole perpauci est, quod hoc lemmate legitur.

Nuper denique F. T. Richter Stemma Fabianum haud ita spernendum edidit in *Geschlechts-Tafeln z. erläut. d. Alg. Gesch.* (1853), addita singulorum brevi notatione; quod opus etiamsi mendis non vacat chronologicis et genealogicis, nec omni nomine absolutum est, longe praestat antiquioribus.

§ 1. *Auctor Gentis Fabiae.*

Mythica fama[1] auctorem Fabiis tribuit Herculem, qui principem gentis progenuisse fertur ex una nympharum, quacum in ripa Tiberis concubuit, ubi pluribus Romanis gentibus exstiterat auctor.

Secundum alteram famam primus Fabiorum natus esset ex muliere indigena, quam alii Vindumam Euandri filiam fuisse dixerunt, alii Λαῦνκν id est Laviniam, quae

»regia virgo
»hospite victa sacro, Fabium de crimine laeto
»procreat."[2]

Non equidem crediderim ipsos Fabios huic mythicae origini multum tribuisse; refertur quidem huc, quod Fabius Cunctator signum Herculis Tarento expugnato Romam duxerit et iuxta suam statuam posuerit; sed omnino nihil probat agnomen *Heraclae* in inscriptionibus[3] duabus obvium, quippe quae non Fabiorum gentilibus

[1]) [Fest.] Paul. v. *Fabii* p. 87. [2]) Sil. Ital. VI. 633. [3]) Grüt. *C. I.* p. CXXVIII, N. 5, p. DXXXVIII, N. 7.

tribuendae sunt, ut alii credunt, est T. Claudii Messalinae et C. Cornelii Longini, ambo ad *tribum* Fabiam qui pertinere videntur, non ad gentem nostram; si iam hoc argumentum aliquid probaret, plures Fabii ornati fuissent illo nomine. Romani autem in tali re sibi admodum placent, et mythicam originem, qua nil falsius, in nummis praesertim decantant, quibus in perpetuum fabulosos proavos firmant, cuius rei exempla in vulgus nota sunt. Semel tantum Herculis caput in nostrae gentis nummo cernitur, quod ad signum sive typum pertinet, non ad gentis auctorem. Non omnes igitur adeo vani fuerunt in mythica origine celebranda, contra poetae [1] toti sunt in ea re, quam annuunt Herculeam gentem, Tirynthiam prolem laudibus persecuti. Fabula illa nata esse videtur ex sacris gentiliciis, de quibus mox dicam.

Videamus de altero auctore, quem grammatici et etymologi invenerunt, qui ex fallaci sono omnia ex omnibus facientes, non intentatum reliquerunt hoc nomen. Perhibent isti [2] primos huius gentis dictos esse Φοδίους, quippe qui primi τῇ δι' ὀρυγμάτων χρησάμενοι ἄγρᾳ, αἱ διωρυγαὶ γὰρ φόσσαι καὶ φόδερε τὸ σκάψαι καλεῖται, χρόνῳ δὲ τῶν δυοῖν φθόγγων μεταπεσόντων, Φάβιοι προσηγορεύθησαν. Festus simile quid scripserat, nam Paulus [3] tradidit »Fovii qui nunc Favii dicuntur, dicti quod principem gentis primum ostendisse putant, quemadmodum ursi et lupi foveis tenerentur." Iam ex fossis in foveas delabimur, nam idem ille mythicam famam cum ista etymologia iungens docuit principem huius gentis natum esse ex ea, cum qua Hercules in *fovea* concubuit.

Fabios olim revera dictos esse Fovios credidit Schwenck [4], qui huc traxit Lupercalia necnon Euandrum, cuius no-

---

[1]) Ovid. *Fast.* II. 237, *ex Pont.* III. 3,100; Iuven. VIII. 44; Sil. Ital. II. 3, VI. 627—636, VIII. 35, VII. 218. [2]) Plut. *Fab.* 1.
[3]) [Fest.] Paul. v. *Fabii* p. 87, ubi codices habent *Favii*, ut et p. 334.
[4]) *Die Fabier und Romulus* in *Rhein. Mus.* VI. 481.

men Latine versum »deus bonus" i. e. Favinus sive Faunus, ergo *Faunus* idem ac *Fovius*, qui *Vosius* audit in tabulis Eugubinis; hanc ridiculam ratiocinationem affero, ut ostendam quam pulchre istarum tabularum impostor imposuerit viro doctissimo, cuius absona analogia ne nobis imponat, omnino cavendum videtur. Quam etymologiam quum sana ratio refellat, non possum Dedericho [1] assentiri, qui isti fidem habere videtur propter Fabios Lupercos, quod antiquissimi illi in lupis arcendis et capiendis excelluerint. Quis quaeso contortam de fodientibus Fabiis opinionem praeferat, ubi vera et simplicissima altera ad manum est.

Plinianam nempe nostri nominis explicationem arripere non dubito; scripsit ille [2] cognomina Fabiorum, Lentulorum, Ciceronum, ut quisque aliquod optime genus sereret, nata esse. Miscuit quidem Plinius cognomina cum nomine, cuius ratio ab istorum diversa, sed nil obstare contendo, analoga enim habemus exempla, non familias tantum sua cognomina sed gentes quoque sua nomina traxisse ex agricultura et re rustica, Porcios enim a porco dictos esse, Asinios ab asino, Hortensios ab horto quis neget? Quae quum ita sint, non opus est ut arripiamus cum aliis Pighianam coniecturam, in loco Pliniano legendo *Fabatorum* pro *Fabiorum*.

Cui fabae culturae quantumvis gens nostra tribuerit, nolite credere huius nominis originis, quae apud seros posteros in oblivionem abierat, indicia a nepotibus in nummis esse signata. Retulit nempe huc Dederich denarium [3], de quo suo loco dicam, in quo cerni potest cornu copiae cum fulmine per transversum, quae circumdat corona ex laurea et spicis glandibusque contexta, in aversa parte deae nescio cuius caput itidem corona ornatum. Iam sibi videtur vir acutissimus cernere inter fructus,

---

[1]) *De Gentis Fabiae origine* in *Mnemosyne* II. 144. [2]) *H. N.* XVIII. 3.
[3]) Morelli, *Num. Fam. Rom.*, Fabia N. 3.

quibus cornu plenum est, fabarum quoque siliquas, quas etiamsi in fructuum copia vix desiderari posse haud negaverim, tamen in iis denariis, quos meis ipse oculis lustraverim, omnino a ceteris floribus fructibusve vix dignosci posse perhibeo, tum in corona spicas et glandes necnon laurea cernimus, num fabarum quoque folia et folliculos non ego contenderim; denique fabarum culturam, qua olim princeps gentis inclaruerat, non annuit nummus.

Quando vixerit fabarum iste sator, ignoramus, sed eo antiquissimo tempore, opinor, quum Romani ad unum omnes pastores erant et aratores. Fabae culturam pervetustam fuisse apud Romanos indicat ritus ille, ex quo in antiquissimis sacris usus fabae et farris fabalis praescriptus erat, quod diu perduravit; quam rem ego sic intelligo, ut quum sacra illa instituerentur, fabae praecipue colebantur, quarum decimae sive primitiae dis sacrificabantur. De antiqua fabae cultura quae conscripsit Th. G. M. Pfund [1] huc trahi possunt, sed omnino non assentior illi in ridiculis etymologiis de Modio Fabidio, qui Osce Mettius Fuffetius audiret scilicet; nec vero huius loci est ista persequi et refellere, et ut vere dicam, non operae pretium videtur.

§ 2. *Patria Gentis Fabiae.*

Plinius [2] nobis auctor est in monte Albano populos Fabienses habitasse, hinc proxime Albam Longam sita fuisse creditur urbs Fabia, quam an nostrae gentis proavi tenuerint, dicere non habemus, imo disputarunt viri docti essentne ex Latinis an ex Sabinis oriundi. Sic Dederich [3] propter pravam Pliniani loci interpunctionem, de qua vide Bornemann [4], urbem illam in agro Latino sitam credebat, atqui nullo dubio obnoxiam originem Latinam, recte

---

[1]) *De antiquiss. ap. Ital. Fabae cultura ac religione.* [2]) *H. N.* III. 5.
[3]) p. 152. [4]) *Altlatinische Chorographie und Städtegesch.* p. 79.

contendens pagum Fabianum in Pelignis[1] huc non respicere. Nec vero ei assentior, ubi scribit Romulum Fabium suum Celerum tribunum ex Fabiis Romam duxisse ex illa urbe, ubi Lupercalia iam quotannis Fabii celebrassent; quibus in rebus an verum viderit ille, non facile quis conficiat. Quidquid est, Fabienses istos nomen ex gente nostra traxisse crediderim.

Priscos Latinos eos fuisse alii credunt propter fabulosam Euandri originem; at ignoramus omnino utrum ille Arcas an Latinus fuerit, imo utrum Fabio pater an avus exstiterit; neque Lupercalia rem dirimunt, nam nonnisi fabulosus videtur Romuli ille aequalis. Haakhius Latinam nostram gentem opinatur, quoniam memoratur antequam Sabini accesserant; non credo, nam vel in antiquissimis fabulis de Romulo et Remo, quas sibi vult ille, plura insunt ex eo tempore, quum Sabina stirps cum Romana iam coaluit, quae omnia composita sunt in eum modum, ut nihil inde deduci possit. Pighius[2] deinde sine probabili argumento eos Tibure oriundos dixit.

Meliora contra proposuit Niebuhr[3], eos Sabinos appellitans propter aediculam in monte Quirinali, in qua Fabiae genti propria sacra gentilicia peragebantur; simile quid de Corneliis affertur. Quae opinio dubio nonnihil obnoxia est, non enim illud memoriae traditum est, ut Niebuhr credidit[4], unde fortasse plus huic opinioni tribuit; sed confirmatur Lupercorum ordine, quorum alter, Quinctiliorum nempe, Latinam originem annuit, ut suo loco videbimus; donec ergo meliora inviantur, hoc tueri possumus. Cohaeret illud nempe cum duobus populis ex quibus populus Romanus Quiritium coaluit, ex stirpe Romana et Sabina[5]; sequitur enim ex innumeris locis sacratis, quorum origo Sabina constabat[6], sedem esse datam devic-

---

1) Plin. *H. N.* XVII. 26. 2) I. 431. 3) *R. G.* I. 337, 351 n. 810, II. 198. pag. marg. edit. 1853. 4) *R. G.* II. n. 381. 5) *R. G.* I. 322 sqq. 6) Becker, *Handb. d. Röm. Alterth.* II. I. 567.

tis Sabinis montem Quirinalem eundem, ubi gens nostra privata sua peragebat sacra. Quam opinionem quum Dederich evellere conatur, praepostere affert Romulum, qui utpote Quirinus appellatus, Sabinus fuisset igitur; non vidit vir doctissimus in unam personam coaluisse Romulum ex stirpe Romana principem cum Quirino ex Sabina.

§ 3. *Fabii Luperci.*

Romae Lupercalia sacra faciebant [1] certi sacerdotum ordines, quorum alter a Fabio quodam Fabii sive Fabiani dicti erant, alter Quinctilii. Peculiares ad haec sacerdotes duobus capris iugulatis duorum iuvenum frontem cultro cruento attingebant, quem alii flocco lanae abstergebant lacte madentis, quo facto ridebant; tum caprarum pellibus dissectis nudi discurrebant Luperci subligaculo tantum cincti, currentesque feriebant obvios et obvias, nec adultae eos fugiebant, quippe quae setosa verbera fecunditati eximie prodesse crederent.

Valerius Maximus [2] a Romulo et Remo morem illum inchoatum esse dicit, qui cum laetitia exsultantes, quod iis avus Numitor, quo loco educati erant, Urbem condere permiserat sub monte Palatino, facto sacrificio caesisque capris epularum hilaritate ac vino largiore provecti, divisa pastorali turba, cincti pellibus immolatarum hostiarum iocantes obvios petierunt, cuius hilaritatis memoria annuo circuitu feriarum repetebatur. De eodem ritu Butas [3] cecinit, qui carminibus elegiacis fabulosas rei Romanae origines persecutus est; tradit hic Romuli socios, ubi Amulium vicerant, exultantes laetitia venisse ad eum locum, ubi geminis lupa ubera praebuerat, ad cuius cursus speciem decurrunt,

ἐμποδίους τύπτοντες, ὅπως τότε φάσγαν' ἔχοντες,
ἐξ Ἄλβης ἔθεον Ῥωμύλος ἠδὲ Ῥέμος.

---

[1]) Plut. *Rom.* 21. [2]) II. 2. 9. [3]) Plut. l. l.

addit gladium cruentatum periculi signum esse, lacteam abstersionem nutritionem indicare.

Ovidius[1] eleganter quidem ubi morem Lupercaliorum describit huic fabellae admiscuit ea, quae de Potitiis et Pinariis feruntur, cuius igitur testimonium missum facio, ne in re perobscura tenebras augeam; unum tantum ex eius carmine urgeo, quod Fabium cum suis ab Remi partibus stetisset, ut itidem dubitatae fidei Auctor *de Origine gentis Romanae*[2] tradidit. Quum vero Eusebius[3] contrarium referat, scribens Remum rastro pastorali a Fabio Romuli duce esse occisum, apparet variare famam a quibusnam partibus steterint Fabii; hinc contendo perperam a quibusdam hanc Eusebii famam cum Plutarchi[4] narratione de morte Remi esse coniunctam, *τὸν Ῥῶμον οἱ μὲν αὐτοῦ Ῥωμύλου πατάξαντος, οἱ δὲ τῶν ἑταίρων τινὸς Κέλερος πεσεῖν λέγουσιν*, atque inde deductum esse Celerem illum, quem Romulus tribunum Celerum creavit, Fabium fuisse. Cetera vide apud Dederich[5] suppleta, qui diversis famis quid subesset non agnovit neque distinxit, sed omnibus mythis fidem tribuens vel eo pervenit, ut Remum Lupercum fuisse sibi sumat, imo eum inter Fabios Lupercos stetisse, contra Fabium in partibus Romuli, cui dux Celerum fuerit. Quibus in rebus etiamsi ad veritatem pervenire difficilius est, tamen haec non probabilia esse nemo negabit.

Fabium illum tribunum Celerum equidem sperno, neque Fabios ullos Romuli Remive aequales fuisse et cum iis Lupercalia sive instituisse sive celebrasse mihi persuasum est. Sequitur haec opinio ex iis, quae de illo sacro equidem statuo; nil quidquam habet commune cum geminorum expositione neque cum eorum Urbe, ut iam Plu-

---

1) *Fast.* II. 267, 283—379. 2) C. 22. Cf. Fest v. *Quinctiliani* p. 257; Paul. v. *Faviani* p. 87. 3) Ad annum 41. 4) *Rom.* 11. 5) p. 150 sq.

tarchus[1] verissime observavit. Erat contra ritus pastoricius perantiquus, quem Euandro vindicare malim, quam Romulo, nam mensi februario quum fiebant, vix a primo rege instituta sunt, cui mensis ille ignotus; erat autem februatio[2], quum a nudis Lupercis lustrabatur antiquum oppidum Palatium et mulieres februabantur a creppis, sive gravidae sive non, Iunonis amiculo id est pelle caprina; quibus verberibus magnam fidem religiosae atqui credulae Romanae quod habuerint, non est quod miremur, nam vel serioribus aevis superstitio et religio quid in hac ipsa re valuerit, docere possunt testimonia quaedam, quae recensere non est huius loci; et cum Livio[3] propter sterilitatem mulierum exsolvendam instituta esse si credere non audemus, tamen dubitari nequit earum fecunditati ea inservire videri. Quae quum ita sunt, Schwegleri[4] vestigia premo, et absurdam sperno etymologiam *lupercos* a *lupis arcendis* esse dictos, contra quam fallacem sacri explicationem ad egregia quae attulit argumenta malo lectorem ablegare quam ea compilare; nil aliud ipsum nomen indicat quam *lupus-hircus*, nam deus Lupercus, quem a Pane, Fauno et Euandro haud ita facile ubique dignoscimus, personificatio videtur, ut ita dicam eius vis, quae interimat omnia, et auferat, lupus autem erat symbolum deorum inferorum sive chthonicorum, dum hircus innuit fecunditatem. Nec aliena fuisse ab antiquissima religione humana sacrificia ad inferos istos placandos docet mythologia, et comprobant vestigia quaedam in historia Romana; quas ob causas Schweglero assentior, huius sacrificii in memoriam iuvenum frontes cruento gladio attingi, quos statim pastoricio more lacte et lana abstergunt in speciem mortis et sacrificii non vero in speciem periculi

---

1) *Rom.* 21. 2) Varro, *Ling. Lat.* VI. 3; Plut. *Quaest. Rom.* 68; [Fest.] Paul. v. *Februarius* p. 85. 3) Fragm. ex decade II in epist. Gelasii p. XV t. 6 ed. Tauchn. 4) *Römische Geschichte*, I. 360 sqq.

Romuli; forte in locum hominum succedit catellus, qui Pani Lycaeo[1] immolabatur his sacris.

Perantiquum illum ritum fuisse quo deorum gratiam publice deprecarentur, et ex rei natura sequitur et vulgaris opinio firmabat; refertur enim antiquissimum quodque ad Euandrum[2], qui haec quoque ex Arcadia in Italiam transtulisse et locum sacrasse traditur in fabulis; nec aliter Cicero[3] pastoriciam agrestemque Lupercorum coitionem institutam dicit antequam humanitas atque leges essent, id est adeo priscum illum esse morem, ut iam invaluerit priusquam in civitatem homines coierant. Tum annuit illud, quod nudi Luperci decurrebant, nil aliud enim suberat, quam mos, sive paupertatem mavis pastoriciam, sic verbi causa Pan sive Faunus pastorum princeps nudus fingebatur pelle tantum cinctus; nec aliter pauperculi hodiernae Italiae pastores eiusdem generis. Iam vide quomodo explicatum sit postea, quum decurrentes nudi sacrorum ministri offendebant eos, qui ignorabant in re sacra priscum morem intactum manere diutissime. »Quum, inquiunt isti[4], in honorem Panis Lupercaliorum solemnitas celebraretur, pecora Romanorum subito a latronibus rapta sunt, illi proiectis vestibus prosecuti sunt, his latronibus oppressis et receptis animalibus, propter rem a nudis prospere gestam, consuetudo permansit, ut nudi Lupercalia celebrarent." Quod inventum ab aliis ad Romulum tractum est, quos fugerat ritum vel Romulo esse antiquiorem; neque accipi potest contorta ista explicatio in circulo, quae institutum dicit quod iam invaluerat, id est postea eos nudos fuisse, quoniam ante iam nudi essent. Cur quaeso pauperes illi pastores pelle vix cincti »vestes" suos proiecissent; quis credat eos nudos aggressos esse

---

1) Plut. *Quaest. Rom.* 68, 111, *Rom.* 21; Serv. *ad Aen.* VIII. 343.
2) Liv. I. 5; Serv. l. l.; Ovid. *Fast.* II. 279; Tubero apud Dion. Hal. II. 80. 3) *p. Cael.* 11 § 26. 4) Serv. *ad Aen.* VIII. 663 et 343.

hostem, nisi semper nudi fuerint; at obiiciat quis, hostes exuerant pastores illos; noli credere, nam a latronibus nudati cur in sacris quotannis cladis memoriam celebrarent, a qua re paulo diversa ratio in cladis Alliensis memoria, ut exemplo utar. Denique latrones istos nuditatis causa tantum excogitatos sperno, nec cum Haakhio huius fabulae originem latere suspicor in clade Cremerensi, hoc enim aliquantum nimis esset, et mea explicatio iam sufficit opinor.

Currebant illi solemni via circa Palatinum, qui locus, utpote antiqua pastorum illorum sedes, erat februandus post populi lustrationem et sacra rite administrata dis inferis superisque. Nullum itaque consensun esse perhibeo Lupercale sacrum inter et Fabiae gentis res gestas ad Cremeram et ad Alliam, quem frustra probare conatus est Pfund, nimis tribuens seriorum descriptionibus, qui aliena multa huc traxerunt. Non enim belli imago erat, quae hic pedem intulit, ut duplex ordo Lupercorum explicaretur.

Duos horum sacerdotum ordines non Euander instituit, opinor, verum nil aliud subest, quam duplicis stirpis ex qua populus Romanus coaluit, vestigium. Antiquissimum sacrum a Romanis celebrabatur, quod indicat locus lustrationis, antequam Sabini accesserunt, quae gens quum se misceret Romanae, in re sacra ita illud locum obtinuit, ut separatim ordo Quinctiliorum pro Romanis sacra faceret, Fabiorum ordo pro Sabinis, quod institutum perduravit ad Caesaris usque tempora, qui tertium addidit Iuliorum ordinem [1]. Fabios autem pro Sabinis sacra fecisse propter eorum patriam verisimile esse videtur, et comprobatur eo, quod Quinctilii fuerint Latinae stirpis, ut recte dixit Niebuhr [2], cui non erat cur Göttling [3] obloqueretur, nam constat diserto Dionysii [4] testimonio eos Alba Romam

---

[1]) Dio Cass. XLIV. 6; Suet. *Caes.* 76. [2]) *R. G.* I. 337. [3]) *Röm. Staatsverfass.* 194. [4]) III. 29.

venisse. Quos duplices sacerdotes ut Romanorum antiquarii explicarent, huc tractos esse geminos, non est quod miremur, quorum historiae locum alium alii afferebant, sic Fabius uni alterique additus est, necnon lupa cum geminis nominis causa.

Fabium quemdam Lupercorum ducem fuisse, quo tempore alter ordo accessit, nemo negabit, princeps fuit ille, opinor, eiusque nomen adhaesit his sacerdotibus, vel quum alii [1] nobiles iuvenes sacerdotio fungerentur. Suspicor sacrorum ritum tunc paululum fortasse immutatum constitutum esse, quum populi illi in unum se miscuerunt, sive hoc devicto Tatio acciderit, sive alio tempore.

Quinam vero Fabius ille primus Lupercus fuerit, ignoramus, sed fallitur Dederich [2], qui illum Lupercorum principem ac patronum habuerit eum, de quo Propertius [3]

»unde licens Fabius sacra Lupercus habet";

ubi procul dubio intelligendi sunt Fabii Luperci universe, non primus ille. Quod denique primum antistitem revera Herculis filium illum Fabium fuisse crediderit, de eo acute iudicavit Tullius [4] ubi dicit: »Nonnulli faciunt imperite, qui non ut a poeta, sed ut a teste veritatem exigant, nec dubito quin iidem et cum Egeria collocutum Numam, et ab aquila Tarquinio apicem impositum putent."

§ 4. *Tribus Fabia.*

Constat ex Fabii Pictoris testimonio agrum Romanum a rege Servio divisum esse in 30 tribus, quibus nomen dedisse videntur aut loci quos complectebantur, aut gentes, quarum terrae adeo patebant. Nec obstant huic opinioni, quod pauca quaedam explicari nequeunt, nam rei natura Athenarumque exemplum rem conficiunt.

Occurrit Fabia tribus inter 20 tribuum nomina, quae

---

1) Plut. *Caes.* 61; Cic. *Phil.* II. 34 § 85, *p. Cael.* 11 § 26. 2) p. 147.
3) IV. 1. 26. 4) *de Leg.* I. 1 § 4.

post Urbem a Porsena captam fuisse traduntur, sive illae eaedem fuerint quas Servius constituit, sive tum demum ager Romanus in 20 partes divisus fuerit, quemadmodum Becker [1] verba Liviana [2] »Romae tribus 21 factae" intelligit. Hinc sequitur, Fabiam gentem iam illis antiquis temporibus adeo crevisse, ut inter nobilissimas numerata fuerit et non sine clientibus eam agri Romani partem tenuerit, cui nomen tribule adhaereret. Non enim huc trahi potest quod sacerdotio Lupercorum inclaruisset, ut Haakhius suspicatur; nec vero et tribus et gens nostra nomen traxit ex deo sive heroe quodam indigete, quem tutelarem gentiles coluissent, ut Niebuhrius [3] proposuit, nam Fabii Herculem habuerunt talem patronum; explosit iam hanc opinionem Gerlach [4].

Ubinam tribus nostra sita fuerit, ignoramus; incertas de hoc argumento olim proposuerunt viri docti coniecturas [5], quas nunc non proferam, nam haud displicet Niebuhrii [6] suspicio Fabios in colle Quirinali habitasse, propter sacrorum gentilicorum solemnem locum, ut de Corneliis constat, unde vicus Cornelius in eodem monte.

Perduravit tribus nostra ad ultima usque tempora imperatoria; habemus 90 fere inscriptiones, in quibus nomen huius tribus legitur, unde tamen nil lucramur, nam maior pars ex eo tempore esse videtur quo nomine tenus ratio valeret.

Quaenam gentes aut familiae in hac tribu suffragium tulerint, confici nequit, nam aut semel occurrit in certis familiis [7], aut semel haec tribus sola in familiis diversis [8], aut quum saepius occurrunt illae familiae, praeter Fabiam

---

1) *Handb. d. Röm. Alterth.* II. I. 169. 2) II. 21. 3) *R. G.* I. 466. 4) *Verfass. d. Serv. Tull.* 380. 5) Beaufort, *Républ. Rom.* I. p. 172, et quos ille laudat. 6) II. n. 381, p. 222 n. 443. 7) Menatia, Mustia, Farsia, Vidia. 8) Postumia, Quinctia, Asconia, Letilia, Publilia, Resia, Silia, Apponia, Nigidia, Lucinia, Aconia, Sepulla, Lollia, Fulvinia.

aliae quoque tribus leguntur [1]; quae quum talis sit farrago, quid quaeso prodest inquirere in loca, ubi inventae sint inscriptiones istae, possunt enim tituli esse positi quovis loco moriens forte fortuna degeret, unde non sequitur locum hunc vel illum ad certam pertinere tribum, nil quidquam commune habet ratio tribuum cum geographia, ut quibusdam videtur [2].

Praestat classicorum de nostra tribu testimonia percurrere; Ciceronis [3] loco misso videamus de Horatiano [4]:

»hic multum in Fabia valet, ille Velina."

ad quem locum Cruqii commentatoris explicatio non placet, cogitavit enim lector, nescio quis, haud ita lepidus de familia Romana, ubi de tribu sermo est, nam Velina quae hic opponitur Fabiae, non est familia sed tribus, in qua suffragatores quo modo captari possint docet poëta: »si fortunatum species et gratia praestat, mercemur servum, qui dictet nomina," id est nomenclatorem, qui laevum latus fodicet, et dicat, tu huic et illi blandiare, et »cogat trans pondera dextram porrigere," id est, humilioribus in tabernis trans pondera salutandi et blandiendi causa.

Tertius denique locus est Suetonii [5], ubi narrat Augustum pristinum ius tribuum reduxisse, ac multiplici poena ambitu coërcito »Fabianis et Scaptiensibus tribulibus suis" die comitiorum singula a se millia nummum divisisse. Est hoc unicum exemplum, quod doceat aliquem ad duas tribus pertinere, quae ratio ita explicari solet, ut Augustus propter Iuliam gentem pertinuerit adoptionis causa ad Fabiam, propter Octaviam vero ad Scaptiam. In cuius rei testimonium titulus affertur [6]:

---

[1]) Iulia, Antonia, Atilia, Catia, Claudia, Clodia, Cornelia, Statia, Terentia, Valeria, Aelia, Eppia, Titia, Domitia, Lucilia, Pomponia, Coerellia, Iunia, Laberia. [2]) Grotefend in *Zeitschr. f. Altertumsw.* 1836, N. 114—118. [3]) *Ad fam.* VIII. 8 § 5. [4]) *Sat.* I. 6. 52. [5]) *Aug.* 40. [6]) Grüt. *C. I.* p. CCXXVI, N. 3.

C. IULIO C. F.
FAB. SCAPT.
CAESARI.
AUGUSTO.

At respuo istam inscriptionem, quae ficta est et conflata ad locum Suetonii explicandum scilicet; nil aliud praeterquam cui rei opus erat in ista legitur; duo tantum ex ingenti farragine Inscriptionum Latinarum proferri possunt exempla duplicis tribus, quorum unum [1] spernendum est, male olim descriptum erat et plenius alio loco [2] legitur omisso nomine tribus Fabiae; alterum [3] vero habet ANN. GAL., ubi summopere dubito debeatne cogitari de tribu Galeria, nam Gallus vel tale quid expleri potest. Denique suspicor nomina ista ex margine irrepsisse, a lectore aliunde petita, cui libuit supplere tribulium nomina, hinc diversae tribus mentio, nam in magna copia inscriptionum, quae Augustum spectant, satis mirum videtur, quod semel tantum duplicis tribus mentio esset facta; quae ratio si vera esset, in sexcentis adoptionis exemplis non latere potuisset opinor; porro si adoptatis licuisset in duabus tribubus suffragium ferre, in quaestionibus de ambitu huius instituti mentio facta fuisset, nam ardenter isti ambitiosi illam arripuissent rationem, et mox lex de ea re cavisset: ne duo ab uno eodemque ferrentur suffragia.

§ 5. *Sacra gentilicia Fabiorum.*

Priscis Romanis revera patriciis cordi fuisse sacrorum curam in vulgus notum est; admodum religiosi erant Quirites, qui etiamsi abusi sunt nonnumquam rebus sacris, quando iis e republica scilicet esse videretur, tamen summa pietate et verecundia deos coluerunt, eorum monita

---

1) Grüt. *C. I.* p. DCCCCXVIII, N. 16. 2) Ibid. p. CCCCXXXVIII, N. 8. 3) Ibid. p. CCCCXXXV, N. 1.

per haruspices, eorum omina per augures, denique per quosvis sacerdotes explicata caute in rem suam vertere sedulo conati sunt. Haec quod ad publica attinet, sed in privatis haudquaquam negligentiores; singulae enim gentes, (quae autem singulae familiae faciebant domestica nunc mitto, ne ad Penates et Lares devertar), privata habebant procuranda atque observanda, caerimonias solemniaque perficienda statuto loco et solemni tempore, ad quae conveniebant omnes eiusdem nominis, id est ad eandem gentem qui pertinebant vel ex diversis familiis, nomine enim ut et consanguinitate non tantum illi erant iuncti sed sacris quoque communi concilio peragendis. Sic apud Graecos Achaei Helicae et Iones Mycalae sacra faciebant Neptuno Heliconio, sic in Italia omnes qui nominis Latini erant, in monte Albano, sic Tusci nominis, et sic deinceps, eadem est ratio in gentibus quae in populis illis. Hinc pie et admodum religiose observabant caerimonias, quae intermortuae piaculum fuisset; transeunt enim ista sacra cum demortuorum bonis ad heredes, ita ut ad quem pecunia ad eundem sacrorum obligatio veniat. Hanc ob causam Romani sedulo cavebant ne gens sua et, quod maius erat, ne sacra perirent [1], et sic adoptionem si patricii adhibebant, arrogatio fiebat, ut arrogatus sacrorum fieret particeps; hoc in comitiis curiatis adstante pontifice maximo fiebat cum sacerdotibus patriciis. Ex his sequitur uxorem per confarreationem esse ducendam; sed quid notissima recoquam, satis notum est quod ditiores ac deteriores posteri sacra neglexerint, quod hereditas sine sacris in proverbium transierit vel tempore Plauti [2], potuit igitur antiquissimis tantum temporibus vigere ista ratio atque observantia, quum ex sacris commoda nascerentur; contra in sola gente Claudia sine

---

1) Serv. *ad Aen.* III. 104; Cic. *p. Mur.* 12 § 27. 2) *Capt.* IV. 1. 8, *Trinum.* II. 4. 83.

adoptione ea res intacta et prisca perdurasse traditur usque ad sera tempora, cui feriae privatae fuerunt ex usu domesticae celebritatis, ut et Aemiliae, Iuliae et Corneliae [1].

In quibusnam rebus versarentur illa sacra, testium penuria latet, pauca quaedam ex analogia possumus coniicere; sic statuto quodam ritu hostiae mactabantur, ex prisco usu libationes fiebant, cetera. Pertinet deinde ad haec sacra ritus parentandi, quo deducebantur solemni pompa ad sepulcra, sacrisque ad animas maiorum piaculis mulcendas peractis laudatio fiebat, quae ut rite a posteris fierent, vel fundis venditis iter in sepulcra intactum relinquendum erat.

Redeamus ad nostram gentem, cuius Sacra accuratius aliquantisper quam ceterarum gentium innotuerunt, nam tempus et locus sacrificii non latet, nec fortasse deus in cuius honorem fiebant. Non dico pravam istam cladis Cremerensis explicationem per sacra gentilicia, quam Dionysius [2] explosit; aliud est. Fama enim ad nos pervenit [3] nobilis facinoris C. Fabii Dorsonis (12), qui obsesso Capitolio privatorum sacrorum causa, quae peragenda erant statuto tempore, Capitolium reliquisse fertur et sacra in colle Quirinali fecisse, unde intactus rediit; infra [4] explodenda erunt, quae posteri minus recte admiscuerunt, sed quidquid est, hoc procul dubio ex huius rei mentione conficio: ex constanti fama atque usu sacri in illo loco faciendi natam esse historiolam, unde iam deduco cum Niebuhrio [5] aram necnon aediculam fuisse Fabiis in illo colle, ubi fortasse ossa proavorum quiescebant, in quorum memoriam esset parentandum. Cadit illud versus finem anni, quoniam Capitolium obsessum est ab idibus quinctilibus ad ianuarium vel februarium; si iam sacra inter hunc

---

1) Macrob. *Sat.* I. 16. 2) IX. 19. 3) Liv. V. 46. 4) Cf. Lib. III. Cap. I § 3. 5) *R. G.* II. 351 n. 811.

mensem et quinctilem fiebant, quis quaeso historiam excogitasset, unde sequitur aliquatenus saltem definiri posse sacrorum tempus.

Gravior quaestio est, cuinam deo fierent ista; cogitavit Niebuhr de Semone Sanco aut Fabidio, sed hi Sabinorum dei nil habebant commune cum Fabiis, nec constat Fabidii nomen, qui Ζεὺς πίστιος fuisse videtur; magis placet altera suspicio, Herculem eum fuisse, nam hunc auctorem gentis gloriabantur. At quis credat hominem illum aut si mavis deum exstitisse et vixisse in Italia; unde igitur istam habent genealogiam nisi ex sacris gentiliciis. Ab antiquissimo inde tempore deus ille colebatur ab Italis, cur quaeso maiore honore eum persecuti essent Fabii, nisi quodam nomine excelluisset; denique proprium sibi hunc genium Fabii colebant, quod ut antiquarii explicarent, quum causa eos fugerat, excogitarunt eum huic genti fuisse auctorem. Eadem res in gente Nautia [1] erat, quae Minervam colebat, ut gens Sulpicia [2] Iovem; Antonii [3], Pinarii, Potitii [4] itidem Herculem, quae omnia eodem modo explicanda videntur, et propter Romanorum vanitatem nonnihil aucta sunt.

Hercules quo ritu coleretur, Servius [5] nobis auctor est: non licebat lectisternium esse in eius templo, neque apud aram Maximam, neque servi neque libertini istis intererant; omnes aperto capite illi sacra faciebant [6], ne quis habitum dei imitaretur, nam ipse operto stabat capite. Eadem exceptio in Saturni cultu erat, cuius rei causa esse potuit, quod indigenae illi fuerint, nam omnibus reliquis diis sacra qui faciebant capita velare erat religio, qui ritus secundum Varronem in Graecia valebat. His convenit, quod Fabius Dorso diserte traditur [7] Gabino cinctu statuta sacra facturum esse profectum; sic enim

1) Serv. *ad Aen.* II. 166, III. 407, V. 704. 2) Suet. *Galb.* 2. 3) Plut. *Ant.* 4. 4) Liv. I. 7, IX. 29. 5) *Ad Aen.* VIII. 176, 179. 6) Macrob. *Sat.* III. 6. 7) Liv. V. 46.

illo cinctu [1] toga in tergum reiicitur, ut ima eius a tergo revocata hominem cingat, non vero caput tegat.

§ 6. *Commentarii gentilicii Fabiorum.*

Pertinent ad ea, quae gentes propria sibi habent, commentarii gentilicii; cohaerent illi cum iure imaginum earumque titulis et cum laudationibus, unde originem mihi videntur traxisse. Habebant nempe in atriis suis patricii nobilesque, qui ad curules pervenerant magistratus, imagines maiorum in armariis ordine dispositas ab eo inde, a quo stirpem ducebant gentiles, quibus imaginibus antiquitatem et nobilitatem probabant seri nepotes, et si opus erat cognationem gentilium; hinc olim magno honore esse habitas imagines illas, easque ad virtutem posteros incitasse, non est quod dicam. Expromebantur in gentili pompa sive triumphali sive funebri, unde vanitas Romana effloruit aliaque vitia cum morum corruptela enata sunt. Subscripti erant tituli, quibus honorum continebatur series maiorumque nomina, nonnumquam res gestae verbo descriptae; ex quibus titulis a posteris, ut ex rei natura sequitur, confectis aucta fama ut fieri assolet, evadebat in laudationes funebres.

Hic antiquissimus historiae fons, quod ad res privatas attinet, haberi potest, nam deinceps quum tituli excrescebant, gentes maiorum res gestas scripto mandarunt, qui commentarii complectebantur quidquid nobilissimum singuli maiores fecerant aut fecisse tradebantur. Ex eo bene multa hausisse primos historicos per se intelligitur, nec desunt huius rei indicia in historia Fabiorum, Valeriorum, Liviorum, Claudiorum, cet.

Nostram quoque gentem suos habuisse commentarios docet analogia, nec inveniuntur documenta, quae contrarium demonstrent, imo annuere tale quid videtur Livius [2],

---

[1]) Serv. *ad Aen.* VII. 612; recte igitur Vossius apud Servium *ad Aen.* V. 755 pro „Sabino" restituit *Gabino*. [2]) XXII. 31.

ubi de Verrucosi prodictatura agit, et perspicue ostendit posteros auxisse famam rerum gestarum; quod quum Livius evincit de eo tempore, quo historia Romana condi coepta est, quid iam de antiquioribus exspectes? Quae quum ita sint, vel in ea, quae apparent ex commentariis gentiliciis fluxisse in historicorum opera, inquirere debemus verane an falsa tradita sint, quum constat vel ipsum fontem haud ita limpidum fuisse.

Quaenam autem in commentariis gentiliciis tradita fuerint, ex paucis indiciis tantum expiscari possumus, neque de Fabianis res se melius habet; licet quidem suspicione probabili coniicere certa quaedam facta in iis memoriae tradita fuisse, quorum nonnulla passim indicavit Niebuhrius et qui eum sequuntur, sed in his subsistere non lubet. Unum tantum attingam, laudationem volo, quam M. Fabius Vibulanus (4) pronunciasse fertur [1] de fratre Quinto (2) anno 274; credidit nempe Niebuhr [2] procul dubio Annalium auctores novisse illam laudationem, etiamsi eam valde mutatam nobis servaverint, nam numerus militum, de quo sermo fit, non respondet istis temporibus, neque pilae mentio, quae tunc nondum erat in usu. At propter has ipsas causas evinci potest laudationem, de qua obiter tantum agit Livius, ex historicorum mente totam quantam fluxisse, Livius enim quo melius graphice, ut dicunt, depingeret Romanos, eos inducit verba facientes, quae ex suo ingenio supplevit, atqui Marcus ea dicere omnino non potuit; quae quum ita sint, vel credere ausim hoc quoque a Livio esse suppletum, quod laudationem Fabium habuisse scripserit, nam ex analogia et antiquitatis scientia hoc ita descripsit; quam graviter hac ipsa laudatione impegerit, ostendit Niebuhrius. In eandem sententiam G. C. Lewis [3] disputavit, ut nunc video.

---

1) Liv. II. 47. 2) *R. G.* II. 224. 3) *On the credibility of early Roman History*, I. 192 n. 41.

LIBER I.

FABII VIBULANI.

CAPUT I.

KAESO FABIUS VIBULANUS (1).

§ 1. *Cognomen.*

Pauca de huius familiae cognomine dicam, sive Kaeso noster primus eo usus sit, sive alius ante eum. Certi aliquid de huius cognominis origine afferri nequit; attamen verisimilis est vulgaris opinio, subesse nempe nomen urbis Vibulae, unde Vibulanus natum esset, ut Bolanus, Coriolanus, Cumanus, Fregellanus facta sunt ex Bolis, Coriolis, Cumis, Fregellis, cet., necnon Camerinus, Collatinus, Medullinus, Tolerinus, Viscellinus; quae omnia ex certo quodam populo sive loco ut Coelimontanus, Vaticanus, Capitolinus, Esquilinus, originem traxerunt [1]. Iam quaeritur unde tale nomen Romanis illis adhaeserit; Niebuhrius [2] ea explicanda censuit ex proxenia sive patronatu quodam, cuius rei exempla ex illis temporibus desiderantur; quam ob causam equidem censuerim eum, qui primus tali nomine compellatus fuerit, in illo oppido esse natum, ut fertur L. Tarquinii Collatini exemplum, qui Collatiae natus est [3], non enim pater eius Egerius hoc ornatus erat nomine, etiamsi praefectus huius urbis

---

[1]) F. Ellendt, *de cognomine et agnomine Romano*, § 4. [2]) *R. G.* I. 616, II. 275 n. 553. [3]) Liv. I. 38, 57.

fuisse traditur. C. Marius contra Coriolanus cognominatus creditur propter Coriolos expugnatos [1], quae ratio in Vibulano nostro valere potuit, nisi probabilior altera causa. Quidquid est, praepostere ad hoc cognomen explicandum afferebatur Bruttiorum urbs Vibo Valentia, quippe nimis longe dissita, neque de Vibellis Ligurium populo cogitari potest; suspicari licet urbem illam in Latio sitam fuisse et totam cum nomine interiisse.

§ 2. *Genealogia.*

Hunc Kaesonem Fabium recte principem gentis ex aetate historica dicere possumus; de antiquioribus enim admodum dubitandum est, de hoc contra apud veteres nulla erat dubitatio.

Innotuit nonnisi propter tres filios nobilissimos atque strenuissimos a semet prognatos, nullo enim honore functus esse videtur; qui vero quaestorem in causa Cassiana eum dixit, permutavit eum cum filio Kaesone (3) contra diserta classicorum testimonia [2].

Avus fuit secundum Fastos [3] Q. Fabii (5) Vibulani illius, qui ex clade Cremerensi solus superstes fuisse creditur, atqui pater fuit M. Fabii Vibulani (4), qui in illa clade periit, unus de tribus fratribus, qui per septem annos deinceps reipublicae Romanae praefuerunt.

Post renatas litteras viri docti hunc Kaesonem summo iure sibi vindicarunt, nam in stemmate, quod Dionysius Fastorumque auctores sequuntur, princeps ille legebatur. Hinc ergo deduci potest eius imaginem in Fabiorum atriis primum obtinuisse locum ex constanti Romanorum more, nisi forte ipse Hercules vel Euander primum illum locum tenuerit. Prima igitur huius fumosa imago in Fabiorum triumphis deducta est, prima in publicis funeri-

---

1) Flor. I. 11 § 9. 2) Liv. II. 42; Dion. Hal. VIII. 77, 82.
3) Anni 287.

bus, quibus bene multi ex nostra gente honorati sunt; quo in publico luctu etiamsi huic nulli lictores praecessisse censendi sunt, (si enim praeiissent, magistratum gessisset, quod non traditur), tamen in laudationibus primus laudatus fuit, quod tres fortissimos progenuisset filios, qui suo sumtu bellum Veiens suscepissent.

Haakhius gentis nostrae principem paulo altius repetit, coniiciens Kaesoni nostro patrem fuisse Quintum quemdam Fabium, propterea quod Kaesonis filius maximus natu Quintus appellatus fuerit. Cui equidem non assentior, nam stemma gentis nostrae vel semel inspectum docet rationem eam, quae apud veterum quosdam valuit, ut nepos avi nomine compellaretur, non invaluisse in Fabiis, atqui non licet aliquid inde deducere.

CAPUT II.

QUINTUS FABIUS K. F. VIBULANUS (2).

§ 1. *Consul* I. 269.

Q. FABIUS K. F. VIBULANUS [1].
SER. CORNELIUS L. F. COSSUS MALUGINENSIS.

Agmen ducat Quintus hicce, trium fratrum maximus natu, quidquid aliis videtur, nam primus de Kaesonis filiis ad consulatum pervenit, quem magistratum cum fratribus per septem deinceps annos tenuit. Unicum est huius rei in historia Romana exemplum, cui non possunt aequiparari Valeriorum consulatus nec sequenti saeculo Fabiorum tribunatus. Extraordinarium aliquid subesse videtur, sed latet quidnam fuerit, cogitavit quidem Niebuhr [2] de quadam rerum mutatione, per quam oligarchia fundaretur in dynastia Herculea, verum nimis breviter illa

---

[1]) Liv. II. 42; Dion. Hal. VIII. 77; Diod. Sic. XI. 27; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. [2]) *R. G.* II. 198.

durasset, nam statim aliae familiae ad eundem honorem pervenerunt, sibique plebs postulavit iura atque privilegia, cui vel Fabius unus et alter aliquantisper propensior fuisse traditur. Quid revera subsit, latet adhuc, sed hoc saltem ex septem illis consulatibus sequitur, dummodo talia urgeri possint et omni nomine fidem mereantur, nondum leges annales latas esse, quae annos praescriberent, post quos demum eodem magistratu quis fungeretur; tum iidem illi consulatus palam nobis faciunt, quid patricii illi tunc potuerint, qui reges expulerant et nunc nomine libertatis scilicet suo lubitu rempublicam administrabant, et miseris plebeiis domini facti erant severiores quam vel Tarquinius fuisset. Quomodo post infinitas fere dixerim turbas et contentiones paulatim plebeiorum res creverit et tandem patriciorum aequiparata fuerit, docet historia, sed his annis plurimum potuisse oligarchos istos optimates, non est quod dubitemus.

Idem illud luce clarius apparuit primo Fabii nostri consulatu in causa Cassiana [1], de qua etiamsi propter famas sibi invicem contrarias fere invitus nunc dicam. Fundamentum historiae Sp. Cassii eiusque damnationis fuisse videtur area ante aedem Telluris et Cereris signum in illo templo, cui inscriptum EX CASSIA FAMILIA DATUM; plures enim eiusdem deae *χαλκοῦς ἀνδριάντας* fuisse, ut Dionysius scripsit, non verisimile est. Quaeritur unde ista? Respondet fama: Cassius tertio consul regnum affectabat, quod nemo praeter patrem cognoverat, qui cognita domi causa, sive adhibito propinquorum consilio, sive re ad senatum delata, filium verberavit et necavit, bonaque eius Cereri consecravit. Valerius Maximus gravi errore eum tribunum plebis fuisse scripsit, sed Pighius gravius erravit rescribens eum »*cum* tribunis" illud molitum esse, nam

---

[1]) Liv. II. 41, 42; Dion. Hal. VIII. 77—80; Diod. Sic. XI. 37; Val. Max. V. 8. 2, VI. 3. 1; Plin. *H. N.* XXXIV. 4, 6.

quod statim sequitur »postquam illam potestatem deposuit" ostendit, cuinam errorem debeamus; recte novissimum eius editorem C. Kempf idem observasse video. Alia sunt in illa fama, quae fidem superant, quae quum Dionysius recte explosit, supersedebo; sic male locus de Cassii patre huc pedem intulit, sive ex Bruti historia repetitus, quam annuit Valerius quoque, sive ut Engelbregt [1] opinatur ex C. Flaminii memoria, itidem legis agrariae auctoris; nam quidquid falsum de Cassio relatum fuerit, eum de agro publico dividendo tulisse, dubio non est obnoxium. Perpauca tamen in antiquis annalibus de Cassio memoriae esse tradita, sequitur ex diversis famis, quas primi annalium auctores quo quisque erat ingenio antiquitatisque scientia supplerunt, ex historia seriorum legum agrariarum alia suffurati, alia ex analogia exhibentes, ut graphice admodum locus describeretur. Huc pertinet, quod unus eum a populo damnatum scripserit, alter a senatu, tertius a quaestoribus, quartus denique ab ipso patre; at iudicium de vita patricii ad curias istis temporibus pertinebat opinor. Quum alios offenderet statuam ex bonis Cassii a patre sacratam esse, supervenerunt antiquarii de peculio eius positum signum scribentes. Sed restant aliae difficultates, quas antiquarii non tollant, atqui non causam privatam sed publicam fuisse cum Livio et Dionysio facile crediderim. Iam opus erat igitur quaestoribus parricidii, quo munere functi sunt Kaeso Fabius consulis frater (3) et L. Valerius; quonam crimine ab his accusatus fuerit, vel ipsi Romani nesciebant, hinc diversa afferunt, quae haud verisimilia videntur; constat legem agrariam esse latam a Cassio, propter quam, ut quicumque postea eam rem ausi sunt, morte poenas dedit, non tantum propter invidiam quae tali legi iuncta est, verum propter alia parricidii crimina a quaestoribus nisi forte ab historicis

---

[1]) *De Legib. agrar. ante Gracch.* p. 59, 104.

aucta et exaggerata. Vitio verterunt Cassio, quod tertio consul, (non male igitur rempublicam administrasse censendus est), foedus iniisset cum Hernicis, quorum agri quae pars iis erat ademta, Latinis dederet, partem populo divideret, quod ut recte fieret senatores quidam crearentur, qui divisioni praeessent et curarent, ut alias quoque publicas terras, quas privati possiderent, melius distribuerentur, et pecuniam pro Siculo frumento tum advecto populo retribuerent. Quis quaeso non Graccharum legum capita agnoscat, quae digito monstrasse sufficiat. Iam accusatur sequenti anno, ac si agrum de hoste captum suo iure populo sociisque divisisset, renitente tantum collega; verum nondum mihi persuasum est patres conscriptos talia decernere potuisse, fertur ab aliis tale senatusconsultum esse factum, sed ea conditione, ut sequentis anni consules illud perficiendum curarent; quod si verum esset, consules Fabium nostrum eiusque collegam hoc decretum tenuisset, quod tamen non factum traditur. Denique »damnatum necatumque constat" scribit Livius, sed non credo eum propter suspicionem regni scilicet esse damnatum, quod lege agraria ambitiosus in socios videretur necnon popularis. Haec et huiuscemodi plura, quae vide apud Dionysium, crimini Cassio verterunt quaestores; an iure, equidem valde dubito; si iam talia indicia regni affectandi tam severe punirentur, quid non continuatus in Fabiorum domo consulatus offendit; potestas consularis nimis restricta erat, quam ut poena digna Cassius commisisset, nec senatus talia impune permisisset, nec curiae sivissent. Quae quum ita sunt, historici ut aliquid criminis adesset, de suo finxerunt illa, qua in re Dionysius ingenio nimis indulsit, dum Livius, qui omnes leges agrarias oderat, hunc locum fere invitus administravit. Miror tamen a Dionysio non arreptum esse Cassianae arrogantiae indicium, de quo apud Plinium [1]

---

[1]) *H. N.* XXXIV. 6.

Piso, qui nobis tradidit anno 596 sublatam et conflatam esse aeneam statuam, quam sibi posuerat Cassius ante aedem Telluris; quod intactum reliquerunt igitur ii, qui vel domum eius solo aequaverant; nisi forte hoc ipsum afferri debet contra dirutam Cassii aedem, quae eodem illo loco stetisset; sed haec fama ex alia historia repetita male huc pedem intulerat, ut explicaretur, cur area illo loco esset. Statua vero Cereris ex Cassia familia posita quomodo cohaereat cum agro publico, vix quisquam demonstret, hinc assentior omnino Niebuhrio ad alius Cassii memoriam exsecrandam eam esse positam. Contrarium obtinet de alio loco [1], ubi Dionysii narrationi fidem habet, populum damnati Cassii, qui regnum affectasset, mox poenituisse, quippe qui nonis deos precaretur, ut sibi regem patronumque darent. Primo non populus sed curiae de Cassio iudicarunt, tum Macrobii [2] locus, ad quem provocat, aliter se habet, tradit tantum a populo diem nonarum maxime esse celebratum, quem natalem regis Servii existimabant, nec mirum, nam popularis admodum ille fuisse credebatur, cuius memoriam sic colebant. Deinde credo damnatum esse Cassium nomine tantum regni affectati, revera quod patriciis, qui iniuria agrum publicum possiderent, obviam iret, ita ut recte Dio Cassius [3] scripserit *ἀπώλετο οὐκ ἀδικήσας*. Periit nempe sive a patre necatum eum credas, sive a quaestoribus de saxo Tarpeio praecipitatum; at observavit Niebuhr [4], hoc supplicium tribuni de plebeiis tantum sumebant; vel in eius nece describenda impegerunt igitur historici, qui non satis caute adhiberi possunt, sed hoc ne curemus, nam »constat eum damnatum Ser. Cornelio Q. Fabio consulibus."

Damnato Cassio consules seditiosum annum habuisse tradunt historici [5], nec mirum; quibus turbis ut finis im-

---

1) *R. G.* II. 194. 2) *Sat.* I. 13. 3) Fragm. 19. 4) *R. G.* II. 195 n. 372.
5) Liv. II. 42; Dion. Hal. VIII. 81, 82.

poneretur, expeditio contra Veios suscepta est a consule Cornelio, ut obviam iretur populationibus, quas de more agebant illi; nec vero magni momenti fuisse apparet, nam mox annuae induciae factae sunt. Fabius contra adversus Volscos rem gessit, qui Romanis iam finitimi coeperant esse post foedus cum Latinis et Hernicis, quod Cassius icerat; devicit eos in loco quodam, ubi eos incluserat, fame pressos. Verbo memoratur bellum cum Aequis, sed de altero contra Volscos fusius agit Dionysius, an verius, haud dixerim, nam nil aliud in annalibus olim de istis omnibus legebatur, opinor, quod et per se probabile est et certa coniectura poni potest, Romani cum populis vicinis quotannis qui depugnabant, εἰς ἀλλοτρίαν χώραν ἐμβαλόντες ἀπήλασαν ἀνδράποδα καὶ βοσκήματα πολλά, λῃστρικῇ ἐφόδῳ χρησάμενοι; sic invicem depopulabantur agros finitimos parvi illi populi, quos nullus maioris civitatis metus contineret, unde semper Romanos victores evasisse tradit historia a Romanis nempe conscripta. Idem illud hoc quoque anno accidit: victores Romani redierunt non absque praeda; haec enim turbis de novo ansam dedisse fertur, si quidem Fabius non per quaestores eam militibus distribuerit, ut debebat, sed in publicum redegerit; quod si revera ita accidit, summo iure plebeii exarserunt, nam privato sumtu quum illae expeditiones sive populationes, quas bella fuisse tradunt, suscipiebantur, aequitas postulabat, ut commoda inde orta, id est praeda militibus divideretur; Fabius igitur in aerarium redegisset pecuniam, dum respublica nullas impensas istis bellis ferret; ex qua magna iniuria nova discordia oriretur necesse erat. Iam ista omnia crederem ita accidisse, si forte in plebem animadvertendum fuisset, sed huius rei nullum cernitur vestigium, imo Cassium damnaverat populus, ut iidem illi tradunt; quae omnia quum reputo, suspicio oritur hoc ab historicis esse ornatum, ut turbarum aliquid esset, quarum causa paulo aliter fuisset.

§ 2. *Consul* II. 272.

Q. FABIUS K. F. *VIBULANUS II* [1].
C. IULIUS L. F. IULUS.

Quum tempus comitiis consularibus instabat, discordia [2] inter patres plebemque, de qua in consulatibus Quinti fratrum plura dicam, adeo creverat, ut aut populus convenire nollet, aut tribuni comitia dirimerent; de dictatore dicendo cogitatum esse scribit Dionysius, Lydus hoc anno Aulum Sempronium dictum esse tradit, qui solus illius et C. Mamerci dictaturam memorat; equidem Dionysium sequi malo, qui tradit patricios coïisse ad prodendum interregem, qui comitia ne haberet, obstabat vetus religio, aut saltem iam tunc obstitisse fertur; post quinque dies Spurio Larcio magistratum tradidit, a quo comitia habita sunt, quibus consul creatus Fabius noster II *ἐκ τῶν ἀριστοκρατικῶν* et *ἐκ τῶν δημοτικῶν* C. Iulius, quem Fastorum editores eundem habuerunt ac C. Iulium Xvirum; perperam isti, nam illius filio hunc tribuo magistratum 31 annis post patris consulatum.

Aequi arma sumsisse ferebantur, sed adversus hos sequente anno res fuit, nam uterque consul missus esse traditur contra Veientes, nec vero multum gestum est, copias eduxerunt et agros depopulati sunt, quum hostes nulli apparerent; denique nil memorabile his consulibus accidit.

§ 3. *Mors* 274.

Superest ut de Quinti morte [3] dicam; quum nempe anno 274 gravius Veiens bellum immineret, ita ut maiore numero copiae educendae essent, consularis noster praefuit propraetoris sive legati nomine sinistro cornui, in quo tristi nece succubuit. Cominus tunc pugnatum fertur, et

---

1) Fast. Cap. h. a.; Liv. II. 43; Dion. Hal. VIII. 90; Lyd. *de magistr.* I. 88; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 2) Liv. II. 43; Dion. Hal. VIII. 90, 91. 3) Liv. II. 46, 47; Dion. Hal. IX. 11; Val. Max. V. 5. 2; Oros. II. 5.

inter primores Fabius excelluit noster, qui praeceps se dedit in Veientes. Tunc incautius quum inter eorum manus versaretur, ferox Tuscus eum gladio per pectus transfigit, μέχρι τῶν σπλάγχνων ἐλθούσης τῆς αἰχμῆς, quo exstracto pro patria cecidit. Nonnisi atrociore proelio, quo consul Cn. Manlius periit, frater Marcus eum ultus est, ut infra [1] videbimus. Victores Romani ex hoc bello redierunt, consulique senatus triumphum concessit, sed nobilis ille honorem istum denegavit, lauream accipere nolens quum »respublica orba esset consule altero amisso et familia funesta Q. Fabii fratris morte", quo loco Liviano magistello tribuerim illud *Q. Fabii.* Contra exstitit laudator Quinti et collegae in publicis eorum funeribus, de qua laudatione supra [2] iam monui.

CAPUT III.

KAESO FABIUS K. F. VIBULANUS (3).

§ 1. *Quaestor* 269 [3].

Modo iam vidimus Kaesonem huncce cum L. Valerio quaestorem in causa Cassiana, dummodo publica fuerit; nondum crediderim eos comitia convocasse, ut Dionysius scribit, quem recte Niebuhrius [4] carpit ea de re, nec Cassium de saxo Tarpeio deiecisse, attamen pro republica, ut ita dicam, quaestores illos in ius vocasse Sp. Cassium legis agrariae latorem, non est quod dubitem.

Quomodo autem hic magistratus cohaereat cum altero munere, quod tempore liberae reipublicae quaestoribus aerarii fuit, non potest recte dignosci, nec veteres perspectum habebant. Hinc diversissima proposuerunt, tum

---

[1]) Cf. Cap. IV § 2 huius Libri. [2]) Cf. § 6 pag. 23. [3]) Liv. II. 41; Dion. Hal. VIII. 77—79. [4]) *R. G.* II. 190 n. 366.

illi, tum viri doctissimi [1], quorum opiniones iis nituntur factis, quae non diiudices sintne ab historicis ex antiquitatis scientia suppleta an revera ita acciderint. Quaestores aerarii enim procul dubio a primis consulibus inde pecuniam publicam administrabant, verum quaestores qui occurrunt perduellionis et parricidii titulo in causa Horatiana, Cassiana, Manliana, ceteris, non facile a poëticis historicorum ornamentis seiungas. Becker posuit Fabium Valeriumque fuisse quaestores aerarii, quibus iudicium perduellionis commissum extra ordinem, ut nonnumquam tribuni plebis de hoc crimine iudicasse traduntur. Multa ad hanc opinionem tuendam attulit quidem ille, sed nondum in eius sententiam pedibus ire possum.

Extraordinarios fuisse magistratus tum quaestores parricidii tum perduellionis nobis sumere licet, quos crediderim ad hoc ipsum creatos esse, ut exempli causa IIviri ad aedes dedicandas, IIIviri coloniae deducendae, aliique; hi de delicto cognoscebant, non vero pronunciabant, nam de vita patricii curiis erat iudicandum, de plebeio vero centuriis, sub regibus denique quaestores usos esse iure vitae ac necis absurdum esset. Utrum illi IIviri quaestores appellati fuerint, an forte hoc nomen ex iudiciis longe serioribus in hos translatum sit ab historicis, dicere non habeo, sed hanc suspicionem non mittam, nam quomodo munus iudicandi cohaereat cum aerario, nemo explicabit; quas ob causas aerario praefuisse Fabium Valeriumque nondum mihi possum persuadere. Quod Cicero [2] de uno tantum quaestore in hac causa scripserit, non urgendum videtur, nam altera fama, quam Livius et Dionysius sequuntur, melius convenit cum aliis huiuscemodi exemplis.

---

1) Becker, *Röm. Alterth.* II. II. 327—337; W. Rein in *Jahn's Jarhb.* LXV. p. 157, ubi censuram agit de libellis quos A. Pauly et G. H. Wagner de quaestoribus conscripserunt. 2) *De rep.* II. 35 § 60.

§ 2. *Consul* I. 270.

K. FABIUS K. F. VIBULANUS [1].
L. AEMILIUS MAM. F. MAMERCUS.

In his consulibus creandis nova quaedam secundum Niebuhrium [2] invaluit ratio, ut nempe in comitiis curiatis crearentur, quos deinde populus in centuriatis probaret. Contra quam suspicionem quae olim protuleram eo lubentius nunc missa facio, nunc videns viros doctissimos [3] evicisse hanc suspicionem etiamsi ingeniosam haudquaquam veram esse, contra ex classicorum de his consulibus testimoniis recte intellectis deducendum esse morem quemdam exstitisse, quo patres, id est quibus luberet ex patriciis, non comitiis suis sed quadam concione designassent unum saltem consulatui candidatum, dum de altero libera revera esset populi potestas.

Iam de Fabii primo consulatu [4] videamus, in quo domesticae turbae fuerunt quidem, sed externum bellum eas oppressit. Volsci nempe Latinos et Hernicos infestabant adeo, ut placuerit Fabium his sociis subsidio mittere, dum collega Lucius in Volscorum agris praedaretur, et Antium aggrederetur. Haec tamen expeditio haud felicem eventum habuit, nam etiamsi non omnes, quos Dionysius scribit copiarum motus ita accidisse credamus, apparet Romanos cladem accepisse, quippe qui Antio regressi in Latinorum terra ad Longulam castra posuerint. Hinc paulo post maiore impetu Volscos aggressus est consul, quum advenerant copiae, quas collega submiserat, nam Fabius quominus ipse subveniret, impediebatur, ut ferunt, auspiciis, sed ut equidem credo, quod alio loco ipse rem gereret, nempe contra Aequos, quod Livius et Diodorus annuunt, secundum quem Tusculum captum est hoc anno;

---

1) Liv. II. 42; Dion. Hal. VIII. 83; Diod. Sic. XI. 38; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 2) *R. G.* II. 201 sqq. 3) Becker, *Röm. Alt.* II. II. 12 n. 19, 93 n. 186. Cf. quos hic et Haakh laudat scriptores. 4) Liv. II. 42; Dion. Hal. VIII. 83—86; Diod. Sic. XI. 40.

quidquid est, Romani auctis copiis aggressi sunt Volscos quos in fugam verterunt, quae plus eorum abstulit quam proelium, sic elapsi castra sua Romanis diripienda reliquerunt.

Denique hoc anno idibus quinctilibus Castoris aedes dedicata est, quae Latino bello vota erat *a* Postumio dictatore, ut apud Livium scribendum esse evincit tum ipsius Livii [1], tum Dionysii [2] Tacitique [3] testimonium.

Turbarum nonnihil exstitisse, quum instarent in sequentem annum comitia, facile intelligitur, quod legi agrariae tribuitur; an recte, non diiudicaverim.

§ 3. *Consul* II. 273.

K. FABIUS K. F. VIBULANUS II [4].
SP. FURIUS MEDULLINUS *FUSUS*.

Secunda vice Fabius hicce consul creatus est, quum a patriciis itidem erat designatus, nam apud Dionysium praepositionem mutandam esse *ἐπιδείκνυται* Καίσων, demonstrat eiusdem capitis initium, in cuius limine recte editur *περὶ τῶν ἀποδειχθησομένων ὑπάτων*.

Supra iam vidimus bellum contra Aequos et Veientes anno praecedente segnius gestum, hinc novae querelae [5], Latini Romanorum opem implorabant contra Aequos, qui oppugnabant Ortonam, quam dixit Dionysius [6] Βιρτῶνα. Ab altera parte Veientes de more agrum Romanum infestabant. Plebi animi aucti erant propter strenuum legis agrariae defensorem quem nacta erat tribunum Sp. Licinium, ut apud Livium legimus, Licinii Stolonis forte nobilem proavum, aut Sp. Icilium, patrem credo eius, qui Virginiae historia inclaruit; utervis fuerit, librariis debemus nomen haudquaquam Romanum apud Dionysium Σπόριος Σικίλιος,

---

1) II. 21. 2) VI. 17. 3) *Ann.* II. 49. 4) Fast. Cap. h. a.; Liv. II. 43; Dion. Hal. IX. 1; Diod. Sic. XI. 48; Zonar. VII. 17; Val. Max. IX. 3. 5; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 5) Liv. II. 43; Dion. Hal. IX. 1—4; Zonar. VII. 17; Val. Max. IX. 3. 5. 6) X. 26.

quod editores emendare debuerant. Adversus duplicem illum hostem delectus habendus erat, quem ne tribunus impediret, patricii quod saepius postea factum esse constat, iam tunc egisse feruntur, fecerunt irritam tribuni seditiosi potestatem, uno alteroque ex illo collegio sibi devicto. Sic non sine turbis exercitus scripti sunt et educti, contra Aequos a Furio, contra Veientes a Fabio; Sigonius quidem apud Livium [1] invertit illa nomina sed Haakhius recte contendit non opus esse emendatione propter Dionysii Zonaraeque congruens testimonium, atqui duobus illis locis apud Livium pro *Aequis* legendum esse *Veiis;* cui eo lubentius assentior, quod Fabiis magis convenit bellum Veiens, unde Romani rediissent eandem fortunam experti qua ad Cremeram, paucissimas horas ab Urbe, quod convenit melius Veienti expeditioni quam contra Aequos si res fuisset. Consuli Furio omnia ex voto cesserunt, contra Fabio, cui plus negotii cum contumacibus civibus fuerit, quam cum hostibus. Ferunt nempe ita aciem ab eo esse instructam, ut primum hostium copias funderet equitatus, deinde pedites eas persequerentur; contrarium solus Valerius Maximus tradere creditur, cui Pighius suum reddidit rescribens *peditatum* pro *equitatum*, cui novissimum editorem non assentiri miror, nam librariis potius errorem tribuamus, quam Valerio. Constans nempe fama est eos propter legem agrariam, cui Fabius ille Cassii quondam accusator maxime restiterat, noluisse hostem persequi sed nocte Romam rediisse contumaces, quod in milites plebeios recte cadit, non vero in equites.

Invisum consulem fuisse plebeiis, atqui imperium eius gravius aliquantisper, non obloquar, a patriciis enim designatus erat qui contra plebem Cassiique legem iam ante strenue se gesserat; sed aliud est, quod valde offendit, atque propterea ab historicis contra antiquitatem exorna-

---

[1]) II. 43 collato 44 »victis Aequis" et 46 »cum Aequis."

tum suspicor, qui veram famam sic obscurarunt. Constat imperatori esse ius vitae ac necis, summamque potestatem sine provocatione eum exercere in milites; nec aliter res se potest habere, quid enim est exercitus, cui non praesit unus pluresve, quibus dicto audientes sint milites ad unum omnes: et sic erat institutum apud Romanos, Martiam gentem. Quae quum ita sint, quis quaeso credat imperatorem frustra petivisse a peditibus, vellentne hostem iam fusum a commilitonibus persequi, qui noluissent igitur praeda potiri quum poterant scilicet, nec castra exuere iamiam capta. At consul pro imperio egisset, opinor in contumaces istos de more, et ex lege animadvertisset; quid est imperium militare, cui non ad manus sint ea, quibus iubeat et nolentes cogat vel morte poena praeposita. Imo iniussu consulis nocte clam castra relinquunt exsecrantes Fabium istum et Romam veniunt illo noctis tempore, quo portae adhuc clausae essent, nec custodes tot milites intrare sinerent. Obstat huic famae, quam recte Dionysius exornavit, ingenium populi bellicosi, totumque disciplinae militaris fundamentum, denique sperno illud; Romanos ἀτάκτως rediisse, noctu fortasse, Fabiumque igitur nullum egisse triumphum, facile crediderim, sed alia suberat causa, clades nempe, nec mirum; an credamus forte Romanos solos victores evasisse ex populationibus istis bellisve et eos semper hostem persecutos esse ad portas usque; nonnumquam hanc eandem fortunam Romani quoque perpessi sunt, iam habemus huius anni exemplum, ni fallor; mox ab iisdem Veientibus ad Cremeram Fabii devicti sunt, unde sequi videtur tunc iam aliquantisper superiores fuisse Tuscos; sed huius anni clades non adeo gravis fuit, hinc latuit sub causa, quae facile erat inventu, milites odio Fabii non satis strenue pugnasse et sic clam reversos esse, quod ab aliis exornatum est in eum modum, ut nunc apud Dionysium ceterosque legimus.

§ 4. *Consul* III. 275.

K. FABIUS K. F. VIBULANUS III [1].
T. VIRGINIUS T. *F. T. N. TRICOSTUS RUTILUS.*

Kaeso noster admodum excelluerat in pugna contra Tuscos, quam anno 274 quomodo Romani gesserint, ad Marci consulatum secundum [2] mox dicam; hinc non tantum patribus sed plebi quoque valde acceptus fuisse traditur [3], ita ut vel concordiae laeta spes affulgere videretur, quum patribus suasor exstiterat, ut ipsi illi agrariae legis auctores fierent, ne tribuni eam ferrent; attamen patres aspernati sunt, nec vero inde factiones ortae. Hinc recentiores historici crediderunt Fabios medios inter patres plebemque intercessisse, aut saltem in lege agraria plebeiis propensos fuisse, ut Niebuhrius opinatur, cui Engelbregtium [4] assentiri non miror, contra quod Kaesonem nostrum *Quintum* dixerit, qui iam tunc mortuus erat. Neutram opinionem secutus alio modo hunc locum intelligendum esse suspicor, fluxerunt ista ex historicorum ingeniis non ex historia; equidem rem ita accidisse mihi in animum induco: hoc anno erat describenda Cremerensis expeditio, quae privato sumtu a Fabiis suscepta esse illis videbatur, qua bene de patria meriti sunt; iam bonus animus, quo gens nostra erga rempublicam esset, non convenire videbatur cum turbis seditionibusque, quarum consul auctor fuisset, quemadmodum saltem in altero consulatu describitur; denique transitu quodam a turbis in concordiam qualemcunque opus esse videbatur, et sic inducunt historici Kaesonem nostrum legis agrariae latorem fere dixerim, quae sine ulla dubitatione abhorrebat a Kaesonis animo, quippe qui IIvir fuerit in causa Cassiana, et adeo infestus plebi fuisse fertur, ut milites eius signa reliquerint;

---

1) Fast. Cap. h. a.; Liv. II. 48; Dion. Hal. IX. 14; Diod. Sic. XI. 51; Zonar. VII. 17; Eutrop. I. 16; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 2) Cf. § 2. Cap. IV huius Libri. 3) Liv. II. 48; Dion. Hal. IX. 14. 4) P. 63.

quomodo ille, nisi contra ingenium Romanum eum paulo inconstantiorem tibi sumas, nunc ultro legis agrariae exstitisset auctor, quum iam non opus erat, ut condonaretur aliquid, imo quum propter virtutem militarem tum patriciis tum plebeiis acceptus esse coepisset, quam causam vere Romanam omnino non respuo; sed non mihi possum persuadere Fabium eo saltem tempore plebi fuisse propensum, parum abfuisset, opinor, quin eandem fortunam, quam Cassius, expertus fuisset; nominatim quidem additur nullas vel aspernantibus patribus inde ortas esse turbas, sed hoc omnino non crediderim, obstat enim tale quid animo, qualem patribus conscriptis fuisse historici scribunt.

Fabius contra Aequos missus esse fertur, qui de more incursionibus Latinos vexabant, sed simulac maior educeretur exercitus, se recipiebant in oppida, ita ut magna Romanis relinqueretur praeda, id est, Romani de more eos in illorum terras reduxerunt, oppida vero non aggressi sunt praeda contenti, nam solebant bella ista in latrocinia abire. Reduxit autem ex Aequis Fabius exercitum, nam collega qui contra Veios rem gerebat, adversa fortuna pugnaverat, propter quam cladem fere actum esset de exercitu, ni noster tempore subsidio venisset, quum in colle quodam munito nonnihil a duobus Veientium exercitibus obsidebantur; qua obsessione tunc Fabium collegam suum liberasse per se intelligitur.

Nec vero bellum Veiens finitum erat, qui hostes iamiam crescebat et Romanis fiebat superior propter socios Tusci nominis, quemadmodum ipsi Romani circa haec tempora Latinos et Hernicos in acie sua educebant. Iam maior expeditio erat suscipienda, quae Cremerensis nomine tristissimo inclaruit; in singulari paragrapho de hac expeditione disputare lubet, quem locum accuratius aliquantisper persequar propterea, quod unicum huius rei exemplum sit in historia Romana.

§ 5. *Clades Cremerensis* 275—277 [1].

Sequitur, ut de summa illa clade dicam, qua Romani affecti sunt prae paucis memoranda; multo saepius quidem, quam nobis tradiderunt, adversa iis fuit fortuna, verum per raros annales, multas laudationes, posterorumque arrogantiam non omnium rerum ad nos pervenit notitia. Quod universe constat de historia Romana, imprimis in hac clade locum obtinuit, famam volo auctam et suppletam, poëtice ornatam, ut cladis magnitudinem celarent, defenderent, imo hostium fraudi tribuerent. Difficilius erit, hoc loco ornamenta dignoscere et secernere ab iis, quae revera ita accidisse videntur, quum

»in Veientibus arvis

»Ter centum Fabii ter cecidere duo."

Vidimus supra quotannis fere latrociniis bellisque Romanos a Veientibus sollicitatos, e quibus hi superiores discessisse videntur anno 274, eodemque successu sequenti anno usi sunt, donec Kaeso Fabius ex Aequis reversus subvenerit, Tuscosque fuderit. Contra quas graviores inimicitias ut melius occurrerent Romani, consilium iniit Marcus consul munimentum in confinio exstruere, quas postea colonias dixerunt, cui praesidio imposito aptissimus esset locus, unde impetum facerent agros hostiles populaturi aut hostem depopulantem aggressuri. Coloniam illam, quo nomine autem non eam significatam volo, quales postea deduxerunt Romani longe maiores, condiderunt Fabii, id est Kaeso Fabius anni 275 consul cum Marco fratre consulari, aut secundum Dionysium duce Marco tantum, dum Kaeso sequenti anno ad Cremeram venit. Hi por-

---

[1]) Liv. II. 48—50; Dion. Hal. IX. 15—22; Dio Cass. fr. 21 ed. Beck.; Diod. Sic. XI. 53; Zonar. VII. 17; Appian. *Ital.* 6; Ovid. *Fast.* II. 195—242; Sil. Ital. VI. 637, VII. 44 sqq.; Flor. I. 12 § 1, 2; Eutrop. I. 16; Oros. II. 5; Aur. Vict. *V. I.* 14; Gell. XVII. 21; Serv. *ad Aen.* VI. 846, VIII. 337; Fest. v. *Scelerata porta* p. 334, v. *Religioni* p. 285.

tae Carmentalis dextro Iano profecti, ad Cremeram, quod fluvium haud procul a Veiis fluit, aptum munimento locum invenerunt, castellumque Cremerae nomine exstruxerunt, medium inter Veios et Romam, unde saepiuscule impetum facientes Veientem agrum latrociniis et populationibus infestabant. Per se intelligitur Veientibus odiosum fuisse munimentum illud, qui hoc et sequentibus annis iniuriam illam ulturi ferocius bellum gesserunt, quod hic tenui filo deducere non lubet; talis autem exitus fuit pugnae, quam inierunt Romani sub L. Aemilio et Kaesone Fabio proconsule, ut pacem inierint. Sed haec non placuit Tuscis, qui convenerant in consilium, nam castellum tenuerunt Romani, ergo novum bellum exarsit anno 277. Tunc antequam consul Menenius proficisceretur ad praesidium firmandum, ab hoste captum est deletis Fabiis omnibusque qui illud tenebant.

Quae fama quomodo eundo creverit et prave a posteris decantata fuerit, vix opus est ut dicam. Magnam fuisse cladem dubio non est obnoxium, imo probari potest ex eo, quod porta Carmentalis, qua exierant Fabii cum suis ab illius expeditionis tristi eventu *Sceleratae* nomine induta fuerit, et nefas videretur magistratibus per illam exire; fieri potest, ut alia quaedam religio huic portae adhaeserit, sed facile credam ab hac clade portam illam male ominatam fuisse. Sic enim dies quoque, quo clades acciderat in perpetuum luctuosus fuit, et inter atros relatus est [1]. Idem nempe fertur [2] a. d. xv kal. sext., quo ad Cremeram Fabii caesi sunt et postea ad Alliam foede pugnatum est, unde notatus est Alliensis nomine. Forti tribuere, quod duae clades eodem anni die acciderint, aliquanto nimium est, etiamsi huius rei similia exempla servavit Plutarchus [3]; quis enim non agnoscit hoc ignoran-

1) Dio Cass. fr. 21. 3; App. *Ital.* 6. 2) Liv. VI. 1; Tac. *H.* II. 91; Macrob. *Sat.* I. 16; Plut. *Cam.* 19. 3) *Cam.* 19.

tiae Romanorum documentum, unde error facile ortus esse potest propter cladium similitudinem. Equidem Ovidium [1] hac in re sequi malo, scribentem Fabios idibus februariis, tertio die ante Lupercalia, cecidisse; non enim nobis sumere licet, ut Niebuhr [2] fecit, poetam, qui carmen historicum condet quale Fastorum opus, errasse in diebus illis et permutasse diem quo Roma profecti sunt cum die quo clades accidit; contraria opinio longe verisimilior est, Ovidium veram famam servasse in optimo quoque kalendario obviam, dum in annalibus obliterata esset ab historicis et in diem Alliensem translata propter rerum similitudinem. Quae si cui forte non placet, reputet quaeso, quae Licinius Macer de hac ipsa re tradidisse fertur a Livio [3], principium nempe fuisse ea quoque clade, quae ad Cremeram accepta est, curiam Fauciam, quae duabus cladibus insignis erat, captae Urbis et Caudinae pacis. Habemus hoc loco egregium exemplum fingendae et supplendae historiae, quod de una re constabat ad alteram referebatur; iam quid mirum ominatum diem propter Alliensem cladem, eundem ut curia ista ob Cremerensem quoque nefastum videri historicis. In fastis nefastisque diebus Romanos olim non satis accurate versatos esse constat, sacerdotes harum rerum scientiam sibi tantum diutissime reservarunt, inde vaga quaedam notitia ad populum pervenerat, qui ut hoc exemplum afferam ex Macrobio [4], tenebat memoria regem Servium nonis esse natum, sed qui ignorabat cuiusnam mensis, ita ut religionis causa singulis nonis eum coluerit; sic religio quaedam obstabat diebus postriduanis ob causam credo, quae ex una tantum clade originem trahebat. Quae *de die Alliensi* Fr. Lachman disputavit, inspicere non licuit, ingeniosa videntur nec vero meam opinionem convellant.

---

1) *Fast.* II. 195, 267. 2) *R. G.* II. 222 n. 441. 3) IX. 38.
4) *Sat.* I. 16.

Simillimum rerum eventum in hac clade quam in Alliensi ferri, in eo quoque cernitur, quod post pugnam illam adversam hostes Romam ipsam, quam nil amplius defendebat petiverint, Ianiculum [1] ceperint, et tunc quoque Roma a Tuscis obsessa fuisset, ni consul Menenius ex Volscis revocatus, qui aberat τριάκοντα σταδίους [2] (unam horam et quartam), ad Spei et ad portam Collinam aequo Marte pugnasset, denique sequentis anni consules Veientes fudisse feruntur.

Utraque res accidit ducibus Fabiis; sic enim locum explicare conabor de trecentis illis Fabiis, qui ad unum omnes eiusdem familiae fuisse et nobili morte interiisse feruntur, ita ut actum esset de tota gente, nisi puer admodum iuvenis Romae relictus esset, unde stirpem ducunt omnes qui postea vixerunt in gente nostra. Constans [3] nempe fama est omnes, qui ad Cremeram praesidium illud tenebant, hostili gladio telove interemtos numero trecentos sex, quos poetae aliique [4] metri aut negligentiae causa ad trecentos reduxerunt. Nimium videbatur et recte omnino hos omnes ad eandem gentem pertinuisse, hinc numerus explicatur, quod turba clientium Fabios secuta esset, hinc Fabia gens suo sumtu bellum Veiens suscepisse credebatur, hinc aerarium traditur non amplius sufficere potuisse magnis expensis bellicis, quae quotannis postulabat gens bellicosa nonnihil, hinc Fabia gens prae ceteris omnibus tot clientes habuisset, hinc eius merita ad coelum tolluntur, sed omnia huiuscemodi male in historiam pedem intulerunt, si quidem nituntur pravae illius famae explicatione. Quid enim significet apud Ovidium [5], ubi Romulus

---

[1]) Liv. II. 51. [2]) Dion. Hal. IX. 23. [3]) Liv. II. 50; Dion. Hal. IX. 22; Zonar. VII. 17; Ovid. *Fast.* II. 196; Oros. II. 5; Aur. Vict. *V. I.* 14; Gell. XVII. 21. [4]) Ovid. *Fast.* II. 203; Sil. Ital. II. 4, VI. 637, VII. 46; Flor. I. 12 § 2; Eutrop. I. 16; Sen. *Benef.* IV. 30; Plut. *Cam.* 19; Diod. Sic. XI. 53. [5]) *Fast.* II. 377.

»indoluit *Fabios* potuisse
»vincere, Quinctilios non potuisse suos."

accurate, ut solet, et eleganter interpretatus est Perizonius[1]: non ad unum omnes illo loco intellige Fabios, sed eos qui duce Fabio erant, ut eos, qui sub Quinctilio non vicerant; sic clade Cremerensi interierunt ad unum omnes qui duce Fabio, imo ducibus Fabiis Kaesone et Marco illud praesidium defendebant. Quae explicatio si vera est, non opus est, ut sumamus totam gentem interiisse, cui famae tum plura alii obstant, quae Dionysius scite affert, tum puer ille de quo statim dicam. Neque tanta clientium turba fuerit necesse est, cuius rei hoc unicum exemplum afferri solet; neque tunc iam adeo excreverat gens nostra, e qua duo tantum vivebant consulares quorum alterius tantum proles constat. Neque suo sumtu locum muniverunt, opinor, quod illorum auspiciis imperioque peractum contendo; neque aerarium deficiebat, quum stipendia nondum pendebatur, et praedae pars bellici laboris praemium erat. Fertur quidem alterum in antiqua historia Romana exemplum belli privato sumtu a Coriolano nempe gesti, sed alias quoque ob causas expeditio ista absurda est; quis enim credat Coriolanum a suis damnatum benigne exceptum esse ab Antiatibus, quorum agros foede depopulatus erat anno ante; quam difficultatem Dionysius[2] sensit et statim nullo negotio declinat inducens Coriolanum longiore oratione verba facientem ad Antiates »de humanae fortunae inconstantia necnon de calamitatibus, quas ipse perpessus esset," qua oratione Antiatum animos permulsisse eum nemo hercle credet. Niebuhrius[3] deinde me non habet assentientem, ubi suspicatur Kaesonem Fabium post victoriam de Aequis reportatam Romam rediisse, ibique quum frustra patrum animos de lege agraria sibi conciliare conatus erat, cum tota gente sua volunta-

---

1) *Animadv. Histor.* I. 195. 2) VIII. 5—8. 3) *R. G.* II. 219 sqq.

riam secessionem instituisse, quae apud Graecos magnis urbibus initia fuerunt. Primo Italicorum huius rei exempla desidero, nam quod ille attulit de secessione in montem Sacrum aliter explicandum videtur; neque libera urbs nasci potuisset iis potentibus proxima, quos fugerant, ut commoda quaedam nanciscerentur; mox a potentioribus patriciis colonia ista libera scilicet redacta esset in duriorem servitutem. In hanc eandem sententiam nunc video a Lewis [1] quoque esse disputatum. Tum si tota gens voluntarie attamen irata solum verterat, cur solus relictus esset consulis filius? Denique ipse trecenarius numerus huic obstat opinioni; aliunde enim numeri illi huc pedem intulerunt.

Variat fama, fuerintne τετρακόσιοι μάλιστα, ut Dionysius tradit, an trecenti sex aut trecenti; horum primus ille unde originem traxerit, non amplius latet, Niebuhrius enim recte omnino hic legionem intelligendam esse observavit, id est consulem cum legione Veios aggressum esse secundum illam famam. Potior tamen veteribus minor illa occisorum summa videbatur; trecenti sex nonnihil ex mea saltem opinione commune habent cum trecentis et septem illis, qui duce C. Fabio anno 396 a Tuscis itidem verum a Tarquiniensibus victi et trucidati sunt [2]; attamen nimium fortasse est nobis sumere famam Cremerensem ab omni parte suppletam et excogitatam a posteris. Quam ab causam praefero numerum trecenarium, qui munimento praesidiove melius convenit, coloniam volo militarem, quam ex solemni usu 300 publice deducebant et armis suis defendebant patriae optimi propugnatores. Quod si arripimus, omnia recte procedent, intelligimus cur filius non sit patrem secutus, cur non libera sed publica secessio fuerit, quae patriam defenderet hostemque arceret, quod liberae secessioni obstat omnino, nec privatim sed publice condita fuit, opinor; convenit porro cum hac opinione

---

[1]) II. 149. [2]) Liv. VII. 15.

quod Gellius addit eos cum familiis suis circumventos esse, atqui milites illos cum uxoribus liberisque Cremeram profectos esse; dummodo illud urgere liceat, nam suspicio tantum est Niebuhrii Gellium hoc ex antiquissimis annalibus habere, quod equidem historicis de suo historiam supplentibus tribuerim. Quae condita colonia etiamsi constat, noli credere, quod Pfund ingeniosius composuit, eam spectare Fabiorum peculiarem quamdam agri id est fabae culturam; praesidium militare enim nil quidquam cum hoc habet commune. Nec vero contra coloniam illam rite deductam afferas, quod nonnisi unus vel duo ex Fabiis eam deduxerint, hoc enim minoris momenti est; quidquid est, fallitur tum Pfund tum Lewis [1], ubi scribunt a tribus fratribus nostris Cremeram deductam esse, nam Quinti mors atque laudatio cadit in quartum annum ante.

Quam explicationem si ante oculos habemus et Livii Dionysiique legimus cladis descriptionem, nil quidquam absurdum superesse contendo. Restat tantum, ut dicam quomodo perierint; Tuscos Romanis, qui odiosum praesidium tenerent, insidiatos esse, non mirum est, naturae rerum consentaneae sunt insidiae, sive tunc dimiserint pecora nonnulla, quae diversa loca peterent, ut seorsim aggrederentur eos, sive alio quocunque modo. Hoc tamen unicum non placet, quod audiuntur Fabii oppressi, inermes quum erant profecti sacrorum causa, quae negligi privata vetaret religio; pia mente absque signis sine custodibus creduntur necopinato lacessiti et telis pilisque confecti. Cadat ista cladis exornatae interpretatio cum perversa opinione, quam modo explosi, quod nonnisi gens nostra rem suscepisset et sacra sua privata igitur peragere debuisset. Iam Dionysius hanc famam haud contemnendis argumentis explosit, ad quae lectorem ablegarem, nisi vidissem vel viris doctis nondum esse persuasum. Non sa-

---

1) II. 148 n. 177.

crorum causa, inquit, praesidium ad unum omnes reliquissent sine senatus consulto, nimis periculosum fuisset hercle; gentiles seniores pauci quidam sacra peragere potuissent, neque si vel Fabii arcem reliquissent, praesidium sine custodibus fuisset. Niebuhrio haec non placuere, qui de divina paee et panegyri cogitabat, quo in perficiendo quum duces interiissent, facile deletum esset praesidium. Non credo, neque Haakhii difficultatem accipio, qui Lupercalia affert, in quibus perhibet omnes Fabios sacra gerere, quod nonnisi incertis coniecturis nullo veterum testimonio nititur. Denique refellendum est, quod Pfund excogitavit, peculiarem quemdam Fabiis fuisse pugnandi morem ex sacris Fauni repetitum, quippe qui ut in Lupercalibus hic quoque nudi id est sine armis egressi feruntur solutis ordinibus, ut postea quoque Fabii ad Alliam tumultuario exercitu pugnaverunt. At supra [1] nuditatem priscam pastoriciam explicui, nec vero tunc nudi pugnarunt, fama illa ornandi causa et cladis tegendae est nata, fluxerunt ista ex historicorum ingeniis, ne igitur istis superstruamus nova alia absurdiora de sacramento Fabiis peculiari, qua in re multum a veritate aberravit ille. Haakhius quoque male coniunxit huic cladi ea, quae Ovidius de Fabiis sub Romulo oppressis cecinit; ut supra [2] iam dixi, Ovidius diversas famas illo loco miscuit, quibus cave ne admisceamus novam.

Menenius a Livio [3] fertur in ius esse vocatus atque damnatus propterea quod non tempore advenerit et Fabiis subvenerit. Hoc equidem simplicissimum in modum accipio tamquam documentum, quod ira excandescerent Romani propter gravem istam cladem. Haakhius contra plura in ea re cernit, Fabios nempe cecidisse pro patriciis ex posterorum opinione, quod mihi nimis contortum videtur. Engelbregt [4] denique recte ostendit Menenium propter legem

---

[1]) Cf. p. 13. [2]) Cf. p. 11. [3]) II. 51; Dio Cass. fr. 21. 3. [4]) P. 65.

agrariam damnatum esse, cuius rei mentio fit apud Dionysium [1], quod male ad Fabios traxerunt illi, qui veram damnationis causam nesciebant, et tamen rem explicare volebant. Erravit autem Kraft, qui in Lexico suo suspicatur Fabios a Fabriciis exitio traditos, quippe qui Fabiae genti inviderent; at Fabricii istis temporibus nulli memorantur.

CAPUT IV.

MARCUS FABIUS K. F. VIBULANUS (4).

§ 1. *Consul* I. 271.

M. FABIUS K. F. VIBULANUS [2].
L. VALERIUS M. F. VOL. N. POTITUS.

Pervenimus ad tertium e fratribus qui in primo consulatu collegam habuit L. Valerium eum, quem iam in causa Cassiana cognovimus. Fastorum editores eum propter Fastos [3] Volusi filium dixerunt eiusdem, cuius filii consules fuerunt anno 245 et 249; huic rationi anni obstant et Dionysii [4] testimonium, secundum quem fuit nepos Volusi et filius Marci consulis 249, qui quum sibi non constare videtur, si apud eum legitur [5] *ἀδελφὸς τοῦ καταλύσαντος τοὺς βασιλεῖς*, non dubito quin rescribendum sit *ἀδελφιδοῦς*, nam pater Marcus frater P. Publicolae fuit.

Quae hoc anno [6] accidisse traduntur eadem fere sunt, quae hic illic descripsimus; non sine contentione hi consules, quorum animus erga plebem non latebat, creati sunt; strenue ergo tribunis adversati sunt, quum legem agrariam movebant, quam ob causam hi delectum irritum fecerunt. Novis copiis ad supplendas legiones opus erat,

---

1) IX. 26. 2) Fast. Cap. 295, 298; Liv. II. 42; Dion. Hal. VIII. 87; Diod. Sic. XI. 31; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 3) Anni 339. 4) VIII. 87. 5) VIII. 77. 6) Liv. II. 42; Dion. Hal. VIII. 87—89.

in eum igitur locum, ubi nil poterat tribunicia potestas, extra pomoerium milites convocarunt, mulctamque absentibus dixerunt. Fabius sociis subvenit, id est adiuvit Latinos et Hernicos contra Aequos, dum Valerius rem contra Volscos gereret. Neuter vero memorandum aliquid peregit, latrocinia erant sine graviore proelio, quae omnino conveniunt cum parvis illis populis bellicosis. Denique Vestalis Oppia, (Opimia apud Dionysium audit), vitiata poenas dedit, quod vitium nonnisi per prodigia fere quotidiana apparuit, ut religiose addunt historici.

§ 2. *Consul* II. 274.

M. FABIUS K. F. *VIBULANUS II* [1].
CN. MANLIUS P. F. CINCINNATUS.

Postquam hi magistratum inierant [2], ex senatusconsulto delectum propter Veiens bellum edixerunt, quem nonnihil impediebat tribunus plebis Ti. Pontificius; huius nomen Dionysii [3] librarii Ποντοφίκιος scribere maluerunt, quam scripturam etiamsi contra analogiam editores receperunt. Patres vero benigne eius collegas appellantes irritam fecerunt intercessionem et sic duo exercitus scripti sunt, quibus Latini et Hernici duplicem militum numerum suppeditarunt, nec antea tot copiae contra hostem illum eductae fuerunt, sed ex Etruria undique hostes convenerant.

Consules seorsim castra posuerunt, ubi vero Manlii praetorium coelesti igne tactum erat, castra iunxerunt, et Tusci locum a Manlio relictum occuparunt; non abhorret suspicio divinam illam opem ab historicis religiosis ornatam, ut causae aliquid esset, ob quam hostes Romana castra tenuerint, vi et armis nempe iis potiti, sed hoc obiter.

---

1) Fast. Cap. h. a. et 289, 294; Liv. II. 43; Dion. Hal. IX. 5; Diod. Sic. XI. 50; Front. *Strat.* I. 11 § 1, II. 6 § 7; Oros. II. 5; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 2) Liv. II. 44—47; Dion. Hal. IX. 5—13; Val. Max. V. 5. 2; Oros. II. 5. 3) IX. 5.

Tusci saltem statim copias eduxisse traduntur et in pugnam Romanos evocasse, a qua sedulo illi abstinuerunt; metuebat enim Fabius, ne contumaces milites signa relinquerent scilicet, id est non satis eorum virtuti fidebat. Hoc Tuscis iurgandi praebuit materiem, nec convicia deerant, contra Romanorum animus crevit, sicut consul exspectaverat; hostes nempe castra aggressi sunt, et tunc post longiorem ad milites concionem, ut Dionysio videtur, Fabius quum militum ardorem vix retineret, iis concessit [1] pugnam inire, si iureiurando se obstringerent, nonnisi victores se ex ea pugna regressuros, quod singuli praestiterunt. Hunc igitur locum praepostere arripuit Pfund ad tuendam absurdam quandam opinionem de coniuratione, quam quum Servius [2] opponit sacramento, quod singuli, dum illam omnes simul praestent, credidit ille Fabiis hoc peculiare iusiurandum fuisse propter Servii verba »ut inter Fabios fuit"; verum spectant illa tumultum Gallicum et historiam Alliensem, contra nostro loco diserte singuli solemnia verba pronuntiasse traduntur.

Statim armis sumtis acies ita instruitur, ut Manlius dextrum cornu teneret, alterum Q. Fabius consularis, qui ut et frater Kaeso aderat, dum Marcus noster mediae aciei praeerat. Non mirum quod in eximia virtute, quae in omnibus exsplendescebat, summopere enituerit Fabium nomen, *Fabia gens;* contra miror Livii editores magistelli interpretamentum nondum expunxisse, si enim vel opus esset interpretari quid esset »Fabium nomen" explicari debuisset non cap. 45 verum cap. 42, ubi bis eodem sensu pro »Fabiis" occurrit, sed nude positum intelligitur tum nostro loco tum cap. 42, 45, 46, 49.

Tuscorum phalanx superabat sinistrum cornu, fregitque illud, qua in contentione Q. Fabius princeps nimis ferox ivit contra confertos Veientes, ita ut incautum eum hos-

---

[1]) Front. *Strat.* I. 11 § 1. [2]) *Ad Aen.* VII. 614, VIII. 1.

tium manus circumdederit, gladioque per pectus Tuscus quidam transfixerit. Huius rei simulac frater eius certior factus est, ipse ira inflatus Romanorum animos incendit, in memoriam revocando quid iurati erant; sic non sine Kaesonis ope proelium pro illa parte restitutum est. Ab altero vero cornu eadem fere fuit fortuna [1], nam superiores erant hostes et impigre milites pugnabant, quum Manlium vulneratum ex proelio cedentem viderent; Fabius tamen hic quoque rem inclinatam non sine maiore virium intentione restituit. Tusci vero utrumque consulem ictum esse credentes iam ad castra oppugnanda subsidiarios suos mittunt, quae a praesidio castrensi non satis defensa praedandi locum dederunt; quod quum Manlio nuntiatum esset, in castra rediit hostibus viam claudens. Atrocius proelium tunc gestum est in quo Manlius cecidit, et victores inde iam revertebantur Tusci, quum una porta erumpentes in Fabium incidebant, a quo victi sunt atque fusi. Sic victoria parta est, permultis caesis, dummodo ea victoria dici possit, nam tum in proelio tum ad castra superiores nonnihil fuisse Tuscos nominatim testantur; Fabius virtute sua effecit, ut proelio redintegrato Romani non devincerentur, attamen reversus nullum triumphum duxisse diserte traditur; quod equidem fortunae adversae tribuerim, Romani autem ei, quod propter fratris collegaeque mortem Fabius noluerit lauream accipere; in utroque funere exstitit noster laudator populo gratissimus tum propter victoriam, tum quod saucios milites patribus diviserit curandos sibi plurimis reservatis.

Secundum Dionysium ante duos menses se magistratu abdicavit Marcus noster vulneris causa non diutius magistratu functurus; quod si est, caruit respublica consulibus. Hinc credo Dionysium aut quem ille secutus est errasse, nam subiungit quidem sequentis anni consules ab inter-

---

[1]) Front. *Strat.* II. 7 § 11.

rege creatos esse, verum nonnisi per 10 dies duo illi, quos memorat, reipublicae praefuerunt; ad quem extraordinarium magistratum recurrendum erat, ominis causa, opinor, nefas enim videbatur comitia consularia haberi ab eo consule, quo respublica tot mala perpessa erat.

CAPUT V.

QUINTUS FABIUS M. F. K. N. VIBULANUS (5).

§ 1. *Aetas.*

»Tunc puer impubes et adhuc non utilis armis
»Unus de Fabia gente relictus erat."

Sic Ovidius eleganter cecinit, quae fama *οὔτ' ἀληθὲς ὂν οὔτε πιθανόν*, ut Dionysius dicit, ab omnibus scriptoribus [1] memoriae tradita est; noluit eam *παραλιπεῖν ἀνεξέταστον* et bonis argumentis fabellam explosit. Fieri non potest, ait, ut nulli ex iis, qui in praesidium profecti erant, liberi aut uxores essent, nam antiqua lex eos iubebat uxorem ducere sacrorum causa; fac tamen ita esse, et nullum ex iis habuisse fratrem minorem, nonne patres domi qui erant relicti *ἑκόντες τε καὶ ἄκοντες* novos filios progenuissent, ne tam nobile nomen interiret; in tanto virorum numero fieri non potuit, ut nulli teneri filii essent relicti, neque gravidae uxores, neque patres *ἐν ἀκμῇ* praeter unicum illum impuberem. Denique famam Dionysius sic explicat, ex tribus fratribus superfuisse Marco tantum iuvenem eum, qui postea adultus nulli ex hac gente par esset. Ego vero in his haerere nolo, nam aliud habeo gravissimum argumentum, quod miror multos fugisse, Fabii aetatem dico; sic enim per suasmetipsas fa-

---

1) Liv. II. 50, III. 1; Dion. Hal. IX. 22; Eutrop. I. 16; Aur. Vict. *V. I.* 14; Fest. v. *Numerius* p. 170; Ovid. *Fast.* II. 240; Serv. *ad Aen.* VI. 846.

bulas Romana fama convelli debet. Fabii perierunt anno 277, puer ille adhuc non utilis armis scilicet anno 275 Romae mansit, qui iam anno 287 adultus fungitur consulatu; quod quum annales Fastique tradunt, annis decem ante militari aetate fuerit necesse est, et si non in Cremerensi praesidio fuerit, quum a Tuscis caperetur, sub uno alterove consule eum stipendia merentem nobis sumamus, ratio antiquitatis postulat. Habet Lewis [1] quidem me assentientem legum annalium nullam rationem haberi posse illis temporibus, verum nil obstat, quominus Fabium decimo ante consulatum anno ponamus militantem in summo reipublicae discrimine; affertur quidem Valerii exemplum consulis anno aetatis 23, atqui Fabius anno 277 decem egisset et anno 287 rite consul crearetur; sed Valerii illius historia dubio nonnihil obnoxia est, in unum enim collata videntur, quae a pluribus facta sunt, nec vero mihi possum in animum inducere eum iuvenem ad summum in republica honorem creatum esse; nil nos movet, ut tale virorum desiderium fuisse credamus.

Nihil quidquam extraordinarii accidisse in Marco nostro contendo, qui ex clade Cremerensi evasit; iuvenem Romae eum esse relictum excogitatum videtur a posteris, quibus omnes gentis Fabiae interiisse videbantur, quum nonnisi milites ducibus Fabiis Cremeram condidissent. Sic omnia facillime explicantur, constabat eum paucis annis post honorem gessisse, ergo non interierat; iam causa cur non cum gente sua ad Cremeram fuisset, erat excogitanda, quae erat in promtu, eum nempe nondum aetate militari fuisse. Sed non cogitabant isti, si tam iuvenis fuisset, non potuisse eum brevi post consulatum gerere. Cadant autem omnia ista necesse est, quum arripuerimus alteram huius famae explicationem, quam supra proposui. Nec opus est igitur, ut superstitem Fabium eum fuisse

---

[1]) II. 148 n. 176.

credamus, qui teste Orosio [1] solus cladis nuntius ex praesidio vivus reversus esset; neque contortam Haakhii suspicionem arripiamus, qui famam iuvenis domi relicti coniungit cum eo, quod iuniores istis temporibus proponantur patricii revera aristocratici, atqui iuvenem illum noluisse sequi gentiles suos in liberam secessionem; neque patriam potestatem, neque alia multa hic trahamus, nam omnino opus non est, quum aliunde rem explicuerim simplicissimum in modum. Hoc magis est ex re Romana, quam Niebuhrii [2] suspicio, Fabium nempe tunc forte Maleventi degisse, quam urbem petiverat,

»postquam sumsit sibi tela Cupido"

ut est apud poetam, nam Otacilii Maleventani, ut tum dicebant, filiam duxit uxorem, magnitudine illius divitiarum inductus [3].

Huic famae nempe aliud quid obstat; quo enim tempore nullum erat connubium extra gentes, peregrina uxor ducta esse nequit. Et tamen viri docti illud negare non ausi credunt per exceptionem hoc licuisse Fabiis, quibus origo Sabina; quae explicatio omnino non placet, fac enim illud ita esse, eadem valuerit ratio necesse est in iis gentibus, quarum peregrina origo, atqui Claudii, Iulii, Servilii, Quinctii, Geganii, Curiatii, Cloelii, ceteri, peregrinas uxores ducere potuissent, si divitiis inducerentur, atqui non confarreatas iniissent nuptias, et mox patrimi matrimi sacerdotesque defuissent. At, inquit Dederich [4] Romanis fuit connubium cum finitimis et externis teste Ulpiano [5] necnon Canulei oratione apud Livium [6]; non credo, nam hic oratorie nimis exaggerata oratione dicit connubium finitimis et externis dari, id est iis, qui cives Romani facti essent ex Sabinis, ut App. Claudius fertur fuisse; nec vero Maleventani tunc erant finitimi, quibuscum nil intercede-

---

[1]) II. 5. [2]) *R. G.* II. 220. [3]) Fest. v. *Numerius* p. 170; Auct. *de nomin. rat.* § 14. [4]) P. 153. [5]) V. 4. [6]) IV. 3.

bat cum Romanis; Ulpianus vero an antiqua illa tempora annuat, dubito equidem, universe praeceptum illud positum videtur. Quas difficultates ut vitaret Madvigius [1] nomen illud corruptum in Festi codicibus descriptum contendit et alius urbis nomen esse legendum; quae reputare non possum, quin in mentem veniat alter ille Pythagoras et Tarquinius, quos Piso excogitavit, quum vulgari famae multa obstare perspectum haberet; sic illi solent, qui fabellas contemnere non audent, et per fas et nefas eas explicare et contraria concoquere malunt. Festi hac de re testimonium eo lubentius equidem spreverim, quod in eodem illo loco aliud quid legitur historiae itidem contrarium. Addit nempe ea lege Fabium nostrum Numerii duxisse filiam, ut primus qui ex ea nasceretur filius praenomine avi materni Numerius appellaretur, quod nomen antea in patricia familia numquam fuisset. Huic legi satisfactum non est, nam Fasti et classici docent Quinti filium Marcum (6) consulem fuisse anno 312, filium Quintum (7) anno 331, denique tertium Numerium illum (8) anno 333 demum, natu maximus scilicet qui fuisset. Nec tamen hic remedia desunt iis, qui nihil non interpretrari possunt; secundis nuptiis nempe perhibent isti Quintum duxisse Otaciliam; at displicent omnino exceptiones istius generis, quae mihi nondum persuadeant, nam manet difficultas peregrinae uxoris etiamsi ditissimae. Sin vero tibi aliter videtur, noli, ut Haakh et Richter posuerunt, Quintum et Numerium ex secundis nuptiis prognatos credere, nam aut lex ista de praenomine violata fuisset, aut contra annorum etiamsi leve indicium Marco et Quinto eandem matrem tribuas, quorum aetas 19 annos differt, diversam vero Quinto et Numerio, qui duos tantum annos inter se distant; ab omni parte nascuntur igitur difficultates, quas facillime tollas, si meam accipias disputationem.

---

1) *De iure colon.* p. 274.

§ 2. *Consul* I. 287.

Q. FABIUS M. F. K. N. VIBULANUS [1].
TI. AEMILIUS MAMERCUS II.

Anno ante captum erat de Volscis Antium, quam urbem maritimam ut bene tenerent Romani, coloniam illuc deducere placuit hoc anno [2], nec aliter Romani solebant. Quam rem historici cum turbis legis agrariae coniunxerunt, ita ut atrox certamen fuisse scripserint, de more supplentes alterum consulem tribunis fuisse adiutorem, patres et possessores agri restitisse, denique Fabium rem expedivisse, et Antium coloniam deductam a T. Quinctio, cui se dediderat, A. Virginio et P. Furio. Attamen haud scio an colonia militaris magno commodo esse potuerit plebi, quae agrum sibi postulabat; quidquid est, verum esse nequit quod Livius legis agrariae osor addit, statim copiam fastidium fecisse, et adeo paucos nomina dare voluisse, ut ad explendum numerum coloni Volsci adderentur. Antium enim de Volscis erat captum, quis quaeso credet inter milites, qui coloniam adversus hos ipsos defenderent, Volscos fuisse. Verum res paulo aliter se habuit, Dionysius enim tradit ex Latinis et Hernicis nonnullos dedisse nomina ad numerum explendum trecenarium; et revera ita accidere debuit, non enim soli Romani urbem illam expugnaverant, sed Latini et Hernici, quibus socii erant Romani, ergo capta urbe aequitas postulabat, ut coloni scriberentur ex illis quoque populis; ita ut Livius male rem accepisse censendus sit, ubi scribit paucos voluisse Antium proficisci, nam paucis tantum licebat, centum fortasse, dum ex vulgari instituto, quod ex rei natura sequitur, aliis quoque ius erat condendi Antium, qui in capienda urbe opem tulerant.

---

1) Fast. Cap. 289, 295; Liv. III. 1; Dion. Hal. IX. 59; Diod. Sic. XI. 74; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 2) Liv. III. 1; Dion. Hal. IX. 59.

Consules bella duo gesserunt, ut facere solebat Martia gens; Aemilius agrum Sabinum depopulatus est, quum nulli hostes inveniebantur; quinam igitur bellum illud indixerint, facile coniici potest. Fabius contra Aequos copias eduxit, qui quum mox pacem petiverunt, arbitro consule foedus ictum est, quod senatui placuit quidem, sed mox violatum est continuis in agrum Latinum incursionibus. Has ob causas tres legati sequenti anno res repetitum missi; per se intelligitur non satisfactum et novos consules in Aequos missos esse. Secundum Dionysium [1] Q. Fabius noster unus e tribus illis legatis fuisset, quippe qui foedus icerat; haud iniuria Niebuhrio [2] suspecta videtur legatio, iterata nempe ex altera, quam iniit anno 296, cuius rei exempla bene multa exstant in historia Romana; nisi forte Dionysius in hunc annum transtulerit legationem, qua bellum Aequis indictum est iussu Fabii secunda vice consulis, ut Livius illo loco descripsit.

§ 3. *Consul* II. 289.

Q. FABIUS M. F. K. N. VIBULANUS II [3].
T. QUINCTIUS CAPITOLINUS BARBATUS III.

Habemus hoc loco documentum negligentiae, qua Dionysii editores versati sunt; non urgeo quod tunc Τῖτος tunc Τίτος scripserint, verum in his: *παραλαμβάνουσι τὴν ὑπατείαν* Τίτος Κοΐντιος *καὶ* Κόϊντος Φάβιος, Κόϊντος *μὲν τὸ τρίτον ἀποδειχθείς*, id est Fabius igitur; non ita, nam sequitur Φάβιος *δὲ τὸ δεύτερον*, iam lege Κοΐντιος, ut Sylburg recte scripsit.

In tertium quoque annum [4] bellum contra Aequos extractum est; duo exercitus consulares in Algidum ducti, proelium ubi utrimque vehemens fuit, quo Aequi pulsi fe-

---

1) IX. 60. 2) *R. G.* II. 303. 3) Fast. Capt. h. a. et 295; Liv. III. 2, 3; Dion. Hal. IX. 61; Diod. Sic. XI. 77; Cassiod.; An. Nor. 4) Liv. III. 2; Dion. Hal. IX. 61.

runtur, sed aliam Romani agri partem invasisse, imo mox infesto agmine ad Urbem ruere traduntur. Quae suspicionem movent Romanos ab Aequis illo proelio esse victos, et sic profligatis Romanis summum fuisse terrorem, ut vel fatentur historici, qui addunt iustitium esse indictum, quod si locum habet, Romae aliquantisper trepidatum est. Quod deinde subiiciunt Fabium in Aequos praeda onustos incidisse impeditiore agmine incedentes, ex quibus pauci evasissent, recte Niebuhrius [1] explosit, cui assentior; quomodo enim Aequi ausi essent Romanum agrum depopulari, quorum duo exercitus ad manum erant, quod simulac consules vidissent, populationibus finem imposuissent, opinor; sicut nunc illud legitur praesertim apud Dionysium, accommodatum est ingenio Romano, sed non ita rem accidisse vix dubito. Saepius autem post cladem Romani praeda onusti rediisse traduntur, quod sic explicuerim, ut bellum sine praeda quum nullum geri posset, hoc modo pro clade indemnes facti esse ponantur. Denique hoc anno, lustrum XI conditum est.

§ 4. *Praefectus Urbis* 292 [2].

Quum ambo consules contra Volscos rem gerentes aberant, nec Urbs sine magistratu esse poterat, Q. Fabius consularis Urbi praefuit, sicut Livius tradit; apud Dionysium contra legitur *φυλάττειν τὴν πόλιν* Κόϊντος Φούριος *ἀνὴρ ὑπατικός*. Quam nominis discrepantiam propter solemnem horum scriptorum convenientiam tollere conati sunt viri docti legentes Κόϊντος Φάβιος, quam emendationem ductus litterarum α et ε ac Β et Ρ permittit, ne dicam suadet. Uterque enim de eadem re idem scripsit; Dionysius tradit delectum esse habitum omnium qui in aetate militari erant (17—60), duos exercitus adversus hostes profectos esse eorum qui 17—45 erant, tertium qui

---

1) *R. G.* II. 281. 2) Liv. III. 8, 9; Dion. Hal. IX. 69, X. 1.

45—60 erant, Romae relictum sub Quinto illo consulari; haec respondent Livianae narrationi, praefectum Urbis armata iuventute dispositisque praesidiis tuta omnia ac tranquilla fecisse, quum hostes ad Urbem appropinquare videbantur; hoc enim loco Livius iuventutem dixit iuniores.

Niebuhrius [1] rem aliter expedire voluit, observat quatuor esse solere exercitus praesertim post Urbem a Gallis captam, quorum duos educunt consules, tertius manet in Urbe sub duce quodam, quartus est urbana militia, cuius instituti species hic et illic elucet. Credit deinde pro Κόϊντος Φούριος non legendum esse Q. Fabium, verum *Sex.* Furium. At hoc non potuit sibi voluisse, nam nullus Sex. Furius hac in parte historiae occurrit, contra *Sp.* Furius, qui consul fuit 290. Aut, pergit ille, Dionysius erravit eum consularem dicens, nam Furius ille dux erat exercitus subsidiarii, non potuit Fabius Urbis esse praefectus. Verum fluctus agitasse videtur in simpulo, ut est in adagio; primo loco loquitur Dionysius de copiis τριχῇ partitis, neque opus est, ut de quarto subsidiario cogitemus, quae ratio postea demum invaluit; tertia pars copiarum anno 274 et 295 et 296 [2] in Urbe mansisse diserte traditur, cui nunc Quintus praefuit, ut uterque tradidit; quid iam simplicius quam duas litterulas mutare, ut ipsissimus noster Fabius evadat, consularis qui audit apud utrumque.

Hoc quoque anno tribuniciis actionibus respublica agitata est a C. Terentilio Arsa, qui legem promulgavit: ut Vviri creentur legibus de imperio consulari scribendis. Res ipsa extracta est, Q. enim Fabius adversatus est tribuno, eique suasit rem differre in adventum consulum. Haec Livii narratio, verior est Dionysii scribentis legem non potuisse perferri absentibus militibus. Quae lex in sequentem annum relata nos non moratur.

---

1) *R. G.* II. 139 n. 260. 2) Dion Hal. IX. 5, X. 20, 22.

§ 5. *Consul* III. 295.

Q. FABIUS M. F. K. N. VIBULANUS III [1].
L. CORNELIUS SERV. F. L. N. *MALUGINENSIS.*

Bellum ingens a Volscis et Aequis quum nuntiatum est[2], et Antii defectionem metuebant, Latini et Hernici ex foedere duas militum partes dederunt, quas cum tertia Romana Fabius eduxit Antium petiturus, de qua expeditione statim dicam.

Aequi improviso arcem Tusculanam nocte ceperant, quod non sine proditione accidere potuit, nam Livius tradit vi numquam eo subiri potuisse. Cuius rei quum nuntius Romam venit, erant enim Tusculani Romanorum socii, iisque paulo ante Capitolio obsesso subvenerant, citato agmine Fabius Tusculum pergit, ubi per aliquot menses bellatum est, donec arx recepta est, ex qua fames Aequos detraxit, qui inermes nudique sub iugum missi sunt a Tusculanis. Consul hos fuga se domum recipientes Aequos in Algido fertur consecutus, eosque ad unum omnes occidisse. Quam atrocem famam alio modo explicare malim, quam Niebuhrio [3] videtur, opinanti miseros illos non crudeliter occisos nisi violati foederis crimine noxios. Non ita ego, Romani enim Tusculanis oppidum reddiderant, in Aequos saevierant more solito nudos sub iugum missos, si maiores poenas sumere voluissent, potuissent omnino; nec opus erat iis insidias struere, quibus funditus nudi isti delerentur; contra victoriam quamdam Romanis vindicarim, quam reportavit de Aequis pars exercitus eorum, dum altera arcem obsidebat; fortasse proelium gestum est contra Aequorum exercitum, qui Tusculo subveniret, cuius proelii exitus nonnihil exaggeratus est a Romanis.

Eodem anno Antiates descisse apud plerosque auctores

---

1) Fast. Capt. h. a.; Liv. III. 22; Dion. Hal. X. 20, XI. 63; Diod. Sic. XI. 86; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 2) Liv. III. 22—24; Dion. Hal. X. 20, 21. 3) *R. G.* II. 287.

invenit Livius [1], bellum illud L. Cornelium gessisse oppidumque cepisse certum affirmare non audet, quia *nulla* apud vetustiores scriptores eius rei mentio est. Ducem Livium sequor, credens hanc quoque famam esse repetitam ex gentis Corneliae commentariis, unde in annales quosdam pedem intulit, dum vetustiores alto silentio defectionem premebant. Constat iam auctore Livio Antium non defecisse, eamque famam recentioribus deberi; quod quum ita sit, miror ipsum Livium describere potuisse, Antium legiones esse ductas a Fabio, ibique eum cum Hernicis et Latinis pugnasse contra Volscos, antequam advenissent Aequi, eosque deturbasse et castris expulisse magna praeda potitum. Cohaerent haec omnia cum defectione illius coloniae et cadunt si eam in fide perdurasse sumere licet. Dionysius vero hoc bellum post Tusculum receptum accidisse tradit, et accuratissime illud descripsit, etiamsi numquam gestum a Cornelio, qui Romae mansisse a Livio diserte fertur. Incidit nempe secundum eum in Antiates ex Ecetrano agro reversus, verum haud scio an tunc in Volscorum agrum adeo perrexerint, quum vel Tusculum erat recipiendum; urbem recepit ab Antiatibus agro praedato, omniaque ex urbe abstulit, belli auctores denique morte poenas dederunt, tunc quiete Romam reversus est. Quae si revera defecisset colonia, multo gravius in eam animadvertissent Romani, ut verbi causa anno 288 fecerant, et nonnisi magno praesidio relicto domum rediissent.

Iam habemus hic locum egregium, unde colligas quid de Fastis triumphalibus statuendum sit, quorum veneranda fides atque antiquitas cave ne tibi imponant, nam Fastorum auctores Dionysii famam pulchriorem quidem sed eo falsiorem sequi maluere quam Livium. Livius enim eos triumphasse scripsit; Dionysius vero tradit utrique consu-

[1]) III. 23.

lum triumphum decrevisse senatum, et in marmore binos incisos legimus:

Q. FABIUS M. F. K. N. VIBULANUS COS. III.	AN. CCXCIIII
DE AEQUEIS ET VOLSCEIS	... NON. MAI.
L. CORNELIUS SER. F. L. N. MALUGINENSIS PRIMUS COS.	AN. CCXCIV
DE VOLSCEIS ANTIATIBUS	IV. ID. MAI.

Fabii triumphum de Aequis haud negaverim, de Volscis valde dubito; sed de Antiatibus tunc nullus triumphus actus est, nam colonia erat Romana de qua vix triumphum duci poterat, historia Antii nullam annuit defectionem his temporibus ad bellum Gallicum usque; Cornelius denique teste Livio in Urbe mansit, non videtur ergo triumphasse; vide omnino quae de Antio scripsit Niebuhrius.

Tribunicias actiones praefectus Urbis P. Lucretius in consulum adventum distulerat, quibus tunc nova causa accesserat fama falsum testem fuisse M. Volscium in Kaesonis Quinctii causa, quam nunc non moror; tribuni quieverunt novum annum exspectantes, in quem quarto refecti sunt.

Census denique actus bellis interruptus, lustrum fuit X ab origine Urbis; auctus est numerus civium etiamsi multi pestilentia bellisque absumti erant, nam proximo lustro 104,114 fuerunt censa, nunc 117,319; de numero illo Livius et Eutropius [1] consentiunt, huius codices quidem turbas dant, sed Paeanius in Metaphrasi non discrepat, dummodo fides sit in Graeculo, qui per χιλιάδας quam per μυριάδας maluit numerare.

§ 6. *Legatus, praefectus Urbis* 296 [2].

Non diu tamen pax cum Aequis constitit, sequenti anno iterum foedus rumpunt, duce Graccho Cloelio in Lavicanum agrum nec non in Tusculanum ingressi, castra in

---

1) I. 17. 2) Liv. III. 25, 29; Dion. Hal. X. 22—24.

Algido ponunt. Tunc tres Romanorum legati missi sunt ad Aequos viri consulares omnes, Q. Fabius Vibulanus (c. 287. 289. 295), P. Volumnius Amintinus Gallus (c. 293), A. Postumius Albus Regillensis (c. 290), questum iniurias et ex foedere res repetitum. Non tamen satisfactum est, sicut exspectari poterat; imo superbum in modum Gracchus excepit legatos; statim decrevit igitur senatus Minucium consulem contra Gracchum mittere, dum Aequorum fines Nautius consul popularetur. Supra [1] verbo monui Niebuhrium recte suspicatum esse hanc legationem male a Dionysio relatam esse ad annum 288, quo prorsus idem evenisse fertur; cui suspicioni hoc quoque argumentum velim accedat, quod hoc anno omnes illi legati consulares fuerint, dum anno 288 solus Fabius consulatu functus esset; solebant nempe legatione fungi viri consulares [2]. Quum consules profecti sunt, Fabius praefectus Urbis domi mansisse auditur tertiamque copiarum partem reservasse militiam nempe urbanam; quum tamen Romanorum castra nocte ab hoste circumventa essent, Fabius partem suorum sub T. Quinctio quaestore misit ad Minucium, dum alter consul Romam arcesseretur, in quo quum parum praesidii inesse videretur, in summa rerum trepidatione placuit dictatorem dici. L. Quinctius Cincinnatus dictus est; revera dictator ab aratro, ut longe plures fuerunt, quam historicis placuerit; quatuor enim iugera sua colenti nuntium quum illi allatum est, invitus bonus agricola agrum relinquit, togam e tegurio Racilia uxor adfert, absterso pulvere ac sudore in navi publica Tiberim traiicit, dicit magistrum equitum L. Tarquitium pauperiorem, indicitur iustitium, clauduntur tabernae, quicunque aetate militari sunt, dant nomina et armati cum cibariis in dies quinque vallisque duodenis adesse iubentur; mox composito agmine dictator legiones eduxit, ma-

---

1) Cf. § 2 huius Capitis, p. 58. 2) Liv. III. 50, IV. 17.

gister equites; media nocte in Algidum veniunt, ancipiti proelio consul et dictator hostes aggrediuntur, pugnatur donec debellatum est; principes ad se duci iubet dictator et oppido Corbione decedere; nudi Aequi sub iugum missi, ex castris praeda omnis militibus data, nil Minucio concessum, qui se consulatu abdicavit sed mansit ad exercitum iussu dictatoris, quem patronum salutat coronaque aurea libram pondo ornat. Romam dictator triumphans rediit et citius abdicasset, ni comitia M. Volsci falsi testis eum tenuissent; Quinctius decimo sexto die magistratu abiit. Minucio Fabius successor missus est.

Hanc narrationem nonnihil fabulosam esse ostendit Niebuhr[1], quam verbo attingam, et sic disputabo de magistratu, quo Fabius noster hoc anno functus est. Quinque vallos secum ferre solebant Romani milites haud leve onus sanequam, quis iam credet eos transtulisse duodenos vallos praeter cibaria in Algidum ab urbe 20 millia passuum, quod spatium legiones illae armatae atque oneratae intra paucas horas scilicet decurrerunt; hostes eorum adventus vix agnoverant si Dis placet, imo statim circumvallantur per paucissimas horas. Quis non videt alio modo Minucium liberatum esse, quem hostes circumclusum tenebant, et ista omnia ficta esse atque inventa, ut ornaretur victoria de Aequis deque eorum duce Graccho Cloelio. Non enim tunc ducem illum ante currum triumphantis dictatoris Romam esse ductum ex eo constat, quod anno 311 demum captus fuerit Geganiique consulis triumphum ornaverit. Denique facta illa equidem sic expedio: Q. Fabius noster fuit praefectus Urbis, ut Livius et Dionysius tradunt, id est, eo fungebatur munere, quem anno 285 eum gerentem vidimus, et anno 274 patruus gessisse traditur[2], legatus sive pro consule, etiamsi hoc titulo non ornatus. Hinc duplex attamen diversum munus facile explicari po-

[1]) *R. G.* II. 298—303. [2]) Cf. Cap. II § 3 huius Libri, p. 32.

test, quod defunctus consulatu unus e legatis fuerit, qui res repetitum missi sunt, hunc nempe historici illuc traxerunt. Tum pro praetore, ut tunc dicebant, praeerat urbanae militiae, nisi forte haec praefectura ex praecedente repetita sit; hoc nomine saltem auxilia Minucio submisit sub T. Quinctio, quem *ταμίαν* Dionysius appellat, etiamsi quaestura militaris anno 307 demum instituta est, verum quaestor ille fuit in causa Volscii, ut Livius diserte tradit. Utrum ipse Fabius an dictator ille agrestis consulem liberaverit, conficere non audeo, suspicor tamen Fabium, dictator enim fabulis nimis obvolutus est. Vel Livius illud significat, ubi scribit Minucio successorem esse missum Fabium in Algidum, quod indicium arripio; si enim dictator hostem iam profligasset, cui rei opus erat, ut Fabius mitteretur adversus hostem scilicet oppressum? Cincinnati dictaturae, quae per paucissimos tantum dies duravit, aliud quid subest, ut annuit Livius, cohaeret nempe cum causa illa Volscii, sed incertam illam famam persequi non est huius loci.

§ 7. *Decemvir* 304, 305.

AP. CLAUDIUS AP. F. M. N. *CRASSINUS REGIL*LENSIS *SABINUS* II [1].
M. CORNELIUS L. F. *SER. N. MALUGINENSIS.*
M. SERGIUS *ESQUILINUS.*
L. MINUCIUS P. F. M. N. ESQUI*LINUS AUGURI*NUS.
T. ANTONIUS *MERE*NDA.
Q. FABIUS M. F. K. N. VIBULANUS.
Q. POETELIUS LIBO VISOLUS.
K. DUILIUS LONGUS.
SP. OPPIUS CORNICEN.
M' RABULEIUS.

Iam restat, ut de Quinti decemviratu dicam, quem locum fere intactum relinquam, quod ad magnas istas turbas attinet, quarum Appius auctor fuit, necnon quod ad le-

1) Fast. Cap. h. a. et 295; Liv. III. 35; Dion. Hal. X. 58; Diod. Sic. XII. 24; An. Nor.

gislationem, nam Fabius etiamsi a Livio [1] traditur princeps fuisse inter illos, vix quidquam memorabile gessit, neque fuit inter legum latores, quippe qui in altero tantum decemviratu occurrit, qui in sequentem annum extractus est, unde noster a quibusdam dicitur Xvir bis.

Dubitari posset, utrum hic Q. Fabius idem esset, qui iam 17 annis ante functus est consulatu, nisi apud Dionysium [2] Valerius induceretur Fabium compellans *σὲ ἐπικαλοῦμαι, Φάβιε Οὐϊβουλανὲ Κόιντε, τὸν ἐπὶ ταῖς τρισὶν ὑπατείαις κοσμούμενον.*

Populo gratus fuerat in consulatibus, quum tribunis non eum in modum obstitisset, quo vidimus de maioribus nostri; ubi vero in decemvirorum collegium allectus est, plebi invisus esse coepit, ut historici tradunt, quibus firmissima erat opinio decemviros populo odiosos fuisse; quam ob causam eius mores mutati esse feruntur. Apud Dionysium non princeps describitur in decemvirali contentione, siquidem verba facientem numquam eum induxerit, imo a Valerio invitatus ut concionem haberet, *ἐκάθητο οὐδὲν ἀποκρινόμενος.*

Nullus fere annus sine bello praeteriit apud Martium populum, neque ergo 304, quo etiamsi vix aliquid memorabile gestum sit, tamen copias decemviri eduxisse traduntur; in Sabinos Q. Fabius, Q. Poetelius, M' Rabuleius tres duxerunt cohortes; App. Claudius et Sp. Oppius cum duabus cohortibus Romae manserunt, reliquae bellum Aequis intulerunt. Sed militi deërat bellandi cupido, vix quidquam actum est, data opera scilicet vincebantur, ne istorum ducum auspiciis aliquid prospere gereretur. A Sabinis ad Eretum fusus est exercitus, per silentium noctis profugi propius ab Urbe inter Fidenas et Crustumeriam castra communiverunt; hinc terror in Urbe crevit, et patres vigilias habendas decreverunt. Nefanda facinora auxerunt

[1]) Liv. III. 35—38; Dion. Hal. X. 58—XI. 23. [2]) XI. 4.

deinde plebis invidiam, L. Siccius strenuus miles crudeliter necatus est [1] iussu decemvirorum, quibus invisus erat; huius mortis causa esse potuit, quod contumacior fuisset necnon propter egregia facta potentior, qui ne forte princeps fieret adversae factionis, interemtus est iussu decemviri nescio cuius, qui imperium in eum habebat. Stabat in Sabinis, sed sub quo e tribus decemviris militaret nescimus, hinc incertior omnino est Haakhii suspicio, qui Fabio istud crimen tribuit; nec in iis, quae inde deducit, me habet ille assentientem de praeiudicio Livii contra Fabium Fabiosque, cui rei ansam dedisset Pictor; equidem non credo, universe male audiebant omnes illi decem.

App. Claudii libido huic regno finem imposuisse fertur, fit rerum mutatio, consules de novo creantur, ab hoc inde tempore non amplius praetores appellati. Appius sibi mortem conscivit, Oppius in iudicium vocatus sibi finem vitae fecit, bonis eorum publicatis; ceteri collegae damnationis causa solum verterunt, quorum bona itidem publicata suspicor. Sic Fabius extra patriam, quam saepius strenue defenderat, diem obiit supremum; sed filii eius Romae manserunt, quos mox videbimus strenue rempublicam administrantes; nam non solebant Romani in filios quoque animadvertere, quum patres poenas darent vel gravissimis de sceleribus, semel tantum tale quid sub Sulla accidisse recte observat Dionysius [2].

CAPUT VI.

MARCUS FABIUS Q. F. M. N. VIBULANUS (6).

§ 1. *Genealogia.*

Ex certa coniectura erui potest huiusce pater, nam solus Quintus (5), de quo modo vidimus, ex clade Creme-

---

[1]) Liv. III. 43; Dion. Hal. XI. 25—27. [2]) VIII. 79.

rensi superstes fuisse credebatur, cui rationi convenit annorum decursus inter eorum consulatus, 287—312, qui unam indicat generationem, non opus est igitur, ut eum Quinti illius fratrem sumamus, nam in Fastis [1] fratres eius Quintus (7) et Numerius (8) itidem Q. f. M. n. audiunt; denique tres illi (9, 10, 11) tribuni militum anni 364 fuerunt M. f. Q. n., atqui nostrum patrem habuerunt, qui filius fuit igitur decemviri.

§ 2. *Consul* 312.

M. FABIUS Q. F. M. N. VIBULANUS [2].
POSTUMIUS AEBUTIUS ELVA CORNICEN.

Pax fuit hoc anno [3] domi forisque, vix memorabile quid consules gessisse inde sequitur. Huius rei causa fuit sine dubio victoria de Volscis anno ante reportata, quum Cloelius revera in triumpho ante Geganii currum ductus est. Quiescebat ergo respublica, nam non sine ingenti labore debellatum erat de istis, quod etiamsi historici non ita tradiderunt. Bello illi ansam dederat discordia Ardeatium, quibus Romani subvenerunt; quae civitas quum intestino tumultu ad paucos esset redacta, senatui placuit colonos Ardeam praesidii causa adversus Volscos scribere; tresviri ad coloniam deducendam, qui erant creati, plebem offenderunt neque patribus accepti fuerunt, multo maior pars Rutulorum quam Romanorum colonorum scripta est.

Haec Livius, sed quis non videt rem illam paulo aliter se habere, quam ego mihi sic in animum induco: non sufficiebat praesidium, quod Romanis favebat, ad opprimendos eos, qui ad Volscos inclinabant, quum bellum ad finem esset perductum. Senatui placuit igitur praesidium supplere, id est novos colonos deducere et sic

---

1) Anni 338, 347. 2) Liv. IV. 11; Diod. Sic. XII. 34; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 3) Liv. IV. 11; Diod. Sic. XII. 34.

firmare locum; ergo longe plures Rutuli, in quorum agro urbs illa sita erat, nomen dederunt, quam Romani, quorum paucis tantum eo proficisci ius erat, hinc illae lacrimae et fama IIIviros populo non fuisse acceptos.

§ 3. *Legatus* I. 317 [1].

Consulibus L. Sergio Fidenate, M. Geganio Macerino III Fidenae colonia Romanorum ad Lartem Tolumnium Veientium regem defecerunt; quo anno, etiamsi, ut Niebuhr [2] recte observat, Romanorum legati a Veientibus non occisi sunt, tamen gravius bellum fuisse evincit dictatura Mam. Aemilii. Hic nempe copias eduxit cum legatis Quinctio Capitolino et M. Fabio Vibulano, quorum res fortiter gestas sub auspiciis dictatoris persequi non lubet. Fabius autem praesidio castrensi praefuit, nec frustra, nam quum pars hostium ea aggrederetur, sustinuit eorum impetum, et cum triariis egressus repente in eos invadit, ita ut magna fuga elapsi sint.

§ 4. *Tribunus militum* 321.

M. FABIUS Q. F. M. N. VIBULANUS [3].
M. FOSLIUS FLACCINATOR.
L. SERGIUS C. F. C. N. FIDENAS.

Hic fuit primus e Fabiis, qui functus est tribunatu militum consulari potestate, de quo magistratu quae nova viri docti proposuerunt, hic neque repetere neque refellere lubet, maxime autem placet accurata disputatio, quam nuper edidit O. Lorenz [4].

Pestilentia hoc anno [5] aliarum rerum otium praebuit; multa IIviri fecerunt ex libris placandae deum irae avertendaeque pestis causa; frustra, multi in Urbe et in agris absumti sunt, necnon pecora; frumentum ex Etruria,

---

1) Liv. IV. 17, 19. 2) *R. G.* II. 314. 3) Liv. IV. 25; Diod. Sic. XII. 58; An. Nor. 4) *Ueber das Consulartribunat.* 5) Liv. IV. 25.

Pomptino agro, Cumis, Siciliaque arcessitum esse traditur. Denique pro valetudine populi aedes Apollinis hoc anno vota est, quam anno 323 C. Iulius consul dedicavit [1].

§ 5. *Legatus* II. 325 [2].

Gravius quum instabat bellum contra Aequos et Volscos, consulibus T. Quinctio C. Iulio, dictator A. Postumius Tubertus dictus est, cui L. Iulius magister equitum fuit. Hi castra posuerunt Tusculi, Quinctius Lanuvii, cuius castra quum hostes noctu adorti essent, extemplo dictator ei misit subsidia; Q. Sulpicium legatum (tribunum anni 320) suis castris praefecit, ipse hostem invadit, equitibus M. Fabio legato adsignatis. Contendo Marcum nostrum intelligendum esse, nam legati esse solebant viri consulares aut tribunicii. Acerrime pugnatum est, multi vulnerati, inter quos Fabius quoque, cui femur prope adfixum est equo.

§ 6. [*Tribunus militum* 363 [3].]

Sequitur, ut de Diodori errore moneam in loco de legatione filiorum (9. 10. 11) Marci nostri. Horum unus orator missus Clusium pugnaverat contra Gallos, quibus illius deditionem petentibus quum nollet recusare senatus, venerandus pater id est hicce Marcus ad populum provocavit; *ὁ πατήρ*, scribit Diodorus, *τοῦ μέλλοντος παραδίδοσθαι τῶν χιλιάρχων εἷς ὢν τῶν τὴν ὑπατικὴν ἐξουσίαν ἐχόντων ἐπὶ τὸν δῆμον προεκαλέσατο.* Fuit ergo Quinti pater tribunus hoc anno; at ipse Diodorus [4] huius anni *τέτταρας* tribunos enumeravit: L. Lucretium, Serv. Sulpicium, C. Aemilium, C. Rufum.

Procul dubio Diodorus invitus lapsus est; volebat sibi Fabium virum fuisse qui multum in republica pollebat et

---

1) Liv. IV. 29. 2) Liv. IV. 27, 28. 3) Diod. Sic. XIV. 113.
4) XIV. 107.

tribunicius erat, non vero *tribunus*, quae difficultas tolleretur dummodo pro ὤν participium aoristi rescribi posset; errorem non librariis tribuerim sed Diodoro, qui oscitanter vertit tribunum militum consulari potestate, ubi tribunicius erat inducendus.

§ 7. [*Pontifex maximus* 364 [1].]

Inter fabellas, quae ad cladem Gallicam exornandam excogitatae sunt, unam prae paucis respuit Livius, cur iam isti fidem habebimus? »Sunt qui, inquit, M. Fabio pontifice maximo praefante carmen tradunt senes in atriis se devovisse pro patria quiritibusque Romanis," ubi obiter monendum est emendandum esse »pro *populo Romano Quiritium*" ex solemni formula [2].

Plutarchus hoc apud Livium legens statim arripuit ad senum interitum illustrandum. Ego vero neque senes se devovisse credo, neque Fabium nostrum tunc temporis vixisse suspicor. Venerandi illi senes non poterant scire sibi ultimum illuxisse diem, de devotione autem tum sermo esse potest, ubi voluntaria morte Romanus se hosti obiecturus est, ut Deciorum exemplum, aut certae morti obviam eunt, ut M. Curtius. Postea illud excogitatum videtur, sciebant enim posteri multos senes periisse in clade Gallica, qui ut rite morientes describantur, se devovisse finguntur a posteris, et mox devotionis carmen aliunde petitum adstat. Livius historiolam recte respuit, nam quem quaeso annum egisset bonus noster Fabius; fuit trium tribunorum pater, consulatu functus est anno 312, tribunatu 321, ergo circiter 270 natus, et hoc anno 364 devotioni adfuisset 94 aetatis anno, cuius aetatis exempla nulladum invenire potui in historia Romana; iam hoc quoque per exceptionem esset explicandum. Hoc eo-

---

1) Liv. V. 41; Plut. *Cam.* 21. 2) *Mnemos.* I. p. 95 et 96; cf. Liv. VIII. 9, IX. 10, X. 28.

dem argumento potueram Diodori tribunatum respuere, sed non opus erat, quum iam ex illo ipso res confici posset. Viri docti, qui famam etiamsi absurdam concoquere malunt, quam audacter spernere, cogitarunt de alio M. Fabio, nempe de consule anni 373 (15); nolite tamen in horum sententiam pedibus ire, nam pontificatu maximo fungi non potuit is, qui decimo anno post demum ad consulatum pervenit. Praestat cum Livio fabellam totam abiicere.

Nec vero suspicionem premere possum, quod ad Marci nostri mortem attinet; si iam propter aetatem nimis provectam non credo eum senibus adstitisse nonagenarium, inde sequitur in dubium vocandam esse eius provocationem pro filio anno ante; cuius rei hoc argumentum addere lubet, admodum verisimile esse provocationem illam in Marci historiam pedem intulisse ex Rulliani patris (13) repetita, ubi nulli dubio obnoxia est [1]; denique pono Marcum diem obiisse supremum breve post alteram legationem anni 323, quum in proelio contra Aequos et Volscos eius femur equo adfixum esse diserte traditur.

CAPUT VII.

QUINTUS FABIUS Q. F. M. N. VIBULANUS (7).

§ 1. *Consul* 331.

Q. FABIUS Q. F. M. N. VIBULANUS [2].
C. SEMPRONIUS A. F. A. N. ATRATINUS.

His consulibus [3] grave bellum Volscum imminebat, nam indutiae in octo annos datae anno 324, nunc praeterlapsae erant, ut recte demonstravit Niebuhrius [4]; annis deni tantum menses erant, atqui 80 illi menses sive 6 anni et

---

[1]) Cf. Lib. VII. Cap. I § 3. [2]) Fast. Cap. 338; Liv. IV. 37; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. [3]) Liv. IV. 37—41. [4]) *R. G.* I. 310 seqq.

8 menses post annum 324 quum praeteriissent, iam hoc anno bellum de novo instabat, quod aliter anno 334 demum potuisset incipere. Provincias ita sortiti sunt consules, ut Fabius domi maneret, stationem ante portas agens, dum Sempronius bellum gessit satis temere ac negligenter ad Verruginem, ubi strenue [1] pugnatum est et perparum a clade abfuit.

§ 2. *Tribunus militum* I. 338.

Q. FABIUS Q. F. M. N. VIBULANUS [2].
A. SEMPRONIUS L. F. A. N. ATRATINUS III.
M. PAPIRIUS L. F. MUGILLANUS II.
SP. NAUTIUS SP. F. SP. N. RUTILUS II.

Hoc anno [3] tribunatum primum gessisse Fabium docet Diodorus et Livius, qui scribit [4] anno 340 eum altera vice tribunatu fungentem, unde sequitur Livium memorasse priorem quoque tribunatum, verum per librarios non licuisse ut legeretur; suppleri debet auctoribus Fastis, Diodoro, ipsissimoque Livio, cuius textui tandem reddatur, nam frustra viri docti in notis suis eum revocarunt.

Tranquillae res externae fuerunt, discordia domi ex agrariis legibus, quas, ut sibi vult historia, consilio App. Claudii decemviri nepotis vitarunt perliciendo ad intercessionem quoslibet tribunos; quod ubi factum est, latores rogationis actionem deposuerunt, ut ager ex hoste captus viritim divideretur.

§ 3. *Tribunus militum* II. 340.

Q. FABIUS Q. F. M. N. VIBULANUS II [5].
P. POSTUMIUS A. F. A. N. ALBINUS REGILLENSIS.
L. VALERIUS L. F. P. N. POTITUS.
CN. CORNELIUS A. F. M. N. COSSUS.

Apud Diodorum audit noster Καίσων adversantibus Fas-

---

1) Val. Max. III. 2. 8, VI. 5. 2. 2) Fast. Cap. h. a.; Liv. IV. 47; Diod. Sic. XIII. 9; An. Nor. 3) Liv. IV. 47, 48. 4) IV. 49.
5) Fast. Cap. h. a.; Liv. IV. 49; Diod. Sic. XIII. 38; An. Nor.

tis Livioque [1], quod urgere nolim. Bellum adversus Aequos gessit Postumius, qui post leviora proelia oppidum Bolas cepit. Nil quidquam ex manubiis militibus concessit, tribuni vero agrum recens captum populo vindicare cupiebant, hinc invidia apud milites crevit, in quorum contumaciam quum acrius saeviret Postumius, lapidibus eum obruerunt eiusmet ipsi milites [2]. Quaestionem de atroce tribuni nece decrevit senatus, sed quum patres metuerent, ut populus in comitia conveniret, et oligarchica illa pars reipublicae consules creare mallet, eo tenderunt patres, quod et factum est.

§ 4. *Interrex* 340/341 [3].

Videntur mihi patres perfecisse, ut consules id est patricii magistratus crearentur, non iniuria militibus irati propter Postumii mortem. Tradit Livius Q. Fabium Vibulanum *interregem* habuisse comitia, qua in re, nisi pro Q. legendum sit N., Livius fallitur; sibi voluit nempe Q. Vibulanum non Q. Ambustum (9), consulares enim aut tribunicii prodi solebant interreges. At est contra naturam huius muneris, ut unus ex tribunis proderetur et comitia haberet, quibus recte praefuisset idem ille tribunus dum esset. Quid sentiam de hac re verbo dicam, Livius mihi videtur alicubi invenisse comitia esse habita a Fabio, nam erat unus de tribunis, quem idem ille inducit custodem religionum, legum, comitiorum, cet., id est civili parte consularis muneris fungebatur, atqui comitiis praefuit, quod quum non satis ubique distinxit, eum dixit interregem; saepius enim consules si denuo creabantur nec tribuni, interrex vel dictator comitia habuisse fertur, quae magistratuum mutatio quum hoc quoque anno locum habuerit, interrex hinc natus esse videtur. Potest enim sic

---

1) Liv. IV. 49, 50; Diod. Sic. XIII. 42. 2) Zonar. VII. 20.
3) Liv. IV. 51.

facillime res expediri; nec omen obstabat, nec tribunus aberat. Fieri tamen potest, ut pro Quinto frater Numerius rescribendus sit.

In huius vita describenda finem faciam Bährium carpens, qui nostrum cum fratris filio Q. Ambustum (9) misere miscuit, unde multi errores nati sunt, quos percurrere non lubet.

CAPUT VIII.

NUMERIUS FABIUS Q. F. M. N. VIBULANUS (8).

§ 1. *Consul* 333.

N. FABIUS Q. F. M. N. VIBULANUS [1].
TI. QUINCTIUS TI. F. CAPI*TOLINUS BARBATUS*.

Fabio provincia evenit bellum contra Aequos [2], quod etiamsi ita gessit, ut nil dignum memoratu actum sit, tamen Romanis videbatur rem satis prospere gessisse, siquidem ei concessum est, ut ovans Urbem introiret, nam Aequos fugaverat. Non quatuor albis equis praeeunte senatu [3] sed uno tantum deductus est ad Capitolium ab equitibus myrtea corona ornatus [4], nec tauros sacrificavit sed ovem, unde hic minor triumphus nomen duxit; non enim sic dictus est a clamore, quem redeuntes victores illi laetantes faciunt, geminata [5] littera O! quotvis enim geminaveris, nondum *ovatio* inde evadit.

Fabii consulatus alio quoque nomine innotuit; magna nempe orta est discordia inter plebem ac patres de numero quaestorum duplicando, ut praeter duos urbanos quaestores duo consulibus ad ministeria belli praesto essent; nam quum pluribus iam opus esset magistratibus, plebeii ex suo ordine quosdam creandos esse perhibebant,

---

1) Fast. Cap. h. a. et 347; Liv. IV. 43; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 2) Liv. IV. 43. 3) Serv. *ad Aen.* IV. 543; Plut. *Marc.* 22. 4) Plin. *H. N.* XIX. 29; Gell. V. 6; [Fest.] Paul. v. *Ovalis corona* p. 195. 5) [Fest.] Paul. v. *Ovantes* p. 195.

nec iniuria, nam pertinebat ad eorum munus praedam vendere, quae saepius turbis ansam dederat, ut passim Livius tradit. Satis diu contentio illa duravit, ita ut res ad interregnum redierit, quum comitia essent habenda. Tandem L. Papirius res ita composuit, ut patres concederent tribunos militum creare, et plebs ut promiscue quatuor fierent quaestores, id est ut posset unus et alter ex plebe fieri quaestor; primum illud accidit anno 345.

Niebuhrius [1] opinatur eos numero auctos esse propter tributa tunc instituta et stipendium de quo agebatur; at diu post demum hoc fertur respublica pependisse, anno 348.

Adversatur huic quaestorum institutorum narrationi Taciti [2] locus: »creati quaestores primum Valerius Potitus et Aemilius Mamercus LXIII anno post Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur." Quod Niebuhrius huic loco subesse credit vestigium mutationis cuiusdam, ex qua quaestores parricidii in centuriatis crearentur comitiis, cecidit iam propterea, quod hanc de creandis quaestoribus opinionem exploserint viri docti [3]. Aliud quid accidit; si enim nomina magistratuum praeter consules servata sunt, causa adest cur illa tradantur, vulgo propter mutationem quamdam; iam Valerius Potitus et Aemilius Mamercus si primi quaestores fuerint, ad alios quoque adscendissent magistratus, et sic eorum memoria ad nos pervenisset; frustra tamen eos inquiras post hunc annum, imo diu ante vixisse apparet duos illos in consulatu collegas anno 284, quum extraordinarium aliquid accidit, plebs enim tunc lege Publilia frui coepit, ex qua tributim creati sunt tribuni plebis numero aucti. Hanc ob causam nomina illa Tacito innotuerant, qui varias res misere miscens in iis quoque fallitur, quae subiungit: creatos esse quaestores, ut rem militarem comitarentur, deinde duos esse additos, qui gliscentibus negotiis Romae manerent.

---

1) *R. G.* II. 484. 2) *Ann.* XI. 22. 3) Becker, *Röm. Alterth.* II. II. 341.

Haudquaquam verum est, sana ratio contrarium rerum ordinem suadet, quem historia evincit, duos nempe aerario Romae praefuisse et postea demum auctis muneribus, stipendium ut solverent militibus, duos accessisse, qui consules comitarentur. Quum Tacitus ergo de quaestoribus locum adeo male perspectum habuerit, non est cur alterum errorem ab illius ingenio alienum ducamus.

§ 2. *Tribunus militum* I. 339.

N. FABIUS Q. F. M. N. VIBULANUS [1].
Q. QUINCTIUS L. F. L. N. CINCINNATUS.
P. CORNELIUS A. F. *P. N.* COSSUS.
C. VALERIUS L. F. VOLUSI N. POTITUS VOLUSUS.

Diodorus huius priorem tribunatum Γαΐῳ tribuit, non recte, ut docent Fasti. Nostri magistratus [2] innotuisset duobus assiduis bellis contra Veientes et Aequos, ni Veiens bellum distulisset nobilium religio, quorum villas et agros Tiberis super ripas effusus vastaverat. Sic Livius nobis et fortasse sibimet ipse imposuit per istam religionem; vera causa fuit, quod 20 annorum indutiae nondum praeteriissent.

Aequi quum triennio ante maiore clade affecti essent, nunc Bolanis auxilium ferre non poterant, ut illi exspectaverant; nam in confinem agrum Lavicanum, quem novi Romanorum coloni tenebant, irruperant suorum auxiliis freti; quae quum non submitterentur, facili negotio Bolae et agri capti sunt. Sequenti anno Aequi receperunt Bolas, quibus Romani non imposuisse videntur praesidium. Huius rei causam Livius de more non recte tradidit, scripsit nempe unum de tribunis tulisse, ut coloniam Bolas deducerent, sed intercessisse collegas, qui nullum plebiscitum nisi patribus auctoribus perferri se passuros dicebant; non credo hoc subesse, nam non satis de Aequis erat debellatum, ut iam colonia fieret, suppleta sunt ista et historiae adversantur.

---

1) Fast. Cap. h. a. et 347; Liv. IV. 49; Diod. Sic. XIII. 34; An. Nor.
2) Liv. IV. 49.

§ 3. *Tribunus militum* II. 347.

N. FABIUS Q. F. M. N. VIBULANUS II [1].
C. VALERIUS L. F. VOLUSI *N. POTITUS VOLUSUS II.*
L. FURIUS L. F. SP. N. *MEDULLINUS.*
C. SERVILIUS P. F. Q. N. STRUCTUS *AHALA II.*

Hoc anno [2] finis fuit indutiarum cum Veiis, quae anno 329 in viginti annos id est [3] in 200 menses sive 16 annos et 8 menses datae erant, itaque versus finem anni 347 de novo bellum movere licebat, dummodo indiceretur. Mittuntur ergo res repetitum nescio quas *legati fetialesque*, ut nunc legitur, sed alterutrum abundat, in codicibus deëst coniunctio, apparet iam irrepsisse glossa, equidem expunxerim *fetialesque.*

Veii a senatu impetrarunt, ne contra discordia laborantem populum bellum susciperetur; neque alieno incommodo Romani uti voluerunt. Sic historici, verum equidem suspicor veram causam latere in indutiis sub finem anni demum praeterlapsis, ita ut vix operae pretium esset, ut huius anni tribuni bellum susciperent, quod in sequentem annum differre placuit. Porro non crediderim Romanos adeo magnanimos fuisse, ut alienis incommodis uti noluerint scilicet; pulchrum istud virtutis Romanae documentum historicis debemus, qui explicarent cur nondum inimicitiae coeperint, etiamsi tempus illud sinebat, revera enim gens bellicosa non sic agere solebat.

In Volscis clades accepta est, Romanorum praesidium tenebat Verruginem, quam hostes obsesserunt et ceperunt; sero subsidia missa sunt, iam actum erat de praesidio.

---

1) Fast. Cap. h. a.; Liv. IV. 57; Diod. Sic. XIV. 3; An. Nor.
2) Liv. IV. 57, 58; Diod. Sic. XIV. 11. 3) Niebuhr, *R. G.* I. 314.

LIBER II.

FABII AMBUSTI.

CAPUT I.

QUINTUS FABIUS M. F. Q. N. AMBUSTUS (9).

§ 1. *Cognomen.*

Hic novae familiae locus est, primi enim Ambusti cognomine ornati sunt tres illi fratres (9, 10, 11), quorum maximus natu hicce Quintus, ut paucis evincere conabor. In multa alia viri docti discesserunt, sed mea opinio Ambusti vocabuli explicatione praesertim nititur. Ambustus nempe apud veteres is translate dicebatur, qui gravi crimine (capitali, ut quibusdam videtur) accusatus vix iudicio elabitur; hoc docet Livii [1] locus: »L. Aemilius Paulus, qui cum M. Livio consul fuerat anno 535, et damnatione collegae et sua prope *ambustus* evaserat;" quae accusatio qualis fuerit propter Livianae decadis secundae interitum latet. Certant interpretes utrum idem illud subsit verbis Ciceronis [2]: »huius ambusti tribuni plebis intermortuae conciones", ad quem locum Asconius [3] annotat: »T. Munatii Planci, qui quum concionaretur eo ipso tempore, quo propter crematum Clodii corpus curia conflagravit, non prius destitit, quam flamma eius incendii fugatus e concione"; videtur ergo constare eos vera flamma prope ustos sive ambustos discessisse, nec

[1]) XXII. 35. [2]) *Pro Mil.* 5 § 12. [3]) Pag. 43, ed. Or.

vero a Ciceronis ingenio abhorret, ni fallor, si hoc vocabulo non sine aculeo usus esset; scio quidem Plancum post plures menses demum accusatum esse imo damnatum, sed odiosum vocabulum e re Tulliana sive Miloniana erat omnino. Porro locus ex oratione [1] quae Ciceronis non est: »quum Clodium ambustum religiosissimis ignibus cognovi", extra censum maneat; neque huc trahendus est locus [2] ignoti auctoris: »qui ambustas fortunarum mearum reliquias suas in domos comportari iuberent", nam nullus sermo fit accusationis neque absolutionis, ut recte perspexit Forcellinus, reliquiae re vera ambustae intelligantur. Sequitur ex his omnibus metaphoricam huius verbi significationem non adeo tritam esse, quam multis videtur, qui male quatuor istis locis firmabant Ernestii interpretationem; equidem vel in dubium vocaverim, an semper causa capitalis subsit.

Quidquid est, Facciolato non assentior scribenti ignota de causa Q. Fabium eiusque fratres hoc accepisse cognomen, nam re vera fertur in ius esse vocatus, quod cum Gallis pugnaverat contra ius gentium, ex Romanorum saltem opinione; ex hoc periculo evasit, ut statim videbimus, postquam ad populum res esset delata. Convenit ergo illud etiamsi non omni nomine cum vocabuli ambusti significatione; quod cognomen iis adhaesit propterea, quod res illa satis gravis fuerit, nam numquam antea senatus consultum, ut ferunt, a populo erat antiquatum. Apud Livium et Diodorum legimus quidem unum tantum de tribus fratribus in ius vocatum esse, sed facile credam tres illos, qui Clusium missi erant, sic iudicio evasisse propter unius absolutionem atqui hoc cognomine ornatum esse non tantum Quintum nostrum verum Numerium quoque et Kaesonem eandem fortunam expertos; potuit saltem posteris videri res ita accidisse.

---

1) *De harusp. resp.* 3 § 4. 2) *Pro domo* 43 § 113.

§ 2. *Genealogia.*

Si hoc cognomen recte explicui, tres fratres, de quibus deinceps dicam, hoc gaudeant necesse est, in quem modum Fastos non esse suppletos miror. Cadit autem illa opinio, quae eorum patri Marco (6) tribuerat primum Ambusti cognomen, quod Liviana [1] verba annuere nec vero conficere videntur: »legati tres M. Fabii Ambusti filii missi"; Livius saltem ubi de Marco illo loquitur, sedulo eum Vibulanum tantum dicit. Neuter illius frater habuit hoc praeter Vibulanum cognomen, ut quibusdam videtur; si enim tres nostri non primi sic cognominati sunt, verum patruis eorum idem tribuas, pater quoque procul dubio fuisset Ambustus, quod non est. Turbas illas moverat Anonymus Norisii, cuius levissima auctoritas spernenda est prae iis, quae iam nunc proponam: Q. Fabius consul anni 342 a Livio et Cassiodoro dicitur Ambustus, contra ab Anonymo isto Vimillanus; hinc utrumque nomen coniungentes Fastorum auctores nobis ad hunc usque diem imposuerunt Q. Fabium Vibulanum Ambustum; nil falsius, non urgeo Anonymi negligentiam, tunc *Viminalum*, tunc *Vimilanum*, tunc *Vimillanum* scribentis, ubi *Vibulanus* intelligendus est, aliud volo. Nullus horum apud classicos nec in Fastorum fragmentis duplex habet cognomen. Haakhius denique consulatum anni 342 tribuit Q. Fabio consulari anni 331, tribunicio 338 et 340 (7); est ille unus quidem e Vibulanis, et sic respondet Anonymo, sed apud Livium Ambustus dicitur huius anni consul, contra Vibulanus ceteris annis, ita ut duos diversos sibi videtur voluisse; noli ergo contra huius rei testes Quinto Vibulano honorem obtrudere, nam nullum inveni exemplum consulatus, quo quis tribunicius functus sit; tum apud Anonymum, cui tantum tribuis,

---

1) V. 35.

non additum est eum *bis* consulem esse. Denique consulatum illum gessit Quintus Ambustus (9), cuius res gestas iamiam persequemur, non Vibulanus (7) de quo iam vidimus. Contrariam si lubet tueri rationem, in plures dabis difficultates, quas vide, si tanti est, apud eos, qui ante me hanc genealogiae Fabianae partem administrarunt. Pono Quintum e tribus maximum natu, intersunt 30 anni a patris consulatu, qui numerus vulgari respondet. Restat aliud quidem, quod recte tolli non potest, eos anno 364 adhuc magistratum gessisse atqui ad aetatem nimis provectam pervenisse, non eosdem igitur Ambustos fuisse; sed consentiunt historici hoc nomine, qui genealogiam istam secuti esse videntur; qua in re si quid ad liquidum perduci nequit, tribuatur velim historiae legationis Clusinae captaeque Urbis, quae nonnihil fabulose descripta est.

§ 3. *Consul* 342.

Q. FABIUS M. F. Q. N. AMBUSTUS [1].
C. FURIUS C. F. PACILUS.

Hoc anno [2] L. Icilius tribunus plebis de agraria lege cogitavit, quod fere proprium erat illi familiae, ut historicis saltem videbatur. Feliciter tamen eius rei cura aversa est, nam pestilentia instare credebatur, quae hominum cogitationes in corporum nutriendorum curam convertit; inopia frugum tristis fuit annus neglecto cultu agrorum; perpaucos vero pestilentia absumsit.

§ 4. *Legatus cum fratribus Clusium* 363 [3].

Sequitur ut disputem de legatione, qua functi sunt M. Fabii Ambusti filii tres, Quintus noster cum Numerio et

---

1) Liv. IV. 52; Diod. Sic. XIII. 54; Cassiod.; An. Nor. 2) Liv. IV. 52.
3) Liv. V. 35, 36; Flor. I. 12 § 6; Aur. Vict. *V. I.* 23; Oros. II. 19; Dion. Hal. XIII. 18; Diod. Sic. XIV. 113; App. *Gall.* 2, 3; Plut. *Cam.* 17, 18; Zonar. VII. 23.

Kaesone (9, 10, 11) ante cladem Gallicam, in cuius proöemium delabimur.

Saeculo quarto medio post Romam conditam Galli Senones paulatim ex superiore Gallia in Italiam traiecti, ab Utente flumine usque ad Aesim inter Ravennam et Anconam fines habebant. Venit haec gens Clusium, cuius urbis incolae haud vano terrore affecti sunt, multitudinem fortissimorum 30,000 hostium cernentes cum novo armorum genere; mox socios sibi circumspicientes Romam miserunt legatos, qui auxilium a senatu peterent. Minus recte autem Am. Thierry [1] Gallos descripsit a Clusinis partem terrae petivisse, qua negata Clusium statim obsidione cinxisse; quae si vera essent, quomodo Romam misissent legatos? Sed sic ille solet eleganter et ornate varias famas undique collectas componere, quo accuratius depingat Gallos suos tamquam hodiernos fere dixerim omnia agentes, sed omnia ista absque ulla crisi; hinc fabulosissima quaeque, quae ab historicis excogitata sunt non secernit, et pro verissimis decantat, quae historici ad antiquam historiam supplendam ex antiquitatis scientia de suo addiderunt.

Nec mirum, quod Clusini sibi socium adsciscere voluerint populum haud ita longinque dissitum, nam Romanum nomen satis innotuerat Etruriae populis post Veios captos et Falerios, vel hoc ipso anno de indutiis cum Volsiniensibus Romae actum est. Romanis fertur placuisse nil impetrari de auxilio, sed ut legati tres filii M. Fabii Ambusti mitterentur ad res cognoscendas, opinor. Romani, qui metuebant ne Galli iamiam Etruria potirentur Urbemque peterent, Clusinis dant consilium novo hosti resistere, imo eos adiuvare malebant ne contra ferocem gentem ipsis esset pugnandum. Sic ad bellum Clusinos incitant, in quorum acie adstantes ipsi arma sumunt, et mox

---

[1]) *Hist. des Gaulois* I. 36.

prae ceteris excellentes cernuntur, praesertim quum Quintus extra aciem evectus unum ex Gallorum ducibus occidisset et spoliasset.

Galli aegerrime hoc tulerunt, contra ius gentium istos pugnasse criminantes; missa Etruria pars eorum statim Romam petere cupiebat ad ducis mortem ulciscendam, sed vicerunt seniores, ut legati mitterentur questum iniurias postulatumque, ut pro iure gentium violato Fabium unum illum dederent, aut tres illos, secundum Zonaram et Dionysium, apud hunc enim pro Κόϊντον καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ἐκδότους παραδιδόναι legendum videtur τοὺς ἀδελφούς.

Legati Romam veniunt et in senatu exponunt mandata, cui barbari ius suum postulare videntur, quod in patribus mirari satis non possum; nec vero audent decernere de Fabii deditione, prudenter sanequam »ne penes ipsos culpa esset cladis forte Gallico bello acceptae;" igitur ad populum reiiciunt cognitionem de postulatis Gallorum. Secundum Diodorum senatui persuasum erat deliquisse legatos, et conatus est Gallis pecuniae summam pro iure suo offerre, sed frustra, poscebant ut traderetur. Tunc pater ad populum provocavit, ne ratum fieret senatus consultum, quod tunc primum accidisse fertur.

Populo placuit, non sine Fabiorum largitione, ut quibusdam videtur, de quorum poena agebatur, creare tribunos militum in insequentem annum. Potest autem respui fama, quam Florus et Orosius addunt, consulem creatum esse Quintum, illis enim temporibus tribuni reipublicae praeerant. Haec historici tradiderunt, inquiramus quaenam ab ornamentis possint secerni.

Liviana fama postea scripta et excogitata apparet, quod missi essent legati, qui senatus populique Romani nomine agerent cum Gallis, ne a quibus nullam iniuriam accepissent, socios populi Romani atque amicos oppugnarent; vide quam se reum confiteatur Livius diversos secutus

auctores; paulo ante dixerat et rectius omnino: »Clusini legatos Romam mittunt, qui auxilium ab senatu peterent, quamquam adversus Romanos *nullum* iis ius societatis amicitiaeve erat." Altera ista superbior fama respuenda est, vere Romana; meliora enim Livius dedit, necnon Diodorus, senatum nempe misisse legatos *εἰς Τυρρηνίαν κατασκεψομένους τὴν στρατιὰν τῶν Κελτῶν*, nil aliud; Romani potentissimum hostem appropinquare audiverant, ex rei natura et more Romano sequitur eos certiores fieri voluisse de Gallis istis, non vero ut pacem impetrarent Clusini nomine populi Romani, quibuscum non erant iuncti, neque contra quos arma sumserant. Zonaras et Plutarchus utramque famam coniunxerunt, Clusinos auxilium petitum Romam venisse, legatos *ἐκ Ῥώμης πρὸς ἐκείνους* missos esse, ad Clusinos igitur; sed statim subiungit, *οὓς οἱ Γαλάται διὰ τὸ τῶν Ῥωμαίων ὄνομα ἐντίμως ἐδέξαντο*. Equidem Diodorum sequi malim, Clusinos auxilium petivisse, atqui ad hos missos esse legatos; convenit porro altera fama recentior ista superbiae et arrogantiae Romanae, ut posteris imponant senatum misisse legatos satis pro imperio, ad pacem impetrandam cum eo populo, qui eos postea gravissima clade affecit; nil quidquam potuisset *τὸ τῶν Ῥωμαίων ὄνομα* illis vix auditum; luce clarius apparent ista omnia a Romanis excogitata esse, quum de Gallis debellatum esset. Haec quod ad causam legationis attinet.

Videamus de ceteris: non credo Clusinos voluisse agri partem Gallis donare, quod Fabii dissuasissent. Quod deinde a Livio inducantur legati disputantes cum Gallis et frustra rem componere conantes, mitto, non enim barbari istis temporibus sic solebant, nec convenit cum ingenio Romano quaerere: »quodnam id ius esset, agrum a possessoribus petere aut minari arma." Quidquid est, constare videtur legatos feroces atque fortissimos, etiamsi haud ita iuvenes, ut Livius vult, nam stemma contrarium

docet, manus conseruisse, non in acie, ut ille ornatius scribit, sed in populatione, ut Dionysius fert. Excellebat Romana virtus et Q. Fabius hostilem ducem occidit; sed noli credere Gallos Romanum cognovisse, quippe quem numquam ante viderant. Nec opus est tamen spernere Romanae virtutis documentum, quod Fabius ducem hostilem occidisse fertur, potuit fama in eo quoque crescere, potest re vera ita accidisse.

Ius gentium violasse feruntur Fabii, contra quam opinionem quaedam afferri possunt; Fabii non missi sunt legati ad Gallos, contra quos arma sumserunt, Clusium adierant, ut quid belli esset cognoscerent, prae ardore Clusinos adiuvarunt, quod ius gentium sive ius fetiale non vetabat; tuetur enim illud ius personam legatorum contra mutuorum hostium impetum, non vero hostem contra unius alteriusve socii legatum; si deliquerunt, accidit illud, quod bellum gererent cui nullo sacramento essent adacti; at probandum erit an illis temporibus valuerit sacramenti religio, quemadmodum exemplo Catonis docemur. Nec facile quis mihi probabit Fabiorum certamen Clusinorum Gallorumve institutis obstare; non vigebat apud barbaros ius fetiale idem quod apud Romanos, contra quod deliquerunt Fabii scilicet; noli exspectare ista apud ferocem populum, qui iure gladii utebatur et ex eo novas terras poscebat. Quas ob causas equidem haec exornata crediderim, re vera autem Gallos Romam venisse ulturos interitum ducis a Fabio occisi, qui illius deditionem poscebant. Neque fidem habere possum narrationi fetiales praesertim suasisse ut traderetur, quippe quorum ius non violatum; sed haec supplebant historici ex scientia huius iuris, quum semel scriptum erat peccatum esse contra illud ipsum.

Itidem fabula est, Romanorum senatores cogitasse de Fabiis pecunia redimendis; non solebant strenui bellatores satisfacere, quando deliquissent, ex novo hoste novam

gloriam potius petituri. Ingenium Romanum obstat narratiunculae, quam invenerunt historici, ut ostenderent proavos bellum avertere conatos esse etiamsi frustra, nam fata urgebant. Facillima inventu erat pecunia ista, nam de Gallis scribenti nulli non subveniebat tristis memoria istius pecuniae, qua Roma mox foede redemta est. Livio saltem plura ex historia Urbis iam captae in animo erant, quum describeret Urbem captum iri. Sic senatus ab eo inducitur haudquaquam hostili animo fuisse adversus Gallos; hinc istis morem gerere voluisse patres conscripti inducuntur; sed quis non agnoscit haec a posteris scripta, quibus terror insitus, ubi vel mentio de Gallis fiebat. Appianus denique tradit respondisse senatum, postquam patres frustra conati essent Gallos auro componere et populus Fabios in sequentem annum tribunos creasset, se nihil posse in magistratus suos, itaque post sequentem annum redirent; verum hoc contortum est nec Romanis moribus convenit, nil aliud esse videtur quam explicatio, cur noluerint Fabios tradere.

§ 5. *Fabii tribuni militum, clades Alliensis* 364.

Q. FABI*US M. F.* Q. N. AMBUSTUS [1].
K. FABIUS M. F. Q. N. AMBUSTUS.
N. FABIUS M. F. Q. N. AMBUSTUS.
Q. SULPICIUS LONGUS.
Q. SERVILIUS Q. F. P. N. (PRISCUS) FIDENAS IV.
P. CORNELIUS P. F. M. N. MALUGINENSIS II.

Iam videamus de tristissimo anno, quo tribunatum gesserunt tres illi nobilissimi Fabii, sive 364 [2] fuerit, qui est 120 post primos consules, vel annus primus Ol. XCVIII, sive annus sequens [3], quo archon Athenis fuit Theodotus, post Urbem 365, qui est 19 post pugnam ad Aegos Pota-

1) Fast. h. a. et 348, 353; Liv. V. 36; Diod. Sic. XIV. 110; An. Nor.
2) Dion. Hal. I. 74; Plin. *H. N.* XXXIII. 1; Eutrop. II. 1; Oros III. 1.
3) Polyb. I. 6; Diod. Sic. XIV. 110.

mum et 16 ante Leuctricam. Dionysius et Polybius indagarunt prae ceteris accuratius in hos annos, de quibus duobus tantum sermo esse potest, nam alii alios dederunt sine argumentis, Livius [1] et ex eo Plutarchus [2] 360, Gellius et Cassius Hemina apud Macrobium [3] 362; Niebuhrius [4] contra multis argumentis docuit anno 3 Ol. XCIX Urbem esse captam, et Gallos anno 1 Ol. XCVIII in Italiam traiecisse, cuius argumenta neque describere neque perscrutari lubet.

Galli audito responso Clusium [5] missum faciunt, statim iter ingrediuntur, 70,000 suorum adscitis, agmine citato Romam petentes. Nil mali passi sunt Tusci, quorum agros et oppida transierunt Romam tantum se petituros magno clamore significantes; consistunt ad undecimum lapidem. Romani, si credere fas est, hostium iter prae celeritate non cognoverant, cuius prorsus ignari fuissent, nisi M. Caedicius homo de plebe noctu iter faciens divinam vocem audisset »Galli veniunt"; sic Dis placuit Romanos monere.

Vix attinet repetere historicis haec deberi, ut clades celaretur et excusaretur aliquantisper; non enim adeo festinanter eos Etruriam transiisse ex scientia dierum nobis licet evincere, kalendis quinctilibus [6] enim novi tribuni magistratum inierunt et dies Alliensis est decimus sextus mensis eiusdem, distat autem Clusium trium dierum itinere [7] a Roma, atqui in his nonnihil sibi indulserunt historici. Denique non credo Gallos Clusium missum fecisse, verum potius et hanc deditione cepisse necnon ceteras Etruriae urbes, quas alioquin infestissimas sibi reliquissent, quae a tergo optimo quoque tempore eos aggressae essent; contra

---

[1]) V. 40. [2]) *Cam.* 22. [3]) *Sat.* I. 16. [4]) *R. G.* II. 622 sqq. [5]) Liv. V. 37, 38; Flor. I. 13 § 7; Eutrop I. 20; Oros. II. 29; Dion. Hal. XIII. 19; Diod. Sic. XIV. 114, 115; Plut. *Cam.* 18, 19; Zonar. VII. 23. [6]) Liv. V. 32. [7]) Polyb. II. 25 § 2.

sociis illis sibi adscitis sic ad numerum 70,000 Romam appropinquabant.

Novi tribuni de more statim delectum habuerunt 24,000 militum, id est 4 legiones conscribuntur, quibus veteris militiae 16,000 addita; auctum est autem et ornatum quod Livius scripsit a tribunis eductum esse tumultuarium exercitum, id est *raptim ductum*, ut interpretatio in textu Liviano recte docet, cui in marginem erit redeundum; nil quidquam extraordinarii factum est, si enim maiore praesidio opus fuisset, dictatorem dixissent, opinor.

Quidquid est, copiae educuntur et Tiberim traiiciunt, consistunt 80 stadia sive ad undecimum lapidem, ubi flumen Crustuminis montibus praealto defluens alveo haud multum infra viam Tiberino amni miscetur Allia; per duplicem *ll* scribendum esse prae ceteris docet Cenotaphium Pisanum, fallitur ergo Servius [1] qui alia docet nisus loco Lucani [2] non intellecto.

Romani aciem sic struxisse feruntur, ut in sinistro cornu ad flumen 24,000 steterint, dextrum in loco paulo edito tenerent subsidiarii, socii deterioresque copiae; fors ita tulit, ut his fortissimos opposuerint Galli, qui mox eos in fugam verterunt, cuius rei causa Romanis igitur, non vero Gallis tribuenda est, sed non ita solent Romani. Acies illa multis carpenda videbatur, iniuria ut mihi videtur, sinistrum cornu flumine nitebatur, dextrum collibus, in media planitie plurimas et primarias posuerat copias; hoc modo recte caveri posse credebant, ne circumvenirentur ab hoste, qui longe frequentior erat; verum sic acies simul extenuata est, nec satis resistere poterat; socii autem non potuerunt primum sustinere impetum, his ergo culpa tribuatur cladis. Necnon in deos aliquid redundet, nam acies ducta esse fertur, etiamsi non perlitatum esset; verum hoc suppletum est ab iis, qui non sine causa cladem

---

1) *Ad Aen.* VII. 717. 2) VII. 633.

accidere posse credebant, quippe qui summam fidem tribuerent auguriis et auspiciis.

Denique fuso dextro cornu, iis qui in sinistro erant mox utrimque audito clamore pavor fugaque animos occupavit, ita ut ne tentato scilicet certamine nec audito clamore integri intactique fugisse ferantur; maior pars Tiberim traiecit et Veios pervenit, pauci tantum Romam.

Accidit gravissima haec clades postridie idus quinctiles secundum Cassium Heminam apud Macrobium [1] et Verrium Flaccum apud Gellium [2], nec aliter Livius [3] dixit diem Alliensem, qui et Cremerensi clade religiosus erat, ante diem XV kal. sextiles, nam correcto kalandario duo dies mensi iulio accesserunt. Dies autem ille in perpetuum luctuosus et nefastus sacratus erat Fauno, qui deus quum et Lupercalibus coleretur, consensum nescio quem istis interesse credit Pfund; at nil aliud commune habebant, ni fallor, quam quod Dis inferis sacra fierent istis diebus in demortuorum honorem atque salutem.

§ 6. *Urbs capta* 364 [4].

Confuse et festinanter ad Urbem etiamsi multi fugerint, tamen mera fabella est Romanos propter festinationem portas non potuisse claudere aut saltem illud neglexisse. Ficta esse apparet, ut Urbs capta videretur potius incautis Romanis quam inferioribus. Portas optime clausas fuisse vigiliasque appositas quis negabit, qui mecum reputaverit tres dies intercessisse inter cladem Alliensem et Urbem captam, per quod tempus continuo clausae fuerunt illae saltem, qua hostes exspectarentur, nisi Romanos insaniisse nonnihil nobis inducamus. Collegerunt interea Galli victores per tres illos dies caesorum spolia, dissectis ca-

---

1) *Sat.* I. 16. 2) V. 17. 3) VI. 1; Serv. *ad Aen.* VII. 717.
4) Liv. V. 39—41; Flor. I. 13 § 8—14; Oros. II. 19; Diod. Sic. XIV. 115; Plut. *Cam.* 21, 22; Zonar. VII. 23.

pitibus, ut mos iis est. Tertio [1] demum die Urbem intrant portis per vim fractis, τὰς πύλας κατέκοψαν, ut recte Diodorus habet. Aliunde enim originem ducit ista fama de porta non clausa, quacum altera cohaeret, secundum quam stipulatus esset Brennus in foedere, ut una porta semper aperta foret, πύλην ἀνεῳγμένην παρέχειν διὰ παντός [2]; ex hac porta numquam clausa propter loci naturam satis munita explicari debet fama Pontii Cominii, Appii Herdonii, fortasse Sabinorum quoque Tarpeiae fraude Capitolium invadentium, cetera, sed haec nunc non agimus.

Valeant ergo insidiae, quas Galli propter Urbem non clausam metuisse feruntur a Livio. Brennus post qualemcunque defensionem Urbem cepisse videtur, eamque partim incendit sed non statim, inexspectatae victoriae gaudium aliquantisper retinuit eum, et sic res Romana servata esse creditur a posteris.

Fugerant nempe interim omnes iuniores in Capitolium, quod per septem menses Galli obsesserunt. Sacra Romani feruntur in loca tutissima transtulisse, quod a posteris excogitatum crediderim, nam istos puderet tradere sacra esse deserta vel per minimum temporis spatium, hinc sacra alia feruntur defossa in loco, ubi postea despui religio erat, alia ex Urbe elata, quae L. Albinius plebeius plaustro coniugem ac liberos vehens, in Ianiculo conspiciens virgines et sacra, in plaustrum imposita pervexit Caere, quae a Caeritibus servata traduntur, ut explicaretur privilegium quoddam, quo Caerites fruebantur; at tum locus Etruriae tum nimium spatium, quo distat, obstant huic aufugio; alia denique sacra peracta leguntur in Quirinali monte vel urgente obsessione [3]. Flamines sacerdotesque Vestae procul ab incendiis futuris auferuntur futura praesagientes.

---

1) Polyb. II. 18 § 2; Liv. V. 39, 40, 41. 2) Polyaen. VIII. 25.
3) Cf. Lib. III. Cap. I § 3.

Sed quis non videt posteros tantum sacrorum causa haec scribere potuisse, idem locum obtinet in eo, quod tradantur iuvenes Capitolium adscendisse arcem defensuri, dum seniores in urbe reliquissent, quorum iactura haud ita gravis foret. Turba ergo seniorum domos regressa vel in foro coniunctim adventum hostium obstinato ad mortem animo exspectabat; qui curules gesserant magistratus sedebant in atriis morituri in eburnis sellis; sunt qui eos se devovisse ferunt praeëunte pontifice maximo; Galli mox porta Collina ingressi delabuntur ad praedam in vacuis viis; solitudine absterritos patentibus atriis principium cunctatio tenet Gallos, intuentur gravissimos senes Dis simillimos velut simulacra sedentes; septuagenarius M. Papirius denique Galli barbam suam experiendi causa mulcenti scipione eburneo in caput incusso iram movet, fit caedes, et ad unum omnes octoginta illi senes trucidantur.

Haec impudenter ornata esse contendo; multos senes Gallica clade periisse, quis dubitabit; quod quum in historiam esset recipiendum, vana Romanorum iactatio elucet, quae illos depingat summos martyras. Posteris compertum erat eos interiisse, iam traduntur de defensione vix cogitasse sed alto supercilio firmiore animo, quam summo Stoïco fuisset, in atriis sedisse ne reipublicae cladi superstites forent, quam divini senes praesagiebant. Cadet haec poëtica fama, si cogitaveris Gallos intrasse Urbem post obsessionem quamdam, non vero patentibus portis, fieri potest, ut persuasum iis esset Urbem captum iri post tantam cladem, sed supererat militia urbana; cur non aufugerunt cum reliquis sacerdotibus, mulieribus liberisque? Pulchrum esse pro patria mori, non Romani umquam dubitarunt, dummodo defendentes et commodum nescio quod petentes, verum non credo eos sic sine ullo merito interire voluisse voluntaria morte. Nec tamen haec omnia sufficiunt, alii alia supplerunt, ne quid deesse videretur ingenti cladi; finguntur venerandi senes voluntaria morte

occidisse, id est pro patria se devovisse, quod ut rite fieret iam adest Fabius pontifex maximus, qui carmen praeiit; quibus rite peractis heroës nobilissimi magnificentissimis vestibus induti consederunt in atriis, ut morerentur scilicet! Sed iam per hanc famam explodamus fabellam; bonus ille M. Fabius [1] nonagenarius devovisset senes, quis credet? Livius fabellam respuerat, quam vero Plutarchus, quo est ingenio, sedulo decantavit, ac si Livius fidem illi habuisset. Noli igitur ornamenta ista in historiam recipere, quae posteri ad unum omnia excogitarunt; non enim convenit tale facinus cum Romano ingenio, ista omnia fingere et ornare, denique graphice ante oculos ponere, hoc vero est Romanum.

De ceteris [2] contra brevior esse possum, quae verbo tantum attigisse sufficiat; nullum enim nobile facinus Fabiorum memoratur. Capitolium a Gallis captum non est etiamsi vix a mille Romanis defensum; quis iam credet App. Herdonium Capitolium olim cepisse, quae fama recte per Gallos explodi potest ἐν παρέργῳ. Frustra arcem per 7 menses inclusam tenuerunt, ἐλθόντες ὀλίγαις ἡμέραις τῶν κοϊντιλίων εἰδῶν, περὶ τὰς Φεβρουαρίας εἰδοὺς ἐξέπεσον [3]; Varro apud Nonium [4] et Florus [5] de sex tantum, Servius [6] de octo integris mensibus loquuntur. Interim saepius Galli expugnationem susceperunt, dum alii finitimos populos depopularentur, ne frumentum iis deesset; in quibus expeditionibus Camillus, sive ille exsul sive incola Ardeae degeret, contra Gallos acerrime pugnasse traditur, sed nonnisi depopulantem turbam devixit, quae fama per annos excrevit. Veiis quoque multi Romani degebant, 20,000 secundum Plutarchum et Zonaram, qui numerus

---

[1]) Cf. Lib. I. Cap. vi § 7, p. 72. [2]) Liv. V. 41—55; Flor. I. 13 § 13—19; Oros. II. 19; Polyb. II. 18 § 3; Diod. Sic. XIV. 114—117; Plut. *Cam.* 22—30. [3]) Polyb. II. 22 § 5; Plut. *Cam.* 22; Zonar. VII. 23. [4]) IX. 6. p. 340. ed. Gerl. & Roth. [5]) I. 13 § 15. [6]) *Ad Aen.* VIII. 652.

recte convenit cum 24,000 illis, qui in sinistro cornu ad Alliam stetisse feruntur et intacti Veios fugisse; quos si non omnes eo pervenisse dixeris, tamen 20,000 potuerunt venire; potest igitur numerus ille defendi, inter quos socii adesse potuerunt. Hi omnes duce M. Caedicio centurione Gallos aggressi Romanisque opem ferre conati sunt, quae omnia conveniunt cum optima quaque obsessione. Galli quoque noctu expeditionem susceperunt contra arcem, nil mirum; sed iusto ornatius subiungitur in arcem viam monstrasse vestigia Pontii Caninii, qui per praeruptum saxum Capitolium adscendit, ut comitiis curiatis decerneretur de Camillo revocando et dictatore creando scilicet! Sed hoc quoque posteris debemus, ne extra Urbem vel semel dictator dictus traderetur sine lege curiata, quod Romanis nefas videretur; hinc iam eo deducor, ut Camillum non dictatorem fuisse statuam, de quo extraordinario magistratu Diodorus ne verbum quidem habet. Canum anserumque auxilia in arcendis hostibus mitto, neque multum tribuo istis, nec tamen Manlianis meritis quidquam detraham.

Quomodo Galli abierint argento admodum contenti nolo enarrare, nam Polybius [1] hunc locum recte administravit Camillique victoriam respuit. Sed prae ceteris summus Bellofortius [2] haec perscrutatus est in pulchro libello, ad quem lectorem ablegabo, postquam unum [3] locum refellero. Volo eius opinionem post Polybii demum aetatem (555—625) Camilli victoriam esse excogitatam; non enim verisimile esse Polybium reticuisse victoriam adeo memorabilem, si suo tempore pro certo haberetur, nec ausum esse Polybium obviam ire Romanorum vanitati detrectando aliquid de eorum laudibus. Ego contra opinor, nam de industria fecit illud Polybius in bellis Gallicis, etiamsi probe sciret [4] Ῥωμαίους ἀναληψομένους εἰς

[1]) II. 18 § 3, 22 § 5. [2]) *Incertitude des cinq prem. siècl. de l'hist. Rom.* p. 275 sqq.. [3]) Pag. 280. [4]) XXXII. 8 § 8.

τὰς χεῖρας τὰ βιβλία αὐτοῦ. Explosit ille non solum Camilli victoriam, verum sex alias annis 393, 394, 404, 405, 407, 459 falso relatas, stat aut cadit Camilli victoria cum fama argenti, ut Niebuhrius [1] recte observasse videtur.

Haec de clade Gallica atque capta Urbe attigisse sufficiat, quae etiamsi tribunis Fabiis acciderint, tamen ne verbum quidem de eorum rebus gestis legitur, unde gravis mihi oritur suspicio, an forte eorum tribunatus aliter se habeat, verbi causa, ut re vera unus tantum legatione aut tribunatu functus fuerit, cuius rei fama erui potest; verum obscuriora ista ad liquidum perduci non poterunt propter illum ipsum calamitosum annum.

§ 7. *Mors* 365 [2].

Quum sequenti anno civitas in opere ac labore assiduo reficiendae Urbis teneretur, interim Q. Fabio C. Marcius tribunus plebis diem dixit, quod »[legatus] in Gallos, ad quos missus erat orator, contra ius gentium pugnasset;" vocabulum istud ad minus usitatum *orator* explicandum irrepsisse demonstravit Cobetus [3]. Huic iudicio mors adeo opportuna eum subtraxit, ut voluntariam multi crederent.

Sic Livius, nec tamen credo, nam supra evicisse opinor Fabium non missum esse ad Gallos verum ad Clusinos, neque eum ius fetiale violasse. Alio ergo nomine in ius vocatus fuerit Fabius contendo, si vel nobis sumere possumus re vera tribunos eum accusasse, quod si accidit, tribuendum est irato populo cupienti iamiam in eum saevire, cuius culpa tristia omnia accidissent. Non tamen mihi possum persuadere tunc de accusatione cogitasse Romanos; audiunt illi quidem apud iurisconsultos nati in foro et in iure, non oppugno, sed qualem tibi fingas populum, qui fere deletus in Urbem ex arce reversus est et

---

1) *R. G.* II. 617. 2) Liv. VI. 1. 3) *Mnem.* IV. 253.

totus est in aedificando, cuius tribuni in ius vocent legatum, cuius unius culpa scilicet clades accidisset; non potuerunt cogitare de iure barbati Romani illo anno, prae gaudio quod non totum suum nomen esset deletum, sed ipsi saltem evasissent etiamsi redemti. Ultimum denique accedat argumentum levius fortasse, quod necopinato morte oppressum dixerint Fabium, quem non ausi sunt tradere damnatum esse, quippe qui reipublicae praefuisset tristissimo illo anno.

§ 8. *Fabii apud Diodorum.*

Inter tribunos anni 367 apud Diodorum Siculum [1] Quintus Fabius quidam memoratur, quem noli credere eundem nostrum fuisse, nam apud ceteros scriptores nulla eius fit mentio, et discrepant nonnihil horum tribunorum nomina ab iis, quae Livius [2] hoc anno tradidit, itaque pro Fabio alius nomen erit rescribendum, L. Aemilii Mamercini opinor.

Hunc autem errorem Diodori negligentiae equidem tribuerim, cuius fastis Niebuhrius nimium tribuit; sic post Urbem captam per primum quinquennium apud Diodorum consules fuisse legimus, dum circa haec tempora ceteri omnes tribunos militum memorant; consulum istorum nomina temere repetita sunt ex tribunis, qui fuerunt per quinque annos ante Urbem captam. Inter hos Γάϊος Φάβιος ex anno 364 huc migravit [3].

Tum anno 374 octo tribunos memorat [4], inter quos Φάβιον Μάρκον, ubi sex tantum locus est neque de censoribus cogitare licet; Diodoro hunc saltem reddamus, qui ex praecedentis anni fastis male huc pedem intulisse videtur.

Miror deinde vel novissimos Diodori editores aequo animo tulisse 7 tribunorum nomina anni 365 [5], quae

---

1) XV. 24. 2) VI. 5. 3) XV. 20. 4) XV. 50. 5) XV. 22.

etiamsi non omnia possumus restituere, tamen meliore adhibita interpunctione sic sunt dissecanda: Λεύκιον) Οὐαλέριον, Αὖλον [,] Μάλλιον, Λεύκιον [καὶ] Ποστούμιον (Φούριον, ut evincit Livius [1] et Macrobius [2].

Porro legimus alio loco [3] Μάλλιον Φάβιον, quod praenomen apud nullam gentem ne apud nostram occurrit, quippe quod ipsum gentile est, forte rescribendum erit Μάλλιον Αὖλον.

Sequenti anno [4] itidem Φάβιος Ἄλβος invenitur, ex qua familia nullus umquam Fabius exstitit, utrumque gentile nomen emendandum videtur, nam nullus Fabius saltem tribunatu functus est hoc anno.

Diodori fasti secundis curis virorum doctorum admodum indigent adhuc, haec Fabiorum causa monuisse sufficiat, ne ego quoque hunc locum negligentius administrasse videar, quod ad nostram gentem attinet.

CAPUT II.

NUMERIUS FABIUS M. F. Q. N. AMBUSTUS (10).

§ 1. *Tribunus militum* I. 348.

N. FABIUS M. F. Q. N. AMBUSTUS [5].
L. VALERIUS L. F. P. N. POTITUS II.
P. CORNELIUS M. F. L. N. *RUTILUS COSSUS.*
CN. CORNELIUS P. F. A. N. *COSSUS.*

Transeamus ad Numerium Quinti fratrem, in cuius praenomine quid alios fefellerit non recoquam, meam rationem Fasti defendunt.

Veiens bellum [6] motum est ob superbum Veientium senatus responsum, quod iure patres aegre tulerunt, quibus placuit, ut tribuni militum de bello Veiis indicendo primo quoque tempore ad populum ferrent, sed propter molem Vol-

---

1) VI. 1. 2) *Sat.* I. 16. 3) XV. 38. 4) XV. 41. 5) Fast. Cap. h. a.; Liv. IV. 58; Diod. Sic. XIV. 12; An. Nor. 6) Liv. IV. 58—60; Diod. Sic. XIV. 16.

scorum belli res dilata est. Quum vero sequenti demum anno Romani coeperint Veios obsidere, non possum premere suspicionem famam huius anni et praecedentis, quod ad Veios attinet deberi iis, qui recte perspectum habebant finem fuisse indutiis anno 347, quod quum nescirent isti, qui in historia supplenda diligentiores erant, nil de rebus cum Tuscis illos monuisse, quippe qui indutias 20 annorum anno 348 demum praeteriisse, atqui sequentem annum obsessis Veiis primum fuisse credebant.

In Volscorum agrum exercitus ducti sunt, dum Cornelius praesidio urbano praeerat; ubi hostes non visi sunt, late agros depopulati urbes petiverunt, Valerius Antium, Cornelius Ecetras, Fabius sine populatione statim accessit ad Anxur oppugnandum, quod tunc dicebatur [1] Tarracina propter loci asperitatem, nam sita est in alto monte in »saxis late candentibus," ut est apud Horatium [2]; postea a Volscis [3] dicta est Anxur a Iove, qui ibi colebatur puer imberbis ἄνευ ξυροῦ. — Mercatura iam diu ante pollebant, necnon Romanis erant socii, quum primis consulibus foedus [4] cum Carthagine ictum est. Oppidum natura munitum erat paludibus ab una parte, montibus ab altera, et tamen succubuit Romanis, qui collem urbi imminentem ceperunt, unde qua parte nullum erat praesidium, ingenti clamore moenia invaserunt, dum ab altera parte Fabius scalas admoveret; mox intra moenia pugnatum est, ubi nullus cedendi locus erat, ita ut ad duo millia et quingenti capti ferantur. Sic milites urbem opulentam ceperunt, quae diripienda iis data conciliavit plebem cum patribus.

Innotuit [5] deinde Fabii tribunatus stipendio tum demum instituto. Bella enim ad hoc usque tempus annua fuerant, poterant ergo milites bello confecto ad agros co-

---

1) Liv. IV. 59; [Fest.] Paul. v. *Anxur* p. 22. 2) *Sat.* I. 5. 26.
3) Schol. *ad Horat.* l. l.; Serv. *ad Aen.* VII. 799. 4) Polyb. III. 22 § 11.
5) Liv. IV. 59; Diod. Sic. XIV. 16; Lyd. *de mag.* I. 45; Zonar. VII. 20.

lendos redire per reliquum anni spatium, et sic onus cum iure militiae ferebatur, suo quisque sumtu militabat partemque praedae accipiebat praeter arma, quae respublica suppeditasse videtur. Nunc vero nova ratio invaluit, quod ad pedites saltem attinet, equites nunc non moror; ex censu tributum est indictum ad stipendia militibus solvenda, quos bellum Veiens per plures aestates hiemesque retinuit. Antiquissima tributorum ratio sub regibus invaluit in capita scilicet, id est quoties pecunia opus erat civitati, pauperes eodem onere premebantur quo ditissimi, quod nimis absurdum videtur; postea censu instituto ex eo tributum imperatum est; sed Tarquinius veterem exigendi modum restituisse fertur, iubens singulos pro capite centum asses pendere, quod gravissimum onus tyranno adscriptum fuisse contendo a serioribus non adpensum ab aequalibus. Quum tandem hoc anno stipendium militibus solvebatur, quaestores illud ex censu exigebant; hinc patres quippe qui ditissimi, primi contulisse feruntur vel potius plaustris advexisse aes grave. — Non sine magnis contentionibus nova res potuit constitui, quae multos valde premebat, qui nunc conferebant aliis, quum ipsi stipendia gratis meruerant; quas querelas de more Livius satis perspicue exponit. Quot asses milites deinceps acceperint et quantum tributum civibus impositum fuerit variis temporibus, hic nolo persequi, praestat eorum libros adire, qui hunc locum de industria tractarunt [1]. Unum tantum moneam, suspicor nempe stipendium sequenti demum anno institutum, nam fertur nova ratio orta esse propter Veios per hiemem quoque obsessos, ergo videbatur historicis illud accidisse anno ante, sed natura rerum suadet, ut dummodo haec obsessio re vera instituto ansam dederit, primo obsidionis anno vergente, pro longiore expeditione, ex qua nulla praeda potirentur, populo placuerit,

---

1) Marquardt, *Röm. Alterth.* III. II. 73 sqq., 130 sqq.

ut publice stipendium acciperent; sin vero antea iis compertum fuisset tamdiu Veios restituros, iam anno ante potuissent parare quibus opus foret, sed hoc Romani ipsi nesciebant, atqui verisimile non est.

§ 2. *Tribunus militum* II. 364.

De altero nostri Numerii tribunatu et legatione ad Clusinos, quae disputanda erant, supra [1] iam prolata sunt.

CAPUT III.

KAESO FABIUS M. F. Q. N. AMBUSTUS (11).

§ 1. *Quaestor* 345 [2].

Commodis, quae patres inviti concesserunt ordini plebeio, non statim huic frui licuit, si quidem anno 334 quaestores ut promiscue crearentur institutum sit, verum anno 345 primum plebeii quaestores creati sint; sic anno 310 tribuni militum de plebe creari licebat, sed anno 354 unus ex hoc ordine creatus est, anno 365 quinque. Videntur haec ita accidisse propter patriciorum potestatem, sive curiae negaverint plebeios suis suffragiis confirmare, sive nimis potuerint patres in comitiis centuriatis.

Tres plebeii quaestores fuerunt hoc anno Q. Silius, P. Aelius, P. Pupius, quibus quartus fuit collega Kaeso noster. Icilii auctores huius suffragii fuisse traduntur, ex qua familia patribus infestissima tres tribuni plebis populum incitaverant. Pro ingenti victoria plebi fuit, nam quaestura ad consulatum ac triumphos locus novis hominibus patefactus videbatur; Livio nempe, nobis enim non ita videtur, nam neque quaestores neque totus populus sic cogitare poterat, sed Livius negligentius tempora miscuit; quaestura, qua postea ad summos honores patebat aditus,

---

[1]) Caput I § 4—6, huius Libri, p. 84—96 [2]) Liv. IV. 54.

nil poterat hoc anno, quum plebs ad consulatus nondum pervenire poterat, quod vel per 43 annos frustra annisi sunt plebeii.

§ 2. *Tribunus militum* I. 350.

K. FABIUS M. F. Q. N. AMB*USTUS* [1].
P. CORNELIUS M. F. M. N. MAL*UGINENSIS.*
CN. CORNELIUS P. F. A. N. COS*SUS II.*
SP. NAUTIUS SP. F. SP. N. RUTILUS III.
*C. VALERIUS L. F. VOL. N. POTITUS VOLU*SUS III.
*M' SER*GIUS L. F. L. N. *FIDENAS.*

Oppugnatio Veiorum segnior fuit hoc anno [2], parte exercitus avocata ad Volscum bellum, id est circa Veios pars tantum exercitus degit, sine bello fere, dum cum Volscis bellatum est inter Ferentinum atque Ecetram, quod proelium quum Romanis secundum fuerit, Artena urbs Volscorum obsessa et impetu facto mox capta est; arx natura et praesidio munita capi non potuit, servus eam prodidit; omnibus dirutis Veios reductae sunt legiones.

Secundum Diodorum [3] Romani hoc anno προσέθηκαν οἰκήτορας ἐς Οὐελίτρας, cui rei causa fuisse videtur praesidium Veliternum firmandum propter vastatam Artenam; colonia iam erat deducta anno 260 [4].

Superest, ut moneam de versu Enniano,

»nonis iuniis soli luna obstitit, et nox."

anno quingentesimo trecentesimo fere post Romam conditam, ex quo die, ut subiungit Tullius [5] superiores defectiones reputatae sunt, usque ad illam quae nonis quinctilibus fuit regnante Romulo, quibus quidem tenebris eum natura ad humanum exitum abripuit. Haec defectio uberrimam disputandi materiem viris doctis praebuit, equidem supersedeo rem chronologis et astronomis relinquens.

---

1) Fast. Cap. h. a. et 353; Liv. IV. 61; Diod. Sic. XIV. 19; An. Nor.
2) Liv. IV. 61. 3) XIV. 34. 4) Liv. II. 31; Dion. Hal. VI. 42 sq.
5) *De rep.* I. 16 § 25.

§ 3. *Tribunus militum* II. 353.

K. FABIUS M. F. Q. N. AMBUSTUS II[1].
M. *FURIUS L. F. SP. N. CAMILLUS.*
CN. *CORNELIUS P. F. A. N. COSSUS III.*
L. VAL*ERIUS L. F. P. N. POTITUS IIII.*
L. IULIUS L. F. VOPISCI N. IULUS.
M' AIMILIUS MAM. F. M. N. MAMERCINUS III.

Hi magistratum non inierunt[2] idibus decembribus, ut tunc solebant, verum kalendis octobribus; huius rei causa fuisse traditur, quod tribuni a Veientibus maiore clade affecti non sine contentionibus iussi sunt ante tempus abdicare, religio obstabat, opinor, ut diutius praeessent reipublicae; simile quid anno 275 accidisse tradit Dionysius, ut supra[3] vidimus M. Fabium vulnerum causa scilicet duobus mensibus ante consulatus annum abdicantem; huiuscemodi causis tribui potest, quod dies ineundi magistratus per annorum decursum mutatus fuerit; quando et quibusnam diebus constitutum sit, accurate persequitur Becker[4].

Multa hoc anno domi militiaeque gesta sunt, nam eodem tempore bellum ad Veios gerebatur, ad Capuam, ad Falerios et in Volscis, omnes iuniores ergo in armis erant, seniores Urbem tuebantur de magno stipendio conferendo laborantes. Tum seditio orta est, quod numerus tribunorum plebis expleri non posset, atqui certatum est, ut patricii in vacua loca cooptarentur, ut tandem factum est. Plebs irata in superiores tribunos militum Sergium et Verginium iram convertit, quos condemnavit; legem agrariam promulgarunt tributumque conferri prohibuerunt.

Bellum adversum fuit, nam Veiis castra amissa sunt, quibus praeerant M' Aemilius et K. Fabius; in Faliscis M. Furius et in Capenate agro Cn. Cornelius hostes extra moenia nullos invenit, praedae tantum actae sunt, non vero oppida obsessa, in Volscis Anxur nequidquam op-

1) Fast. Cap. h. a.; Liv. V. 10; Diod. Sic. XIV. 44; An. Nor.
2) Liv. V. 9—12. 3) Pag. 52. 4) *Röm. Alterth.* II. II. 95 sqq.

pugnaverat Valerius Potitus; quo tristi militarium rerum statu seditio intestina mox orta esset, ni in sequentem annum plebeius tribunus militum fuisset creatus.

§ 4. *Tribunus militum* III. 359.

K. FABIUS M. F. Q. N. AMBU*STUS III* [1].
P. CORNELIUS P. F. MALUGINENSIS *COSSUS*.
P. CORNELIUS *SCIPIO*.
L. FURIUS L. F. SP. N. MEDULLINUS V.
Q. SERVILIUS Q. F. Q. N. (PRISCUS) FIDENAS III.
M. VALERIUS M. F. M. N. LACTUCINUS MAXIMUS II.

Anno praecedenti [2] post decem aestates hiemesque Veii capti erant, quo hoste devicto in eorum socios Faliscos et Capenates animadverterunt. Bellum Faliscum P. Corneliis Cosso et Scipioni evenit, Capenas Valerio ac Servilio, qui agros tantum depopulati sunt, qua clade affecti Capenates feruntur subacti esse, quibus petentibus pax data. Nec difficile erat eos debellare, qui Veiorum coloni erant, captis igitur Veiis statim ager Capenas subactus est. In Faliscis populationes durabant, quas sequenti demum anno Camillus composuisse legitur apud Livium; hinc non credo Diodoro tradenti iam hoc anno Faliscum a Romanis deletum esse.

In urbe mansit Fabius cum Furio, qui praeërant praesidio urbano legibusque; magnam illi seditionem sustinuerunt, ad quam leniendam frustra coloniam in Volscos deducendam censuerunt, quo tria millia civium scriberentur, quibus terna iugera et septunces viritim dividerentur. Non placebat Romanis illa colonia, qui Veios migrare in opulentam urbem iam tunc cupiebant, ut Livius vult; verum neque tunc factum est, neque postea, ubi gravior instabat causa, Roma a Gallis incensa. Quarum una vel altera fama ab historicis videtur excogitata, ut urbanae seditionis aliquid esset, cuius rei vestigia cernuntur,

---

1) Fast. Cap. h. a. et 353; Liv. V. 24; Diod. Sic. XIV. 94; An. Nor.
2) Liv. V. 24, 25; Diod. Sic. XIV. 96.

vix enim causa potest cogitari, cur Veii adeo iis placuerint, quam urbem delere maluerunt quam patria relicta habitare; ubi vero Roma deleta erat, tunc haudquaquam absurdum est eos cogitasse de migratione Veios, nec tamen serio, opinor, nam penates relinquere religio obstitisset. Nec constare mihi videtur Volscorum coloniae mentio, nam si 3000 cives accepissent $3\frac{1}{2}$ iugera, 10,000 iugerum in Volscis habuerint Romani necesse est nondum occupata; quas terras a quo ceperint populo non traditur, nam ager recens qui erat captus, Capenas nempe in Etruria situs est; neque obsessis Veiis alia magna gesserunt bella, finitimos agros depopulabantur tantum. Movent me haec omnia, ut de duplicata fama cogitem, si enim talem successum habuissent, prae gaudio turbas et querelas de decuma misissent, quam Camillus de Veientium praeda voverat. Fabius noster vix memorabile aliquid gessisse videtur, siquidem ab historicis non inducitur verba faciens in turbis de colonia, neque in loco de Camilli decuma; de hac tacuisse praestat, nam nonnisi seditio ea de re in hunc annum cadit, non vero historia craterae illius, quae ad Camillum pertinet, cuius res gestas a Fabiana disputatione secernenda esse duxi.

§ 5. *Tribunus militum* IIII. 364.

De Kaesonis legatione et tribunatu ultimo iam satis supra [1] dictum est, ad quem locum lectorem ablegasse sufficiat.

§ 6. *Nummus.*

Restat, ut de nummo [2] Goltziano disputem; quem verbis tantum ut et ceteros omnes describam, non quod illud sufficere credam, nam multum abest, ex mea sal-

---

[1]) Cap. I § 4—6 huius Libri, p. 84—96. [2]) Vaill. *Num. ant. fam. Rom.* N⁰. 1; Morell. *Num. fam. Rom.* ed. Haverc. pag. 556. XVIII.

tem opinione, in probabili inquisitione numismatica aut ipsi nummi numerati adsint, aut chartae mandentur ea typorum ratione, quae a Galvani nomen traxit, quo nomine satis laudare non possum enchiridion numismaticum quod Grässe edidit. Verum neutrum licet, quos enim in museis nostrates sedulo collegerunt et disposuerunt nummos Fabianos, perpauci sunt, imo plerumquė varia exemplaria eiusdem denarii; Goltzianos deinde frustra in toto orbe terrarum quaesitos esse, non est quod dicam; nolui igitur depingere lithographice paucos eos, qui praesto essent, et mittere eos, qui uberiorem disputandi materiem praebeant, nec omnes ex libris numismaticis delineare, probe tenens eos artificiose quidem non vero accurate esse depictos.

*L*ucius *VOLUSUS III VIR EX S*enatus *C*onsulto. Caput Concordiae Velatum.

*K*aeso *FABI*us *AMBUST*us, *C*aius *VALER*ius *POTIT*us *CO*n*S*ul; duae figurae togatae thoraci dextra lauream tenentes, Victoria coronam inter eos suspensam tenet.

Denarius est argenteus, ergo non cusus quo tempore K. Fabius et C. Valerius vixerunt, sed cudit eum vanus ille et crudelis L. Volusus Messala, qui sub Augusto proconsul fuit Asiae [1], qui inter proavos C. Valerium Potitum Volusum numerasse videtur, qui consul a. 344 ovans de Aequis Urbem ingressus est, nam de altero C. Valerio Potito Voluso, qui consul a. 423 nullas res bello gessit, non cogitandum videtur hoc loco. Alter ille, Fabius, crux fuit numismaticis, quod fieri solet in nummis Goltzianis, neque ego huic denario quidquam tribuendum esse censeo; fieri potest, ut vanus ille Volusus inter maternos proavos Fabium nostrum numerasse sibi visus sit, quod si fecerit, cogitandum est de nostro Kaesone, cuius consularem potestatem noli credere significatam per illud *COS*,

---

[1]) Tac. *A.* III. 68; Sen. *de ira* II. 5.

sicut Vaillantius credidit, qui tamen gravius nonnihil impegit scribens non *C.* Valerium sibi voluisse vanum Volusum, verum *L.* comitem Kaesoni nostro trib. mil. 350, in quorum memoriam duos eos expresserit cum victoria adiutore, quae Anxuritanorum spoliis insidentibus et ambobus lauream gerentibus porrigat. Anxur autem captum est tribunis L. Valerio et *N.* Fabio a. 348; neque verum assecutus est doctissimus Havercampius scribens »figuram ad sinistram denotare Kaesonem nostrum 340 trib. mil. quo anno Volsci victi, sequentibus annis alias reportavit victorias"; nam a. 340 *L.* Valerius et *Q.* Fabius tribuni fuerunt; sibi voluit fortasse 350, quo primum tribunus noster Kaeso; at ne sic quidem res ad liquidum perducta est, nisi cogites de Volscorum uno tantum oppidulo Artena.

CAPUT IV.

MARCUS FABIUS K. F. M. N. AMBUSTUS (15).

§ 1. *Tribunus militum* I. 373.

M. FABIUS K. F. M. N. AMBUSTUS [1].
M. FURIUS L. F. SP. N. CAMILLUS VI.
L. FURIUS SP. F. L. N. MEDULLINUS.
A. POSTUMIUS REGILLENSIS ALBINUS.
L. LUCRETIUS (FLAVUS) TRICIPITINUS IV.
L. POSTUMIUS SP. F. REGILLENSIS ALBINUS II.

Errorem, ex quo huncce Marcum pontificem dixerunt, supra [2] refutavi. Iam videamus de eius tribunatu [3]: instabat bellum Volscum et Praenestinum, quod tribuno M. Furio Camillo VI decretum est extra ordinem, in cuius rebus gestis enarrandis totus est Livius hoc anno. Consensus populi restitit ei excusandae valetudinis verba iuraturo, quippe qui exactae aetatis erat; quatuor legiones quater-

---

[1]) Fast. Cap. 385; Liv. VI. 22; Diod. Sic. XV. 48; Plut. *Cam.* 37; An. Nor. [2]) Cf. Lib. I. Cap. VI § 7, p. 73. [3]) Liv. VI. 22—26; Plut. *Cam.* 37, 38.

num millium scriptae ad Sutrium profectae sunt, quam Romanorum coloniam Volsci vi expugnarant. Quod ni Camillus gessisset bellum, res Romana periisse fertur, ac-si non alios praeter Camillum principes viros Roma progenuisset; sed ita solent Romani omnium rerum laudem in unum eundemque conferre, qui extra modum solus excellat. Solus igitur Camillus fugientes stetit legiones Romanas et in fugam Volscos convertit, hinc Romani toti in illo laudando. Quo bello composito in Tusculanos, qui illis opem tulisse videbantur, animadversum esset, nisi nihil hostile invenisset Camillus; pacem impetrarunt nec ita multo post civitatem.

§ 2. *Tribunus militum* II. 385.

M. FABIUS K. F. M. N. AMBUSTUS II [1].
Q. SERVILIUS Q. F. Q. N. (PRISCUS) FIDENAS III.
C. VETURIUS CRASSUS CICURINUS II.
A. CORNELIUS *COSSUS*.
M. CORNELIUS MAL*UGINENSIS*.
Q. QUINCTIUS CINCINNATUS.

Incidimus in unum ex turbulentis iis annis (377—404), quales plures historia Romana protulit propter acerrimas plebis patrumque contentiones ex rogationibus Liciniis Sextiis ortas. Illas missas faciam, tantum verbo attingens quas gens nostra in his turbis partes egerit, siquidem nuper de iis accuratius scripsit doctissimus Kiehl [2].

Hoc secundo Fabii tribunatu [3] nil memorabile ad Velitras gestum est, omnium animis in rogationes Licinias Sextias conversis; octavum iam refecti erant tribuni plebis C. Licinius et L. Sextius; plebs enim, quae tunc creabat tribunos, non iniuria sibi maiora iura petebat, iterumque hos sui ordinis strenuos defensores creabat. Premebatur nempe plebs aere alieno, tulerant ergo ut id de

---

[1]) Fast. Cap. h. a.; Liv. VI. 36; Diod. Sic. XV. 77; An. Nor.
[2]) *Mnemosyne* I. 157—185, 257—288. [3]) Liv. VI. 36, 37.

capite deduceretur quod usuris pernumeratum esset, et quod superesset aequis portionibus solveretur. Patricii et plebeii belli onera sustentabant, cuius commoda patres tantum sibi reservabant, agrum nempe de hoste captum, hac de causa tulerant tribuni ne quis plus 500 iugera agri possideret. Quartam hoc anno tribuni adiecerant rogationem, ut pro IIviris sacris faciundis Xviri crearentur, ita ut pars ex plebe pars ex patribus esset.

Plebs plura sibi augurata erat commoda ex tribunatu militari quam ex illo percipiebat, plura igitur iam sibi poscebat, ut consularibus comitiis restitutis alter consul ex suo crearetur ordine. Quibus rogationibus quam maxime patricii annisi sunt; hinc summae contentiones et vel per quatuor annos anarchia, si credere licet. Plebs quotannis eosdem reficiebat tribunos, sed frustra in suis comitiis perferebat rogationes, nam ratae non fiebant a patribus non sancitae.

Idem illud aliquanto maiore spe conati erant hoc anno, quum unus ex tribunis militum Fabius noster erat, Licinii socer, ut fama fert. Non multum tribuo Livio narranti Fabium legum illarum fuisse auctorem; quidni strenui illi plebeii fecissent illas, qui fortes suarum partium defensores finguntur et fuerunt, opinor, sed cohaeret illud cum fama, quae his legibus ferendis ansam dedisset secundum veterum opinionem. Fabius autem earum rogationum suasor potius inducitur quam inimicus, qua in re quid sibi indulserint historici, vix conficias; stat enim illud aut cadit cum antiqua fabula, quam critici quomodo refellerint, infra [1] dicam; quatenus vero Fabii animus a rogationibus illis fuerit alienus, dicere non habeo.

Quidquid est, tribuni plebis petunt, ut exercitus a Velitris rediret, et sic universus ordo de suis commodis suffragium ferret; arripuerunt illud patricii, ut res differretur et novi

---

1) Cf. Cap. VII huius Libri.

crearentur tribuni plebis. Hinc annus circumactus est, priusquam a Velitris legiones reductae sint.

§ 3. *Censor* 391.

M. FABIUS K. F. M. N. *AMBUSTUS.*
L. *FURIUS. SP. F. L. NEPOS MEDULLINUS. L. F. XX.*

Recte in hunc modum Fasti suppleti sunt; qui enim iam bis collegae fuerant in tribunatu (373, 384), nunc in censura collegae fuisse legantur. Non de altero M. Fabio cogitemus necesse est, nam hic solus his temporibus functus erat maioribus honoribus, neque frater patruelis Marcus (13) in censum venit, siquidem anno 394 consul primum fuit. Classici ceteroquin nullam huius censurae iniecerunt mentionem.

CAPUT V.

MARCUS FABIUS N. F. M. N. AMBUSTUS (13).

§ 1. *Consul* I. 394.

M. FABIUS N. F. M. N. *AMBUSTUS* [1].
C. POETELIUS C. F. Q. N. LIBO VISOLUS.

Alius [2] indolis fuisse traditur Marci frater patruelis Marcus, cui consuli evenit bellum contra Hernicos. His nempe ducibus Galli, qui in Campania morabantur contra Albam egressi anno praecedenti, foede agrum Lavicanum, Tusculanum et Albanum populabantur. Contra Tiburtem hostem consul sufficiebat, contra Gallicum tumultum, ut mos fertur, dictator dictus est Q. Servilius Ahala, cui magister equitum fuit T. Quinctius. Inter Tiburtes consularis permansit exercitus; novisque delectis copiis pugnavit dictator haud procul a porta Collina. Hinc mirum

---

1) Fast. tri. h. a.; Liv. VII. 11; Diod. Sic. XVI. 9; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 2) Liv. VII. 11.

mihi accidit, quod Livius, qui toties tradit ad summum discrimen venisse rempublicam, quum vel appropinquarent tantum hostes, hoc autem anno fateatur haud procul a porta pugnatum esse, nec tamen descripserit anxie circumspexisse trepidantes cives, quum prope muros bellaretur contra Gallos in conspectu parentum coniugumque ac liberum.

Magna edita caede tandem avertitur acies Gallorum, qui fuga Tibur petentes a consule Poetelio excepti intra portas compelluntur. Egregie et dictator et consul rem gessere, nec minus alter insigni proelio Hernicos devicit. Dictator se magistratu abdicavit, Poetelius de Gallis Tiburtibusque triumphum egit; Fabio satis visum, ut ovans Urbem iniret. Haec Livius, conspirant Fasti:

C. POETELIUS C. F. Q. N. LIBO VISOLUS *COS.*	AN. *CCCXCIII*
DE GALLEIS ET TIBURTIBUS.	.......MART.
M. FABIUS N. F. M. N. AMBUSTUS COS. OVANS	*AN. CCCXCIII*
DE HERNICEIS.	*NONIS SEPT.*

Nullus dubitandi locus superesse videtur, verum duce Polybio ex hoc saltem anno amoveamus unum ex falsis istis triumphis, de quibus certatim fere dixerim Livius [1] et Cicero [2] queruntur. In hunc annum cadit Tullianum dictum: »historia rerum nostrarum laudationibus facta est mendosior; multa enim scripta sunt in iis, quae facta non sunt, *falsi triumphi*, plures consulatus, genera falsa et ad plebem transitiones." Polybius [3] enim, qui de industria Gallorum historiam investigavit, tradit Gallos anno 364 Roma relicta propter Venetorum invasionem domum reversos esse et intra suos terminos bellis civilibus tempus trivisse; alii vero, qui intra Alpes habitabant, impetus faciebant aliorum opum ambitiosi, quo tempore Romani suas vires recipiebant et cum Latinis moliebantur. Magnam deinde susceperunt expeditionem contra Albam anno 393, anno

---

[1]) VIII. 40. [2]) *Brut.* 16 § 62. [3]) II. 18.

post Urbem captam τριακαστῷ; tum vero Romani *non ausi sunt* copias educere adversus eos, οὐκ ἐτόλμησαν ἀντεξαγαγεῖν τὰ στρατόπεδα, quia necopinato venissent neque tunc satis sociorum colligi posset. Haec Polybii tradita Livius omnino neglexit; hinc nobis reliquit infitias ire triumphis, tum ei, quem dictator Camillus anno 387 egisse fertur, tum ei, quem T. Quinctius anno 393, tum denique, quem hic consul Poetelius de Gallis hoc anno egisset scilicet. At Polybius quam memorat contra Albam expeditio, cadit in annum praecedentem; forsan hoc anno postquam dictator dictus est et sociorum auxilia convocata, Romani vicerunt Gallos et de iis triumphum duxit consul. Cui opinioni plura habeo opponenda: Polybius enim subiicit altera expeditione duodecimo anno post primum Romanos ausos esse Gallis resistere; in Liviana deinde narratione pauca quaedam indicia adsunt, quae verisimilem eam non reddunt. Cur enim Livius, qui si vel appropinquant hostes, tam saepe scribere solet ad summum rerum discrimen venisse rempublicam, hoc anno fatetur *haud procul a porta* pugnatum esse, contra subiungit nullam anxie trepidantium civium descriptionem, quum pugnaretur in conspectu parentum ac coniugum liberumque, imo contra Gallos. Tum a dictatore tradit rem esse actam egregie, (nullam opinor dictatoris cladem memoriae mandarunt Romani), secundas potius tulisse partes consulem, qui fugientes et Tibur se recipientes hostes compulit; dictator vero abdicavit se magistratu, de triumpho nullus fit sermo, etiamsi idem ille Urbem ex summo periculo liberasset, contra triumphasse scribit Poetelium. Quae omnia quum recte perpenderis, mecum statuas, opinor, Poetelium de Tiburtibus post res fortiter actas duxisse triumphum, non vero de Gallis, quibuscum neque ille neque dictator pugnavit, itaque neque vicit eos. De Servilii dictatura quid statuendum sit, nescimus quidem, sed satis verisimilis coniectura videtur, Ludorum

causa eum dictum esse, absente utroque consule, nam Livius diserte addit, eum si prospere id bellum evenisset, Ludos magnos vovisse; non prorsus obliteratum est igitur cur dictus fuerit, etiamsi postea in oblivionem quum abiisset, belli causam posteri huic tribuerunt dictaturae. Huius rei passim inveniri possunt exempla, mihique quaedam reperisse visus sum.

Hanc sententiam de Romanis Gallorum nunc non victoribus nondum muto, vel perlectis iis, quae nuperrime de hac re conscripsit L. D. Bröcker [1], Polybianae narrationi docte adversatus multis iisque ingeniosis allatis argumentis, quae huius loci est refutare, sed nolo nimis a via discedere, postea per otium huc reversurus et probaturus meam de Gallis sententiam longe melius convenire moribus Romanis, quam ea, quae ad Livianam famam tuendam contulit ille, etiamsi fateor non omnia sperni posse, sed nunc saltem pergam, quum non liqueat.

§ 2. *Consul* II. 398.

M. FABIUS N. F. M. N. AMBUSTUS II [2].
M. POPILLIUS M. F. C. N. LAENAS II.

Collega [3] Popillius bellum contra Tiburtes facile gessit, quorum agros vastavit. Fabius prima pugna fusus est a Faliscis et Tarquiniensibus, cuius rei causa fuit clade potius quam fide digna; Tusci nempe sacerdotes facibus ardentibus anguibusque praelatis incessu furiali militem Romanum insueta turbarunt specie. Mox tamen, quum hostium apparatus vanus esse consuli tribunisque apparuisset, et in ea ipsa, quae primo fugerant, magno impetu ruerent, Romani hostem in fugam verterunt ingentemque praedam fecerunt castris potiti. Qua clade Tarquinienses affecti totum nomen Etruscum concitarunt,

---

[1]) *Untersuch. üb. d. Glaubwürd. d. altröm. Gesch.* p. 120 sqq. [2]) Fast. tri. 394, 400; Liv. VII. 17; Diod. Sic. XVI. 32; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. [3]) Liv. VII. 17; Front. *Strat.* II. 4 § 18; Diod. Sic. XVI. 36.

et pervenerunt ad Salinas haud procul ab Ostiis. Haec rerum narratio non offendit, videtur quidem aliis dictator et hostium populationes annuere Romanos non victores ex illa pugna discessisse sed potius victos, non verum opus est, ut hoc nobis sumamus, quidni Falisci et Tarquinienses victi totum nomen Tuscum concitarint?

Tum primum plebeius dictator dictus est C. Marcius Rutilus cum magistro equitum itidem plebeio C. Plautio. His ducibus exercitus mox Tiberim traiecit oppressitque vagantem hostem, cuius castra cepit; 8000 hostium capta feruntur ceteris caesis fugatisque ex agro Romano. Dictator sine patrum auctoritate populi iussu triumphavit. Instabant comitia consularia, quibus praeesse plebeium sive dictatorem sive consulem non sinebant patricii; quum alter consul patricius nempe Fabius noster bello retineretur, res ad interregnum rediit.

§ 3. *Interrex* I. II. 398/399 [1].

Per octo interregna sive 40 dies contentiones duraverunt; interregno functi sunt deinceps Q. Servilius Ahala (c. 389), M. Fabius (c. 373, 385 aut c. 394), Cn. Manlius (c. 395), C. Fabius (c. 396), C. Sulpicius (c. 390), L. Aemilius (c. 388), et tunc de novo Q. Servilius, denique M. Fabius Ambustus. Quandoquidem Servilius primo et septimo interregno functus est, probabilis ratio suadet rem Romanam tenuisse eundem M. Fabium et secundo et octavo, non vero undecimo, ut scribit Niebuhr [2], tot enim interreges sequenti demum anno fuerunt.

Diu dubitavi essetne hic Marcus an frater patruelis (15) intelligendus propter locum Livianum unicum hac in re testem: »alter consul Fabius bello retinebatur, res ad interregnum redit; interreges deinceps Q. Servilius Ahala, Q. Fabius, cet.” Videturne sibi voluisse Livius eundem,

---

1) Liv. VII. 17. 2) *R. G.* III. 55.

qui propter bellum aberat, interregem fuisse, an Q. Fabium consularem a. 394? Desidero adhuc exempla interregis, qui modo consul fuerit; quod si potuit accidere, septimo die post reversus esset, atqui non verum retulit Livius scribens eum bello *retineri*. Haec igitur fama respuenda erit, et Fabius de industria bellum traxisse videtur post magistratus spatium legitimum, ne comitia consularia haberentur, et sic penes interregem id est penes patricios foret potestas comitiorum; nam hoc unum voluerat sibi Fabius, ut lege Licinia fraudata duo crearentur patricii. Iam primo nempe interregno Fabius a Livio inducitur plebi imponens, secundum XII tabulas ratum esse quodcunque postremum populus iussit, si ergo duos iubent creare patricios, hoc quoque licere. Post acerrimam et satis longam contentionem, ne semper differrentur comitia, permiserunt tribuni, ut ambo essent patricii.

Neque deinde conveniunt haec cum animo, qualem Marci fratri patrueli fuisse scripsit Livius, hinc Niebuhrius nostrum recte intelligit, neque urgenda videtur Haakhii opinio, scribentis potuisse illum ad partes patriciorum transire; non enim opus est, ut hoc sumamus; at obiicit, Livius fontibus utebatur haud ita limpidis; non credo, nil aliud quam causa cur retineretur spernenda est.

§ 4. *Consul* III. 400.

M. FABIUS N. F. M. N. AMBUSTUS III [1].
T. QUINCTIUS T. F. PENNUS CAPITOLINUS CRISPINUS.

Hoc [2] quoque anno lege Licinia fraudata uterque patricius consul fuit; in aliis tamen annalibus pro T. Quinctio ferebatur M. Popillius.

Duo bella prospere gesta sunt: contra Tiburtes strenue pugnatum est, quorum urbs Sassula capta; haec fortuna

---

[1]) Fast. tri. h. a.; Liv. VII. 18; Diod. Sic. XVI. 40; (Solin. 43); Cassiod.; An. Nor. [2]) Liv. VII. 18, 19; Diod. Sic. XVI. 45.

exterruit totam gentem, quae in fidem consulis venit. Sic Livius, et Fabium hoc gessisse bellum testantur Fasti:

M. FABIUS N. F. M. N. AMBUSTUS II COS. III. *ANN. CCCXCIX.*
DE TIBURTIBUS. III. NON. IUN.

Attamen Niebuhr [1] ingeniose admodum coniecit nil aliud esse quam famam pacis cum Tiburtibus factae in hunc modum exornatam, in cuius sententiam pedibus ire non dubito, nec vero eius argumenta exscribam. Samnites in foedus et societatem accepti sunt; indutias inierunt Praenestini, quum in Tarquinienses acerbe saevitum esset, quod T. Quinctio equidem tribuerim. Multi scilicet ex iis in acie quum erant caesi, pluresque capti, nobilissimi ex his delecti sunt 260 secundum Diodorum, ut Livius vult 358, qui Romam missi, in foro virgis caesi capite poenas dederunt pro Romanis 307 a Tarquiniensibus 4 annis ante trucidatis. — Turbae domesticae mox iteratae; foenus quidem unciarium erat factum ex lege Licinia, verum sic levati usura inopes obruebantur ipsa sorte et nexum inibant; frustra tribuni aliquid moliebantur, sequentes consules ambo patricii fuerunt.

§ 5. *Interrex* III. 402/403 [2].

Sequenti vero anno alter plebeius fuit, et sine multis querelis magna vis aeris alieni exhausta est a Vviris mensariis ad hoc creatis. Vanus belli Etrusci terror dictatorem dici coegit, et sic in castris C. Iulius dictus esse fertur cum magistro equitum L. Aemilio. Dictator domi tentasse traditur, ut in sequentem annum duo patricii crearentur; frustra tamen, potuit tantum rem ad interregnum ducere, quo C. Sulpicius et deinde M. Fabius functus est. Iterum Fabio successit, ut ambo consules ex patriciis crearentur.

Dictatura illa mihi suspecta videtur, nam quum extraordi-

---

1) *R. G.* III. 95. 2) Liv. VII. 22.

nario illo magistratu opus erat rei gerundae causa, hostes iam aderant nec consules sufficiebant. Opinor eum esse dictum comitiis habendis, ut penes patricios potestas esset comitiorum, non enim huic rei sufficiebat interrex, sic anno ante vel 12 interregna fuerant, et tandem de plebe unus consul factus erat. Neque dictator tamen potuit rem ad optatum finem perducere, quo abdicante iterum interregnum inierunt. Fieri tamen potest, ut annalium auctores ad explicandum, cur iterum ambo patricii creati sint, extraordinario magistratu opus esse crediderint, unde hic dictatorem, ille interreges introduxit. Denique possumus eiuscemodi dictaturas in dubium vocare, non certo explodere.

§ 6. *Dictator* 403/404 [1].

M. FABIUS N. F. M. N. AMBUSTUS DICT. COMIT. HABEND. C.
Q. SERVILIUS Q. F. Q. N. AHALA MAG. EQ.

Ob eam causam, quam modo dicebam, dictatorem dictum esse nonnumquam docet historia huius Fabii, qui post tres consulatus dictatura functus est; nec mirum patricios Fabio hoc mandasse munus, qui bis interrex quum esset, duos consules patricios renunciaverat; praesertim quum eodem illo anno C. Marcius, qui primus de plebe dictator fuerat, ad censuram pervenisset. Eventus tamen alius fuit, ex utroque ordine prodiit consul.

§ 7. *Censor* 412.

M. FABIUS N. F. M. N. AMBUSTUS.
M. POPILLIUS M. F. C. N. LAENAS. L. F. XXII.

Ex eo, quod Plinius [2] nobis tradidit Marcum nostrum principem senatus fuisse, sequitur censura eum functum esse; principem [3] enim ex more a maioribus tradito, eum legebant, qui primus censor ex iis, qui viverent, fuisset. Quonam anno amplissimum munus gesserit non traditur,

---

[1]) Liv. VII. 22, VIII. 33. [2]) *H. N.* VII. 41. [3]) Liv. XXVII. 11.

hinc incertiora coniecta sunt, et minus recte olim censura anni 408 ei tributa est cum M. Popillio, melius autem Pighius huc traxit Eusebii [1] locum, »descriptione facta Romae inventa sunt civium CLX millia"; cadit nempe illud secundum Diodori computationem in annum 412. Satis verisimilis haec est ratio; quod ad Fabium attinet, potuit quidem lustrum XXIV condere inter 422 et 436, sed iam nimis aetate provectus fuisset, constat [2] autem eum anno 429 adhuc inter viros degisse. De collega contra res est incertissima, etiamsi honoratissimus ille fuerit in tota republica; nam quod Fastorum fragmentum ad hunc honorem stabiliendum affertur, melius ad consulatum eorundem anni 396 retulerunt viri docti, cuius rei mihi visus sum novum invenisse argumentum, quod non lustrum in marmore adscriptum legatur, etiamsi illa lapidis pars non mutilata est.

§ 8. *Princeps Senatus* 422 [3].

Inter felicitatis documenta hoc quoque Plinius servavit, tres continuos principes senatus fuisse M. Fabium Ambustum (13) eiusque filium (17) et nepotem (23), unde noli deducere per tria lustra nostrum hoc insigni honore esse ornatum. Quod enim Plinius tradit *continuos* principes, haud scio an sic accipi possit, ut unus alteri successerit nullo lustro interposito; equidem illud malo referre ad Fabios, qui deinceps hoc ornati sint, uno alteroque ex aliis gentibus interposito, sed ita ut in gente nostra continui tres fuerint, id est Marcus noster, eius filius et nepos, non vero eius pronepos (29) contra abnepos (33). Marcus noster magistratus suos gessit inter annos 394 ad 403, eius filius censor fuit anno 450, atqui sequenti lustro princeps senatus fieri potuit; iam si pater ad hunc annum usque princeps fuisset, per 60 fere annos vitam protraxisset

1) Ad Ol. CX. 2. 2) Cf. Lib. VII. Cap. 1 § 3. 3) Plin. *H. N.* VII. 41.

post censuram suam, quod nimium videtur; constat eum vixisse adhuc anno 429, quum senex pro filio contumace intercessit, sed ultra hunc terminum non potuit vivere per 21 annorum decursum.

Pighius opinatur eum anno 422 principem esse lectum, quod satis verisimile etiamsi nullo testimonio firmatum.

CAPUT VI.

CAIUS FABIUS (N.) F. (M.) N. AMBUSTUS (14).

§ 1. *Genealogia.*

Transeamus ad Caium Fabium, cuius genealogia nonnisi coniectura poni potest ducibus Fastis; viri docti ei tribuerunt patrem Marcum K. f. (15), a cuius tribunatu consulatus nostri 23 annos distat, frater fuisset ergo Fabiarum duarum (20); haec ratio satis placet et praeferenda est prae Quinto patre (9) aut Caio nescio quo. Attamen simpliciorem in modum equidem pono eum aequalem Marci N. f. (13), siquidem eius consulatus medium obtinet locum inter illius honores. — Notari potest denique praenominis discrimen, nam Μάρκος apud Diodorum, Caius apud Livium audit; hunc sequor, apud quem mox Caius Fabius interrex occurrit, nec discrepat Cassiodorus.

§ 2. *Consul* 396 [1].

C. FABIUS (N.) F. (M.) N. AMB*USTUS.*
C. PLAUTIUS P. F. P. N. PROCULUS.

Novi [2] consules iussu populi bellum indixere Tarquiniensibus, quae provincia Fabio evenit, dum collega Hernicos debellaret. Fabius incaute et inconsulte adversus

---

[1]) Fast. Cap. h. a.; Liv. VII. 12; Diod. Sic. XVI. 23; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. [2]) Liv. VII. 12—15; Oros. III. 6.

hostem pugnavit, adeo ut 307 Romani capti sint, qui numerus prae ingenti illo quem ipsi solebant Romani in captivitatem deducere, haud ita magnus videtur. Tarquinienses vero illos ad unum omnes in foedissimum supplicii exemplum immolaverunt. Interea ager Romanus a Tuscis vastabatur. — Nolo hanc cladem in dubium vocare, etiamsi argumenta adsunt, mentio enim huius cladis atque crudelis facinoris in transitu tantum fit, quasi animadversione vix dignum esset; non dicitur hanc ob causam dictator aut mittitur ad poenas sumendas, neque consul in iudicium vocatur; vix Livius dicit Romanos ista aegre tulisse, ita ut quinto demum anno post Romani in Tarquinienses saevierint, quorum captivi 358 in foro capite poenas dederunt. Eiusdemmodi observationes movent quidem suspicionem, attamen cladem istam haud negaverim, nam si aliquid finxerunt Romani, ornando famam augent, si contra vere aliquid accidit, verbo solent id notare, cuius rei bonum exemplum in victoria de Volscis anni 311 Niebuhrius protulit. Quam ob causam Fabio duce Romanos trecentos ab Etruscis interiisse non dubito, sed numerus ille praesidium videtur annuere, sive coloniam in Etruria vulgari numero trecenario munitam; similitudo quaedam inter hoc factum intercedit et illud, quod nomine cladis Cremerensis innotuit, quum trecenti itidem Romani duce Fabio ab Etruscis deleti sunt, quae quum reputo, non abhorret a Romana vanitate suspicio, in cladis Cremerensis historiam tum ex clade Alliensi tum ex huius anni scelere aliquid migrasse.

Dum alter consul rem gerebat in Hernicis, Galli Praeneste venisse nuntiantur; quod Latini pacem petentes inducit Livius nil aliud est, quam foederis renovatio aequis nempe conditionibus, secundum quod tenebantur praesidium dare, sicut mox subiicit Livius. Gallici tumultus causa dictatorem dicere placuit C. Sulpicium Petitum, cui M. Valerius magister equitum additus. Dictator, ut vetus

est adagium, vicissim cornua cedentia incitavit ad proelium, et sic ut solet ille, debellavit hostem duxitque triumphum, qui post M. Furii nullo fuit iustior. Sic Livius, sed eodem Polybii loco nisus, quem supra attuli, annitor Livianae narrationi, neque Fasti rem conficiunt; suspicor itaque consulem de Hernicis [1] duxisse triumphum, de Gallis vero nondum credo; fortasse Sulpicius dictus est dictator, ut praecaveret, sed oritur probabilis suspicio eum dictum esse propter ludos votivos, qui hoc anno fuisse feruntur, quae dictatura posteris rei gerundae causa accidisse videbatur, ut supra dictaturam anni 394 explicui.

Cadit denique in hunc annum mentio legis secundae contra ambitum, et duarum tribuum quae accesserunt, Pomptina et Publilia, sive quod ager Romanus auctus esset, sive ut plebis vires sic minuerentur et frangerentur.

§ 3. *Interrex* 398/399 [2].

Verbo monuisse sufficiat de quarto interregno, quo Fabius hicce functus videtur, ubi in annum 399 consules erant creandi. Quod unicum interregi gerere licet, non perfecit, nam supra [3] vidimus Marco Fabio (13) octavo interrege consules esse creatos.

CAPUT VII.

FABIA M. F. K. N. AMBUSTA, UXOR S. SULPICII PRAETEXTATI, FABIA M. F. K. N. AMBUSTA, UXOR C. LICINII STOLONIS (20).

§ 1. *Genealogia.*

Duae nobilissimae filiae [4], quibus res Romana tantum debuit, patrem habuerunt Marcum Fabium (15) avum

---

[1]) Cf. Cap. VI § 1 huius Libri, p. 112. [2]) Liv. VII. 17. [3]) Cf. Cap. V § 3 huius Libri, p. 114. [4]) Liv. VI. 34; Flor. I. 26 § 2, 3; Zonar. VII. 24.

Kaesonem (11), nam Livius diserte Marcum illum Stolonis socerum dixit.

Fabia maior nupta erat Sulpicio viro patricio, minor Stoloni illustri quidem sed plebeio. Zonaras contra filias permutavit, tradens maiorem Licinio minorem Sulpicio nuptam; cui scripturae si fides potest haberi, pro Liviano *maior*, *minor* legendum erit *minor*, *maior*, nam haec confusio verisimilior quam Zonarae librariis illud tribuere. Sed obstat fortasse huic opinioni, quod causa adsit, cur maior filia Sulpicii uxor tradatur, nam Fabiae pater tribunus militum fuit 373, Sulpicius (t. 377) collegae filiam duxit maiorem, dum filiam minorem duxit Licinius itidem aetate non adeo provectus, quippe cuius pater tribunus fuit anno 378.

Videbatur quidem nonnullis C. Licinius ille, tribunus militum 378 atque anno 389 qui primus de plebe magister equitum fuit teste Livio [1], idem esse ac C. Licinius Stolo rogationum lator, ut Plutarchus [2] tradit eum τὸν ἡγεμόνα τῆς στάσεως dicens. At hunc Caii praenomen induxit in errorem, si enim horum temporum uberrimo testi Livio credimus, legislator C. Licinius tribunus plebis fuit inde ab anno 377 per plures annos atqui diversus est a C. Licinio, qui anno 378 tribunus militum fuit; duo illi magistratus eius sunt naturae, ut unus non simul eos gerere possit. Neque convenit deinde rerum statui anni 389 legislator C. Licinius magister equitum eius dictatoris, qui adversus istius molitiones dictus erat; nonnisi patriciorum conamen videtur, ut magistro de plebe tandem creato condonaretur aliquid huic ordini. Has ob causas aliorum sententiam amplexus Caium legislatorem pono consulatum gessisse anni 390, qui in Fastis Caii filius Publii nepos legitur, atqui filium eum habeo Caii tribuni 378, etiamsi

---

1) VI. 39. 2) *Cam.* 39.

spatium 14 annorum solemni paulo minus est. Sed hoc temporibus rectissime tribui potest.

§ 2. *Fabella Fabiarum* 377.

Harum pater rogationibus Licinianis auctor exstitisse fertur, quum forte fortuna minor Fabia in S. Sulpicii domo degens, ubi sermonibus tempus terebat, expavisset, quod lictor Sulpicii domum redeuntis forem virga percuteret. Hoc sorori risui fuit, miranti illam ignorare morem, sed patri, qui confusam eam ex recenti morsu animi vidit, causa doloris non latebat; sororis matrimonium fortunatum videbatur, dum ipsam poenitebat eius mariti, quem nullus lictor anteiret. Tum elicuit pater pavoris causam, cui iam fatebatur se dolere, quod iuncta impari esset, nupta in domo, quam nec honos nec gratia intrare posset; denique filiam consolans pollicitus esse fertur illam propediem domi visuram honores quos apud sororem viderat.

Quae Bellofortius [1] ad hanc historiolam explodendam protulit, cadunt partim, nam Licinium iam tunc tribunatu functum esse credebat ille; cetera vero quae attulit, nolo mittere, quippe quae vel doctissimis latere cognovi. Livio ὁ νοῦς παρὼν ἀπεδήμησεν, ut est apud poëtam, quum hanc rem scripto mandavit; expavisset Fabia, quod Sulpicii lictor virga portam percuteret, re vera quod aegre ferret impari se esse iunctam. At falsissimum est hocce angoris vel invidiae fundamentum; Sulpicius tribunus militum erat, quod ipsum munus erat institutum, ut plebi aliquid commodi largiretur, sic iam anno 354, 358 tribunus fuerat P. Licinius nostri avus, anno 378 C. Licinius nostri pater, necnon Fabiae maritus, utpote plebeius totusquantus eodem ornari poterat munere; quod si reputaveris, mireris necesse est Livium scripsisse, Ambustum filiae pollicitum

[1]) *Incertit.* p. 308—316.

esse *eosdem* propediem domi visuram honores, quos apud sororem viderat, id est tribunatum militum consulari potestate. Nec Fabia moris illius insueta esse potuit, non enim penatibus suis sonus ille erat ignotus, siquidem eius pater anno 373 tribunus militum fuerat, aut tunc aut apud mariti patrem lictores audiverat pulsantes, opinor. Absurdum est itaque credere eam *οὔπω τούτου πεπειραμένην*, et summo iure soror miraretur, quod ea de causa expavisset. Actum est igitur de causa terroris, quae falsa et ficta est, nec est locus invidiae inde natae, nam non erat cur sororis uxori tribunatum invideret, ad eundem magistratum mox Licinius perveniret, quem more Romano totidem lictores comitarentur, quot Sulpicium, et vel plures etiamsi plebeii sectarentur.

Lubet denique ex genealogia novum argumentum proferre contra fidem huius historiae, si vel eo opus est. Fabio aequalis fuerunt Sulpicius qui 4, et C. Licinius qui 5 annis post eum tribunus militum fuit; iam si Fabii unam filiam Licinii filius duxerit, non obloquar, sed valde dubito, an Sulpicius duxerit filiolam 20 annis iuniorem; aut impares nuptiae fuerint, aut Sulpicius 20 annis circiter collegae Fabio minor erat; sin vero ad tribunos patricios adeo iuvenes res esset delapsa, historici induxissent procul dubio plebeios torquentes hoc tribunorum desiderii documentum contra rerum statum qualis tunc erat, quem illi omnibus viribus mutare iam tunc annitebantur.

§ 3. *Mulieres in historia Romana.*

Quod autem Bellofortius posuit, permulta muliebribus debere rempublicam Romanam, tribus tantum probavit exemplis, quibus iam plura habeo subiungenda, quae protulisse non poenitebit, nam quod in summis rerum mutationibus mulierum partes tantae fuerint, satis mirum videtur, et movet suspicionis nonnihil.

Rhea Silvia, quae nisi vitiata puella, Conditor nominis Romani defuisset.

Sabinae, quae nisi intercessissent, non superassent Romani Sabinos.

Lucretia, quae nisi vitiata, reges non eiecti essent.

Veturia, } quae nisi deprecatae essent Coriolanum, rem
Volumnia, } Romanam Volsci delevissent.

Virginia, quam nisi Appius Claudius concupivisset, Xviri non interiissent.

Virgo Ardeas [1], quam nisi iuvenes petivissent, Romani non debellassent Volscos.

Fabiae, quarum nisi minorem expavisset lictor foras pulsando, plebs sua iura non esset adepta.

Tarpeia, cui sacra fiebant solemnia, atqui aliquid Romani illi debuerunt.

Cloelia, cui ob nobile factum statua equestris posita.

Tanaquil, quae Servio Tullio regni auctor exstitit.

Tullia, quae patrem perdidit et Tarquinio regnum dedit.

In re amatoria muliebribus non fidendum esse canunt poëtae, verum quid quaeso valent in historia, si accuratius eam perscrutamur. Relinquamus poëtis et rhetoribus ista omnia decantanda exercendi causa, non vero recipiamus in historiam, quam nobis informamus imaginem eorum quae re vera gesta sunt.

CAPUT VIII.

QUINTUS FABIUS (M.) F. (K.) N. AMBUSTUS (21).

§ 1. *Genealogia.*

Quonam patre hic Fabius usus sit, certe definiri nequit; potest tamen contemni eorum opinio qui patrem ei tribuunt Q. Fabium (9) tribunum 342, 364; annorum enim

---

[1]) Liv. IV. 9, 10.

decursus 68 rem conficit. Ego vero, ut recte Haakhius posuit, eum aequalem habeo Rulliani (17) et M. Dorsonis (16), atqui optionem faciendam esse contendo inter Marcos duos (13, 15) Numerii et Kaesonis filios; si M. f. N. n. fuit, 19 annos Rulliano fuit maior natu, et intersunt inter patris (394) filiique honorem (410) 16 anni, utrumque intervallum solemni paulo minus est, nec tamen absurdum. Porro non obstat Livianum[1] dictum: »patri Rulliani orbitatem parari," si filius condemnaretur, nam non fuit ille unicus Marci filius, Caium quoque fratrem habuit, ut Fasti testantur. — Probabilior tamen altera mihi videtur opinio ut Marcum (15) nostro patrem tribuamus, Kaesonem (11) avum; patris enim honores distant a filii 37 annos, quod intervallum respondet accurate ei, quod Rulliani inter magistratum et patris fuit, 35 annorum. Non enim urgenda videtur causa horum magistratuum diversa, bellum volo feriasve.

§ 2. *Magister equitum* 410 [2].

P. VALERIUS P. F. L. N. POPLICOLA DICT. FERIAR. LATIN. C.
Q. FABIUS (M.) F. (K.) N. AMBUSTUS MAG. EQ.

Consulibus L. Marcio Rutilo III T. Manlio Torquato II aedes Monetae dedicata est, quam dedicationem mox prodigium insecutum est; in monte Albano lapidibus pluit, atqui de more libros inspexerunt Xviri, qui ad senatum retulerunt, cui placuit dictatorem dicere. — Liceatne suspicari Fabium magisterio functum esse mense quinctili aut sextili dubito, nam caute Macrobii [3] locus accipiendus est, quo docemur aedem Monetae dedicatam esse kalendis iuniis, qua dedicata extemplo prodigium insecutum esse tradit Livius. Credo equidem ex paronomasia natam esse famam aedis *Iunonis* Monetae kalendis *Iuniis* votae, Macrobius saltem hoc attulit exemplum ea de causa.

---

[1]) IX. 33. [2]) Liv. VII. 28. [3]) *Sat.* I. 12.

Hisce feriis non tantum placuit tribus ire supplicatum, verum finitimos quoque populos; per quot dies supplicaverint non tradit Livius, modo enim per unum diem (541), modo per tres (564) gratiam deorum deprecabantur. Cum solemni precatione fiebat hoc sacrum, in urbe ibant solemni pompa circa omnia delubra, fana, pulvinaria, omnes tribus et ordines; hoc saltem anno totus ordo senatorius patriciusque praeëunte pontifice maximo, deos supplicantes pacemque exposcentes, praecedentibus Camillis lauream manu tenentibus voce modulata carmen nuntiantibus.

§ 3. *Dictator* 433/434 [1].

Q. FABIUS (M.) F. (K.) N. AMBUSTUS DICT. COMIT. HABEND. C.
P. AILIUS P. F. P. N. PAITUS MAG. EQ. — VITIO FACTI ABDICARUNT.

Hanc tribuo dictaturam nostro Fabio, etiamsi nullos huius rei habeo testes; nullus autem est alius Quintus, cui hunc honorem adscribam, neque obstat annorum 23 spatium quo distant duo illa munera; aliis videtur dictator filius Quinti magistri equitum, sed quum 23 annos differat filii dictatura a patris magisterio, haec ratio non placet.

Tristissimus fuerat hicce annus 433 propter cladem Caudinam; victus exercitus sub iugum missus vix Romam redire audebat, languescebat res Romana, consules tamquam privati se domi tenebant, nihil pro magistratu gerentes. Mali ominis fuisset, opinor, si infausti isti comitiis praefuissent, propterea dictatorem dici placuit. Ex nobilissima gente prodiit quidem dictator noster, sed non praefuit comitiis, quippe vitio factus videbatur, alii iis suffecti sunt, qui neque habuere comitia, et sic res ad interregnum rediit. Vitium in Fabio dicendo illud esse potuit, quod a consule male ominato dictus esset, nisi forte augures alium praeferrent.

[1]) Liv. IX. 7.

CAPUT IX.

MARCUS FABIUS M. F. N. N. AMBUSTUS (18).

§ 1. *IIIvir coloniae deducendae* 420 [1].

Quemnam patrem hicce Marcus habuerit, non ambigitur, nam Rulliani aequalis imo frater [2] fuisse apparet, post cuius magistratum eodem honore functus est; suspicor igitur eum natu minorem fuisse, contrarium aliis placet.

Anno 420 contra Sidicinos bellum gerebant Romani, quod sortitus est M. Valerius Corvus IV, qui cum victore exercitu Cales oppugnavit, quam urbem Ausones tenebant. Tunc M. quidam Fabius captivus negligentia custodum usus die festo per restem, quam ad pinnam muri religaverat, manibus se demisit, imperatoremque incitavit statim impetum dare in hostes post epulas sopitos. Sic facillime quum Cales captae sunt, ingentem praedam inde abstulerunt; mox senatus consultum factum est de colonia Cales deducenda in agrum Sidicinum; 2500 nomina dederunt, quibus ager divisus est a IIIviris K. Duilio (cons. 418), T. Quinctio et M. Fabio.

Suspicor hunc eundem Marcum fuisse, qui auctor fuerat impetus, ut praemii loco hoc munus ei oblatum fuerit; solebant enim ni fallor optimos quosque agros sibi reservare IIIviri. Hinc quoque posset explicari, quod iuvenis collega fuerit consulari; satis probabilis enim videtur ratio, ex qua haec omnia huic Marco tribuerim, potest tamen M. Fabius Dorso intelligi, filius consulis 409 (16).

§ 2. *Magister equitum* 432 [3].

A. CORNELIUS P. F. A. N. COSSUS ARVINA DICT. LUDOR. ROMAN. C.
M. FABIUS M. F. N. N. AMBUSTUS MAG. EQ.

Iam Livii temporibus dissentiebant, cuiusnam rei causa dictator hoc anno dictus esset; alii enim annales trade-

[1]) Liv. VIII. 16. [2]) Liv. IX. 36. [3]) Liv. VIII. 38—40.

bant consules bellum Samniticum gessisse eosque triumphasse, dictatorem dictum esse, qui Ludis Romanis praeesset, quia L. Plautius praetor gravi morbo implicitus signum mittendis quadrigis dare non posset. Alii contra dictatorem belli gerundi causa dictum tradebant, eique haud modicas belli laudes adscribebant. Ipse Livius utram sequatur famam ambigit, et queribundus subiungit: »vitiatam memoriam funebribus laudibus reor, falsisque imaginum titulis, dum familiae ad se quaeque famam rerum gestarum honorumque fallente mendacio trahunt: inde certe singulorum gesta et publica monumenta rerum confusa." Hoc testimonio nisus non diu ambigo, memoria aucta est, atqui minora acciderunt; Cornelii dictatura posteris rei gerundae causa accidisse videbatur, falsus titulus traxit extraordinarium magistratum ad bellum, quod tunc quidem gerebatur sed a consulibus [1], nam re vera Ludis praefuit Cornelius, quibus praetor Plautius vacare non posset.

CAPUT X.

CAIUS FABIUS M. F. N. N. AMBUSTUS (19).

§ 1. *Magister equitum* 439 [2].

Q. FABIUS M. F. N. N. MAXIMUS RULLIANUS DICT. R. G. C.
Q. AULIUS Q. F. AI. N. CERRETANUS MAG. EQ.
IN PROELIO OCCISUS EST. IN EIUS L. F. EST
C. FABIUS M. F. N. N. AMBUSTUS MAG. EQ.

Hoc integrum Fastorum testimonium satis evincit Caium fratri suo fuisse magistrum, postquam Q. Aulius in proelio occisus esset. Accidit illud Saticulae aut paulo post Sa-

---

1) Cf. Lib. VII. Cap. I § 4.

2) Fast. Cap. h. a.; Liv. IX. 23.

ticulam captam, quum ad Soram bellum erat translatum, de qua duplici fama plura dicam ad Rulliani dictaturam [1]. In Auli locum Fabius noster qui successit, cum novo exercitu quum Roma venisset, primo dictator milites suos celavit eius adventum; mox ab utraque parte Romani aggressi sunt Samnites, qui sic circumventi fugam per diversa capessivisse feruntur, quorum multi sunt caesi, castra capta atque direpta.

[1]) Cf. Lib. VII. Cap. I § 7.

LIBER III.

FABII DORSONES.

CAPUT I.

CAIUS FABIUS (Q.) F. (M.) N. DORSO (12).

§ 1. *Cognomen.*

Unde haec Fabiorum familia cognomen traxerit, ex analogia coniicere licet. E corporis nempe habitu quocumque modo excellente; sic enim a capite habuere cognomen Capitones, a ciliis Cilones, a dente Dentones, a fronte Frontones, a labiis Labeones, a mente Mentones, a naso Nasones, a pede Pedones, a vulsis Vulsones, nec mirum in hac familia a dorso Dorsones esse dictos; nec est cur librariorum praeferentes scripturam Dorsuonem eum dicamus.

§ 2. *Genealogia.*

Quonam patre noster gauderet, ignoramus; fertur [1] iuvenis atque adolescens fuisse tribunis Ambustis anno 364, quod nomen etiamsi urgeri vix possit, tamen eum habeo filium unius alteriusve tribuni, et iam cum Richtero eum filium Quinti Ambusti (9) fuisse suspicor, quippe cuius fratres habuerunt alios filios; haec ratio verisimilis est sed omnino non certa.

Apud Dionem [2] audit Kaeso, quod tribuerim Latino fonti quem adhibuit ille, in quo istae litterae (C. et K.) facile permutari potuerunt.

---

[1]) Liv. V. 46. [2]) Fr. 25, 5.

§ 3. *Sacra in colle Quirinali* 364 [1].

Capitolium per plures menses Galli obsederunt, quae obsessio etiamsi adeo gravis, ut nil in arcem transferri potuerit, tamen pius noster Fabius eam reliquisse fertur sacrorum causa. Erat nempe statutus dies, quo Fabiae genti solemne erat sacrum peragere, noluerunt religiosi Romani negligere deos, tunc praesertim in summo rerum discrimine placandos; statuunt ergo sacra rite facere. Sed solemnis mos requirebat ut in monte Quirinali fierent, ubi ara erat aut aedicula, in qua fieri solebant; Appianus de templo Vestae loquitur, haud scio an recte. Galli omnia praeter Capitolium tenebant, atqui hunc quoque locum; non tamen eos absterruit illud a proposito, unus ex gente dimittitur Dorso noster ad praestandum officium. Gabino cinctu indutus, id est, toga in tergum reiecta, ut ima eius a tergo revocata corpus cingat [2], descendit de Capitolio per medias hostium stationes, et sic salvus in Quirinalem pervenit; peractis sacris eadem via constanti gradu, deos propitios sibi fore confidens in arcem rediit per media hostium tela incolumis sive religionis auxilio sive Gallis audaciore facinore attonitis.

Hanc spreverim fabellam, quae haudquaquam probabilis mihi esse videtur; quomodo enim arcem undique obsessam et cinctam reliquisset et salvus rediisset, quomodo qui arci praeerat tale quid permisisset, quot quaeso fame pressi similem ob causam arcem reliquissent, quomodo Gallos sacrorum cura defixisset? Romanis tunc summa cura fuisse fertur, ne sacra in hostium venirent potestatem, quae sub terra defoderunt aut in alia loca transtulerunt, quis credet Fabium procul dubio admodum pium, ausum esse per medias hostium stationes sacra manibus

---

1) Liv. V. 46—52; Val. Max. I. 1. 11; Flor. I. 13 § 16; Min. Fel. 6; Dio Cass. fr. 25. 5, 6; App. *Gall.* 6. 2) Serv. *ad Aen.* VII. 612.

gerere? Non mihi in animum possum inducere talem religionem, quae non metuisset ne in hostium potestatem illa sacra venirent.

Unde autem historiola originem traxerit, in aprico est. Gentilicia sacra prae ceteris sedulo observabant patricii, in quorum privatis commodis primum obtinebant locum; solemni modo quotannis celebrabantur, piaculum fuisset narrare vel semel ea fuisse intermissa; hinc numquam ea neglecta esse scripserunt religiosi posteri, quod ita relatum quum accepissent, facile sibi persuadebant vel obsessa Urbe sacra esse peracta. Constabat in monte Quirinali sacrorum statutum esse locum, atqui unus ex seris proavis aliunde prorsus ignotus strenuus adolescens inducitur in commentarios huius nobilissimae gentis, contemnens hostes et tela, qui salvus religionis auxilio statutum sacrificium rite illic peragat.

Verum omnino tradidit Livius et ex eo Valerius Maximus sacra illa fuisse privata; contra altera fama falsa est, quam debemus Cassio Heminae, ut Valesius Appiano recte reddidit. Dorso appellatur ab illo ἱερεύς, apud Florum pontifex, quod sacerdotium Dio Cassius sibi voluit, ubi scribit: ἐπειδή τι τῶν ἱερῶν ἐχρῆν ὑπὸ τῶν ποντιφίκων ἀλλοθί που τῆς πόλεως γίνεσθαι, Καίσων Φάβιος κτέ. Si pontifex ille sacra fecisset, publica fuerint inde sequitur, sin vero publicis opus erat sacris, ab optimo quoque ex aliis sacerdotibus peragi potuissent; at pontifices et flamines tutissime Caere se receperant, praepostere ergo supplerunt historici sacerdotem fuisse nostrum. Trahitur ad hunc locum explicandum virorum doctorum opinio flaminis sacerdotium genti Fabiae proprium fuisse, sed infra [1] illud refellere conabor. Denique privata sacra fuerunt Herculi, opinor, de quibus in Introductione [2] dictum est.

Nec urgendum videtur quod Cassius Hemina addit,

---

1) Lib. V. Cap. VII § 1. 2) Pag. 20.

sacrificium in Vestae templo peractum esse, nam nil aliud huic famae subest, quam cultus illius deae numquam a Vestalibus intermissus, qui male huc pedem intulerat. Perperam ergo inde deduxit Bröcker [1] ex fama huius sacrificii sequi debere templum Vestae non esse dirutum nec incensum a Gallis; aliquid dixisset, si aedes illa in ipso Quirinali stetisset, quod quum non ita sit, noli diversas miscere famas, quas historicis non vero historiae debemus.

CAPUT II.

MARCUS FABIUS C. F. (Q.) N. DORSO (16).

§ 1. *Consul* 409.

M. FABIUS C. F. (Q.) N. DORSO [2].
SERV. SULPICIUS CAMERINUS RUFUS.

Videtur hicce Dorso superioris filius fuisse; quae ratio non certa sed propter annos satis verisimilis.

Inclaruit hic annus [3] bello Aurunco, quod susceperunt Romani, quum Latinus ille Campaniae proximus populus agros finitimos depopularetur. Metu ne unius scilicet populi depopulatio consilium esset omnis nominis Latini, Camillus dictator creatur velut adversus armatum iam totum Latium. Sed propter ipsum dictatorem suspicari licet memoriam huius belli vitiatam; ipsi Livio aliquid suboluit scribens: »*velut* adversus iam totum Latium" dictatorem esse dictum. At haec ratio haudquaquam verisimilis est, depopulabantur in ultimo Latio, non erat cur dictator diceretur, qui tam facile rem composuisse fertur, ut ad finem res esset perducta vel ante votum solutum, quod inter mediam dimicationem suscepit. Neque erat

---

[1]) Pag. 24. [2]) Liv. VII. 28; Diod. Sic. XVI. 66; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. [3]) Liv. VII. 28.

cur indiceretur iustitium, clauderentur tabernae, silerent leges, acsi summa esset trepidatio et hostes ad portas starent. Indulserunt sibi posteri in laudando Camillo; bene de patria meritus est ille, non obloquor, sed demendum erit aliquid; sic Polybius [1] illi abiudicavit laudem belli Gallici anno 405, nam tunc Romani cum sociis contra Gallos eduxerunt copias quidem sed non potuerunt eos clam aggredi, atqui noctu se domum receperunt tamquam fugientes. Simili modo aucta fama videtur ex anni 416 de Latinis victoria re vera reportata, ut hoc anno dictatorem dictum esse tradant, quippe quo anno ex annalibus constabat cum Auruncis bellum esse gestum, cuius laus ad Camillum mox trahebatur, acsi extraordinario magistratu opus esset. Incidit quidem in hunc annum dictatura, sed alius generis; coniungendam eam suspicor cum aede Iunonis Monetae hoc anno dedicata. Aedes illa vota [2] erat a Camillo, atqui idem eam dedicavit, opinor, cuius rei exstant exempla. Tum demum insecuta sunt prodigia, libri inspecti, feriae indictae et dictator Valerius dictus est cum magistro Fabio Ambusto [3].

Belli Aurunci gloriam ad consules igitur referendam duco, si gloriae locus est in bello adversus praedones; statim enim rebus compositis ad Volscum bellum consules adhibuisse feruntur exercitum, quo Soram ceperunt.

§ 2. *Interrex* 413/414 [4].

Iure potest dubitari an M. Fabius huius anni interrex Dorso noster fuerit; magistratus ille gerebatur a consularibus, ergo optio inter hunc et Marcum (13) censorium anni 412 facienda est. At hic aetate provectior erat, de altero igitur malo cogitare, siquidem M. Valerius ille, a quo interregnum accepit, consul fuerit annis 406, 408,

---

1) II. 18 § 8. 2) Ovid. *Fast.* VI. 183. 3) Cf. Lib. II. Cap. VIII § 2, p. 126. 4) Liv. VIII. 3.

411, atqui Dorso consul anni 409 ei propior accedit quam Ambustus, qui magistratus gessit inter annos 384 et 412.

Utervis fuerit, renuntiavit novos consules. Comitiis praeesse non poterant consules, quoniam ante tempus abdicare iussi erant, ut novi consules novi belli contra Latinos gerendi molem sustinerent. Obscurum aliquid his inest, nam nil reprehendendum cernitur in iis, quae hoc anno Livius tradit gessisse consules; cur autem abdicarint non perspicio, nisi Latinis, qui iam tunc occulte bellum coquebant, haud inimici fuerint.

LIBER IV.

FABII LICINI.

CAPUT I.

CAIUS FABIUS M. F. (M.) N. (DORSO) LICINUS (28).

§ 1. *Cognomen.*

Potest cognomen Licini cohaerere cum adiectivo *licinus*, *ἀνάθριξ*, quod de eo dicitur qui comas sursum crispatas gerit [1]; nec tamen credo, potior etiamsi incerta etymologia videtur, si a textura Licinos dictos posueris, *licia* enim fila sunt, quibus implicatum est stamen. Eodem cognomine L. Porcius consul 570 gaudebat.

§ 2. *Genealogia.*

Huius Caii agnomen nondum constare videtur, apud Velleium audit Fabius *Dorso*, Eutropii codices variant *C. Gaius* et *Gallius*, *Fabius* et *Fabricius*, necnon *Luscinus*, *Lucinius* et *Licinius;* Cassiodorus ex Livio habet *C. Fabius;* Anon. Nor. *Lucinus;* Fast. Sic. Λίκιννος. Ex quibus omnibus Onuphrius Panvinus confecit, quem multi sequuntur: mortuum esse in magistratu C. Fabium, eique suffectum C. Fabricium Luscinum III; alii utrumque cognomen coniunxerunt, et sic prodiit C. Fabius Dorso Licinus. Equidem haec tantum statuere audeo: expellendus est C. Fabricius iste ex Eutropii codicibus peioris

---

[1]) Serv. *ad Georg.* III. 54.

notae, necnon *Luscinus*, quod cognomen Fabricii [1] fuit, in quam formam vera scriptura praepostere abierat, neque convenit hic consulatus cum Fabricii historia; tum verisimillimum est cognomen *Licinus*, quam etiamsi formam nullus eorum integram ad hunc annum servavit; constat [2] deinde anno 508 M. Fabium *Licinum* fuisse, quum iam Fasti Siculi et hic et anno 481 *Λικίννου* praebent, ubi Anonymus Norisii recte habet *Licino*, opinor eiusdem familiae alium Fabium hoc anno consulatu esse functum. Praenomen ex Cassiodoro, cuius fastis equidem multum tribuo, constare contendo; quaestio igitur restat tantum, utrum duplici cognomine usus sit, Dorsonis nempe praeter Licini, quod pendet a solo Velleio, cui fidem non audeo abiudicare, hinc eum Dorsonum ultimum Licinorumque principem pono, quod etiamsi incertum satis verisimile. Constat autem [3] M. Licinum (32) fuisse Caii filium, huiusce opinor, et Marci nepotem, qui Marcus quum non potuit idem esse qui consul 409, nam nimis multi anni intersunt, quidquid Haakhius contradicat, alterum interserui Marcum in stemmate.

§ 3. *Consul* 481.

C. FABIUS M. F. (M.) N. (DORSO) LICINUS [4].
C. CLAUDIUS C. N. CANINA II.

Quomodo Fabius noster suo munere functus sit, ignoramus propter Liviana volumina perdita. Quietior annus fuit prae superioribus, nam Pyrrhus nobilissimus Epirotarum rex et princeps ille belli dux anno praecedenti Italiam reliquerat; contra Lucanos vero necnon Samnites Bruttiosque rem strenue gessisse Fabii collegam Claudium et qui insecuti sunt consules, evincunt Fasti triumphales; nec mirum, nam ubi solum verterat strenuus ille

---

1) Fast. tri. 476. 2) Fast. Cap. 508. 3) Fast. Cap. 508.
4) Vell. Pat. I. 14 § 7; Eutrop. II. 15; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic.

hostis, Romani poterant illos Italiae populos paulatim in deditionem reducere. Coloniae hoc anno deductae sunt [1] Cosam et Paestum sive Posidoniam, utraque maritima, haec in Campania, illa in Etruria ad X lapidem.

Legatos [2] his consulibus Romam misit Aegyptiorum rex Ptolemaeus Philadelphus, qui cur longinqui populi amicitiam contrahere conatus sit, coniicere licet; Pyrrhus nempe postquam a Romanis erat victus ad Maleventum et sequenti die in campis Arusinis, profectus quidem est Tarentum, sed nondum Italiam volebat missam facere, quoniam auxilia exspectabat; paulo ante enim epistolas miserat ad Antiochum Soterem regem Syriae, ad Antigonum Gonatam regem Macedoniae et ad Ptolemaeum Philadelphum, a quibus auxilia petebat, classem et pecuniam. Hi omnes Pyrrhum in summo rerum discrimine destituerunt, ergo quam primum potuit in Macedoniam traiecit Antigoni ulturus auxilia negata, de Aegypto idem facturus, quod non perfecit, nam in expeditione contra Argivos interiit. Non mirum est Ptolemaeum maluisse socios sibi adsciscere Romanos, nobilissimos etiamsi vix Pyrrhi victores, quam huic auxilia submittere et sic longinquos attamen fortissimos sibi reddere hostes; eo ipso anno non metuenda erat Pyrrhi ultio, sed postea fortasse eum peteret. Sic Ptolemaeus legatos Romam misit dona ferentes, quibus Senatus amicitiam dedit foedere icto; legatos Romanos Alexandriam mittere mox placuit, inter quos Fabii duo fuerunt, N. Pictor (27) et Q. Gurges (23); de qua legatione suo loco [3] dicam.

---

1) Vell. Pat. I. 14 § 7. 2) Liv. Ep. XIV; Eutrop. II. 15; Dio Cass. fr. 41; Zonar. VIII. 6. 3) Cf. Lib. V. Cap. III § 1; Lib. VII. Cap. II § 7.

CAPUT II.

MARCUS FABIUS C. F. M. N. LICINUS (32).

§ 1. *Consul* 508.

M. FABIUS C. F. M. N. LICINUS [1].
M' OTACILIUS C. F. M' N. CRASSUS II.

Ex Fastis apparet huic patrem Caium fuisse, consularem opinor anni 481; nullus Caius praeter illum illis vixit temporibus, nam anni obstant, quominus filius fuerit C. Ambusti M. f. magistri 439 (19), ut posuerunt quidam; quem avum Fasti ei tribuunt Marcum, M. Dorsonis (16) suspicor filium fuisse, quod tamen evinci nequit.

Versabatur respublica his consulibus in medio fere bello Punico I, de quo hic nil referam, potius illa subiuncturus vitae Fabiorum Buteonum [2], qui anno ante et proximo post consules fuerunt. Licet tamen coniicere hos quoque consules, etiamsi desunt testes, bellum suscepisse et gessisse, nam dictator comitiorum causa dictus est secundum Fastos.

Nec vero multum efficere potuerunt consules, qui quotannis decedebant, ubi vix didicissent quo modo bellum gerendum esset, ita ut exercendi causa magis quam pugnandi eos missos esse scribat Dio Cassius [3], qui haud iniuria mutationem magistratuum eo nomine improbat. Zonaras saltem breve de his annis defungitur scribens *οὐδὲν ἱστορίας ἄξιον* eos fecisse consules, quod aut epitomatoris negligentiae tribuendum, quem taedebat pugnas ex proeliis satas late describere, aut ipsis Romanis, qui minores omittere clades malebant iam caeteris contenti.

Locum a Gellio [4] servatum ex Capitonis Ateii com-

1) Fast. Cap. h. a.; Gell. X. 6; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic.
2) Cf. Lib. VI. Cap. II § 3 et Cap. III § 1.
3) Zonar. VIII. 16.
4) X. 6.

mentario de iudiciis publicis ea tantum de causa afferam, ut tollam glossam e margine quae videtur irrepsisse; Claudia, App. Caeci nobilissima filia a ludis revertens male habita fertur dixisse: »quanto arctius conflictata essem, si [*P. Claudius*] *frater meus* navali proelio classem cum ingenti civium numero non perdidisset;" nemo non videt matronae non opus fuisse addere »P. Claudius", neque Romanae aures neque nos explicatione indigemus, sufficiebat, ut a Livio [1] dixisse inducitur »frater meus."

§ 2. *Nummus* [2].

*P*ublius *CLAUD*ius *PULCHER;* caput dei Triumphi cincinnatis capillis ornatum, fascia illos redimenti, pone littera *T.*

*M*arcus *FABI*us *C. F. LICINUS;* triremis cum remis.

Goltzianus hicce denarius, ut spurii isti solent, doctissimos viros a via detraxit. Sic Vaillantius eum spectare credebat ad Fabium Licinum, qui cum P. Claudio Pulchro quaestor urbanus anno 526 eum signasset in honorem Cn. Fulvii Centumali pro consule ex Illyriis triumphantis. Num recte caput ille tribuerit genio tutelari, nescio. Pighius autem cogitavit de deo Triumpho, quem indicat littera *T!* Vide quam egregie fallatur Campensis; signum est monetarium, nil aliud, quod etiamsi est numismaticis crux inextricabilis, tamen intelligitur; et quem quaeso monetarium tibi fingas tam male signantem caput certi cuiusdam dei, ut illius nomen esset adscribendum; et quomodo quaeso nomen adscripsit scilicet, una litterula, quae non tantum Triumphum verum Terminum, et nescio quem indicasset; quinam deinde fuerit peculiaris triumphi deus, me nescire fateor, neque eius fit mentio usquam, opinor, praeter Pighianum locum. Miror Havercampium non annotasse quae iam plura contra spurium istum proferri possunt.

---

1) Epit. XIX. 2) Vaill. N⁰. 6; Mor. XVI. 6.

Pighius ubique quaestores urbanos nec frustra perquirens, ubi saepius non erant inveniundi, nobis imposuit ad annum 508 propter hunc denarium, M. Fabium C. f. C. n. Licinum, quem contendo totum quantum de suo satis infeliciter fictum; voluit nempe consulari nostro Marco C. filio M. nepoti (32) filium tribuere, et sic progenuit M. Fabium huncce C. f. C. n., qui si unquam fuisset, *Marci* filius C. nepos esse debuisset. Contra voluerat nummi auctor, qui eum vulgaverat ad annum 508; at per hoc ipsum elucet fraus, nam quo anno Fabius consul fuit, nullam Romani victoriam navalem reportarunt, quam triremis indicaret. Quod quum Pighius perspexit, non tamen ausus fidem ei abnegare quem numquam viderat, falsa ex falsis seruit; arripuit nempe triumphum navalem Fulvii Centumali; at nil quidquam in denario cernitur, quod indicaret eum spectare Fulvium, in cuius honorem esset signatus. Signavit eum quaestor M. Fabius C. f.; at quem sibi voluit Pighius, est M. f. Neque melioris frugis est P. Claudius iste: cogitavit de P. Claudio Pulchro P. f. App. n.; satis praepostere, nam Claudius qui tunc quaestor fuisset, Publii filius, gaudebat praenomine Appii, et consul fuit anno 542, cuius filius vero Publius fuit consul anni 570. Quocumque te vertas, plures nascuntur errores, iam Goltzianus nummus male mulcatus dimittatur et requiescat Pighianus Fabius, de quo singulari § dicere non lubuit.

LIBER V.

FABII PICTORES.

CAPUT I.

CAIUS FABIUS M. F. (C.) N. PICTOR (22).

§ 1. *Cognomen.*

Huius familiae auctor [1] Caius noster traxit cognomen suum, quod ipse aedem Salutis pinxisset; de arte enim pingendi cogitandum est, atqui Fabius ipse illud ita facit, ut novum inauditumque cognomen ei adhaeserit. Pictura parietum, de qua hic sermo est, fiebat ex cera per viriculum, nam erat encaustici generis, quod non sine maiore quadam arte erat faciendum. Inde deducendum videtur rarissimos tunc fuisse pictores, quidquid Cicero [2] contradicat; nec verum est quod Valerius addit, sordidum illud fuisse studium, cui noster erat deditus.

§ 2. *Genealogia.*

Pictorum genealogia admodum incerta est, tum propterea quod plures eorum in Fastis non occurrant, quorum ergo patres avique ignorantur, tum quod vix aequales ex hac et aliis familiis fuerint, siquidem plerumque medium inter duos fratres patrueles obtinuerint locum. Caii Pictoris pater Marcus quidam fuit, nam constat [3] filium eius Numerium C. filium Marci nepotem fuisse.

---

[1]) Plin. *H. N.* XXXV. 4; Val. Max. VIII. 14. 6. [2]) *Tusc.* I. 2 § 4.
[3]) Fast. tri. 488.

Iam inter quatuor Marcos qui tunc vixerunt optio facienda est, quorum duo (13 et 15) propter annorum decursum, qui inter Numerii (27) et avi consulatus intercedit, 100 fere annorum, tres indicat generationes; diu cogitavi tamen de Marco N. filio (13), nam sic Numerius Gurgiti (23) aequalis fuisset, inter cuius honores illius consulatus cadit. Praestat tamen altera ratio, ex qua una generatione iunior fiat haec familia; et sic optandum est inter Marcum Dorsonem (16), ita ut huius nepos Caius Licinus (28) aequalis fiat Numerio Pictori (27), ut consulatus annuunt, et inter Marcum Ambustum (18), post cuius magistratum anno 19 filius pictor exstitisset et nepotes consules post 56 annos. Quorum utrum praeferrem diu incertus haesi; Haakh et Richter Ambustum arripuerunt, equidem Dorsonem, nam Ambustum illum primi Buteonis (25) patrem habeo nec vero conveniunt Pictores (26 et 27) consules 485 et 488 cum aequali generatione Buteonum (30 et 31) qui consules 507 et 509; porro nomen Caii inter Pictores occurrit et apud Dorsones quoque, non vero apud Buteones; quae argumenta etiamsi admodum futilia in re incerta meam potius opinionem tuentur quam alteram.

§ 3. *Pictura templi Salutis* 450 [1].

Fabius noster parietes templi ita pinxit, ut perdiu duraverit eius opus, nam Plinius tradit se illud vidisse et cum ipsa demum aede exustum esse Claudii principatu. Haud spernenda videtur Niebuhrii [2] coniectura, in illis parietibus pinxisse Fabium res in Samnio a Bibulco gestas, quippe qui voverat templum; potest quidem huc trahi Dionysii [3] locus, ex quo fragmento nulla lux affulget.

Singulare aliquid in hoc templo accidit, quod idem C. Iunius Bubulcus consul III anno 443 voverit bello

1) Plin. *H. N.* XXXV. 4; Val. Max. VIII. 14. 6. 2) *R. G.* III. 415.
3) XVI. 6.

Samnitico, qui censor insequenti lustro 447 illud locavit, denique anno 452 dictator dedicavit ex bello Aequorum reversus [1], paucis diebus post triumphum; hic enim fuit III kal. sextiles, dedicatio vero cadit in ipsas [2] nonas sextiles, non pridie nonas, ut Fischer [3] ponit.

Parietes ante dedicationem pictae sunt, nam Plinius Fabium induxit pingentem anno 450; hoc urgeo propter Valerii verba: »Fabius, qui quum in aede Salutis, quam C. Iunius Bubulcus dedica*verat*, parietes pinxisset, nomen his suum inscripsit." Neque mihi persuadere possum Fabium nomen suum tabulis inscripsisse, quod Valerius videtur addidisse, quo melius cognomen explicaret.

Verbo defungar de loco Hieronymi Stridonensis [4], quo memoratur: »Fabius Pictor qui magis ex pictura quam ex litteris innotuit." Fallitur ille de utrovis cogitaverit, qui enim pictura innotuit non litteris operam dedit, qui vero annales scripsit non pictor fuit. Miscuit bonus ille duos Fabios, quod in eo excusari potest, cuius memoria tot complectebatur, ut Augustinus testaretur: »nullum hominem scire, quod Hieronymus ignoraret."

CAPUT II.

CAIUS FABIUS C. F. M. N. PICTOR (26).

§ 1. *Consul* 485.

C. FABIUS C. F. M. N. PICTOR [5].
Q. OGULNIUS L. F. A. N. GALLUS.

In promtu est coniectura Caium huncce, cuius praenomen constat propter Zonaram, fratrem fuisse Numerii (27), qui quarto anno post ad consulatum pervenit.

[1]) Liv. IX. 30, 43, X. 1. [2]) Cic. *ad Att.* IX. 1 § 4, *pro Sest.* 63 § 113. [3]) *Röm. Zeitt.* p. 62. [4]) *Epist. ad Heliod.* in Epit. Nepotian. vers. fin. [5]) Fast. tri. 488; Zonar. VIII. 7; Plin. *H. N* XXXIII. 3; Eutrop. II. 16; An. Nor.; Fast. Sic.

Praeter consulatum nullum gessit magistratum; male autem creditur Alexandriam missus esse legatus, nam Valerii [1] locus nunc recte constat emendatus ex Dionysii [2] fragmento.

Consules [3] egressi sunt contra manum Samnitium; Lollius quidam ex Samnitibus Romae obses degebat, unde elapsus manum collegerat, et munimento confecto Italiam populabatur. Hos advenas inermes facile devicerunt Romani milites, χωρήσαντες ἐπὶ Καρκίνους, in Bruttiis opinor, ubi flumen Carcines, cui adiacet urbs eiusdem nominis. Hic praedam deposuerant, sed non statim ceperunt Romani hunc locum, imo parum abfuit, quin noctu interiissent a transfugis superati, qui favente nive muros clam descenderant, sed luna illucescente periculum apparuit et captus est locus.

Hoc anno [4] Picentes bellum moverunt, quod utrum minus strenue gesserint, an consules non satis fuerint exercitati, dicere non habemus; scimus tantum hostem illum esse victum a sequentibus consulibus.

Innotuit hic consulatus altera fama [5], quod argentum signatum fuerit hoc anno sive sexto ante bellum Punicum primum. Constat illud Plinii testimonio, dum Livii epitomator hanc rem tradit post victos Picentes coloniasque Ariminum et Beneventum deductas, quae in annum sequentem cadunt. Inde ab hoc tempore sestertii, quinarii et denarii fuerunt in commercio, quum antea argentei aureique lateres tantum conflabantur. Quid valuerint argentei illi nummi tunc et deinceps, nunc non percurram, praestat ad doctiores [6] ablegare lectorem.

---

1) IV. 3. 9. 2) XX. 4. 3) Zonar. VIII. 7. 4) Liv. Epit. XV; Eutrop. II. 16. 5) Liv. Epit. XV; Plin. *H. N.* XXXIII. 3; Zonar. VIII. 7. 6) Böckh, *Metrol. Unters.* 447; Marquardt, *Röm. Alterth.* III. II. 9 sqq.

CAPUT III.

NUMERIUS FABIUS C. F. M. N. PICTOR (27).

§ 1. *Legatus Alexandriam* 481 [1].

Dionysii locus evincit hunc Numerium missum esse Alexandriam cum Q. Fabio Gurgite (23) consulari 462, 478, et C. Ogulnio consulari 485, consules quum erant C. Fabius Licinus (28) [2] et C. Claudius Canina II.

Haakhius quartum his addendum esse credit, opinatus apud Valerium »C. N. Fabii Pictores" legendum esse, ubi dederat ille »Numerius Fabius Pictor" et unus tantum codex habet »Cn. Fabius". In hanc opinionem antiqui editores inciderant, quum nondum Dionysii fragmentum repertum esset, nunc vero propter discrepantiam scripturae apud Valerium in margine correctam, quartum addere, nimium est, nam Dionysius accurate eos enumerat, dummodo editoribus placuisset scribere Νυμέριος non vero Νεμέριος, denique Ogulnii nomen revocandum esse ex vitioso Ἀλγούνιος non est quod dicam.

Ex ipso legationis munere apparet, etiamsi nondum consularem nostrum senatorem fuisse, ad quem ordinem pertinere debebat is, qui legatus mitteretur. Societatis tantum causa missi sunt, id est in publicum foederis a senatu cum Ptolemaeo icti documentum; tunc enim Romanis honore coniunctionis cum nobilissimo et potentissimo rege nonnihil elatis, placuit invicem mittere legatos. Foedus illud ab utraque parte maioris aestimabatur, Romani enim tunc contra hostes satagebant in Italia, nec multa submisissent auxilia contra Pyrrhum, neque Romani multa accepissent a rege Aegypti, cui iam sufficiebat nuntius Pyrrhi a Romanis victi. Nec vero momenti expers fuit

[1] Liv. Epit. XIV; Val. Max. IV. 3. 9; Dion. Hal. XX. 4; Dio Cass. fr. 41. [2] Cf. Lib. IV. Cap. I § 3, p. 139.

societas, ut belli Punici historia [1] docet; tunc enim propter hanc amicitiam noluit Ptolemaeus Carthaginiensibus quae petebant talenta suppeditare, nec quum frustra bellum componere conatus esset, contra amicos iis opem ferre voluit.

Benigne Romani illi tres accepti sunt, ornatique magnificis muneribus; mos ille iam tunc invaluisse videtur apud potentissimos reges, cuius rei Romani barbati ignari quum essent, domum reversi dona privatim accepta non sibi retinuerunt, sed in aerarium deposuerunt. Quod quum ad senatum perlatum esset, patribus visi sunt dona illa privatim accepisse, atque decretum est, ut quaestores statim singulis sua distribuant. Valerius Maximus hoc liberalitatis abstinentiaeque exemplum ad coelum tollit; haud scio an simplicitati morum potius tribuendum sit, ita ut aequitas patres impulerit, ut haec decernerent.

Iustinus [2] denique huius abstinentiae famam aliter exornatam invenit, tradit nempe legatos sprevisse Ptolemaei ingentia munera Alexandriae dum essent, et interiectis diebus quum aureae coronae illis ad coenam invitatis missae essent, eas postero die statuis regis imposuisse. At non erat cur Ptolemaeus post ictum foedus Romanis adeo blandiretur; altera fama ingenio Romano longe melius respondet, sed hanc cum Fabricii et Xenocratis factis miscuerunt veteres in hunc modum.

§ 2. *Consul* 488.

N. FABIUS C. F. M. N. PICTOR [3].
D. IUNIUS D. F. D. N. PERA.

Uterque consul testibus Fastis duplici triumpho ornatus est, qui de Italiae populis ultimi fuisse videntur, unus de superioribus, alter de inferioribus. Postquam

---

1) App. *Sic.* 1. 2) XVIII. 2 § 9. 3) Fast. tri. h. a.; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic.

enim anno 486 de Picentibus, qui rebellaverant, post victoriam iterum erat triumphatum, haec quidem regio in Romanorum venit ditionem, coloniaeque deductae sunt, hoc vero anno [1] qui in Umbria restabant Romanis nondum amici et socii, succubuerunt, Umbri nempe, quorum urbs Sarsina ad Arpin sita utrique consuli triumphandi locum dedit:

D. IUNIUS D. F. D. N. PERA COS.	*AN. CDXXCVII.*
DE SASSINATIBUS	*V. K. OCTOBR.*
N. FABIUS C. F. M. N. PICTOR COS.	*AN. CDXXCVII.*
DE SASSINATIBUS	*III NON. OCT.*

Hisce peractis iterum Roma egressi sunt consules in ultimam Italiam aggressuri Sallentinos et Messapios; de illis iam triumphaverant consules superioris anni, et Brundusium ceperant huius regionis caput, sed nondum res erat peracta, belli aliquid superfuisse apparet, nam Iunius quoque ac Fabius de iis Messapiisque egerunt triumphum post paucos menses.

N. FABIUS C. F. M. N. PICTOR II COS.	*AN. CDXXCVII.*
DE SALLENTINEIS MESSAPIEISQUE	*K. FEBR.*
D. IUNIUS D. F. D. N. PERA II COS.	*AN. CDXXCVII.*
DE SALLENTINEIS MESSAPIEISQUE	*NON. FEBR.*

Sic iam tota Italia Romano imperio dicto audiebat; qui unici liberi restabant Volsinii, ab alio eiusdem nostrae gentis subacti sunt sequenti anno.

§ 3. [*Laus litteraria.*]

Sequitur ut de Numerii studiis litterariis disputem, quibus eum inclaruisse testantur viri docti. Cicero nempe [2], ubi de somniis agit, affert Ennii versus quosdam, quibus Priami somnia descripsit, tum sic pergit: »sint haec somnia fabularum hisque adiungatur etiam Aeneae somnium, quod in *numerum* Fabii Pictoris Graecis Annali-

---

[1]) Liv. Epit. XV. [2]) *De divin.* I. 21 § 45.

bus eiusmodi est, ut omnia quae ab Aenea gesta sunt, quaeque illi acciderunt, ea fuerint, quae ei secundum quietem visa sunt." Cui codicum lectioni medelam adhibentes scripserunt Sigonius et Manutius *Numerii*, et nostrum sibi voluerunt. Facile demonstrari potest locum mancum in peius esse versum: vixit Numerius noster consul anni 481 circiter 435—490, nam perperam Whitte [1] eius aetatem non constare scripserat. De antiquissimis annalium scriptoribus indubitatae fidei testis nobis est Dionysius [2], ubi dicit: τὰ παλαιὰ ἔργα τῆς πόλεως Ἑλληνικῇ διαλέκτῳ συνέγραψαν, ὧν εἰσι πρεσβύτατοι Κόϊντος Φάβιος, qui alio loco [3] ὁ παλαιότατος τῶν τὰ Ῥωμαϊκὰ συνταξαμένων compellatur, ut apud Livium [4] »longe antiquissimus"; legatus [5] fuit Quintus ille anno 538, militavit anno 529, vixit ergo 495—560 circiter; qui quum sit antiquissimus, Numerius non erat ei praefigendus a viris doctis. Nec cum Bernhardio [6] nobis sumere licet Numerium quemdam, qui vixisset post Quintum, sibi voluisse Tullium.

At, inquit Moserus [7], Dionysius miscuit Quintum et Numerium. Nil inde lucramur, sed unde tibi sumis Dionysium in fontibus historiae Romanae qui tam accurate versatus est, duos illos confudisse? Tum Livii testimonium erit refellendum, quod vix potest. At, inquit Niebuhrius [8], Cicero dixit Numerium, ubi volebat Q. Fabium Servilianum. Non ita, nam Latine scripsit ille. Equidem contendo Ciceronem sibi voluisse Quintum illum antiquissimum annalium auctorem, nam Graece eum conscripsisse historicum suum opus aliunde constat et in hoc testimonio convenit; tum constat eum egisse de origine rei Romanae, ad quam procul dubio Aeneae somnium pertinet.

Quae quum recte disputaverimus, Vossius [9] hunc Numerium male historicis adnumeravit, quem secutus est Krau-

---

1) *De Q. Fabio Pictore* p. 14. 2) I. 6. 3) VII. 71. 4) I. 55, II. 45. 5) Cf. Cap. IV § 2 et 3 huius Libri, p. 152—155. 6) *Grundr. d. Röm. Litt.* 2 ed. p. 523. 7) Ad Cic. l. l. 8) *Vortr.* ed. Schm. I. 50. 9) *Hist. Litt. Lat.* I. 3.

sius [1] necnon Lachmannus [2], qui inter quatuor Fabios Pictores Fabiorum fragmenta distributurus erat. Bähr [3] errorem perspexit, necnon alii, denique difficultatem sustulit Hertzius [4] proponens pro *numerum* apud Ciceronem rescribere *nostri*. Huic opinioni assentiri non dubitarem, docet enim palaeographia [5] n͂m tum *nostrum* tum *numerum* significare, sed simplicior videtur et melior alia ratio, quam proposuit Dederich [6], ut pro *innumerum* legamus *nimirumin*, ita ut Quintus omnino intelligatur sed nomen reticeatur, nec abhorret ista particula ab hoc loco nec ab usu Tulliano, si quid video.

§ 4. *Nummus.*

Videamus de denario [7], quem Goltzius vulgavit ad Numerii nostri triumphum.

Caput Dianae, supra cuius frontem crescens luna, supra humerum laevum arcus et pharetra; pone *ROMA*.

*N*umerius *FABI*us *C. F. PICTOR*; victoria in quadrigis, dextra flagrum.

Hic quoque Goltzii fraus in devia abduxit numismaticos. Vaillant recte observavit typum illum non indicare triumphum, est enim nonnisi nota denarii, cui nomen quadrigatus, ut Plinius [8] docet, cuius testimonii ignarus de triumpho cogitare iubebat nummi auctor. Ut aliquatenus eum explicaret, Vaillant Dianae caput et crescentem lunam aedem huius deae nescio quam a Fabio pictam indicare coniecit; at iure offendit illud Morellium, qui melius de eo meriturus caput retulit ad ludos saeculares, quo Fabius praetorius indicaretur; sed de his nil quidquam innotuit, reddamus potius Goltzio spurium suum.

---

1) *Vit. et fragm. hist. Rom.* 83. 2) *De font. Liv.* II. 15. 3) *Röm. Litt. Gesch.* II. 14. 4) *Philol. krit. Streifz.* 32. 5) Chassant, *dict. des abrév. du moyen âge* p. 55. v. 18. 6) *Progr. gymn. Emmer.* 1852, p. 5. 7) Vaill. N°. 23; Mor. XVI. 4. 8) *H. N.* XXXIII. 13.

CAPUT IV.

QUINTUS FABIUS PICTOR, HISTORICUS (36).

§ 1. *Genealogia.*

Pervenimus ad Quintum Pictorem, historicorum Romanorum qui agmen ducat, qui multis nominibus innotuit praeter illud ipsum, de quo nunc dicam, patris avique nomen frustra circumspiciens. Intersunt inter Caii Numeriique Pictorum (26,27) consulatus (485 et 488) nostrique legationem Delphicam (538) 50 anni; iam quaeritur, fueritne pater an avus alteruter? Viri docti in diversas sententias abeunt, quibus quum circa 535 quaestor fuisse videtur, circa 500 natus fuerit necesse est; ergo 12 vel 15 annis post consulatum pater eum procreasset, quod quum non verisimile est, equidem Caium vel Numerium pono Quinto avum fuisse, sic enim Quintus ipse anno 500 natus est ex patre qui anno 470 prognatus est ex Caio Numeriove, quae ratio vulgari convenit.

§ 2. *Miles in bello Gallico* 529 [1].

Constat Quintum nostrum bello Gallico Cisalpino interfuisse anno 529; fortasse aetatis anno 20 prima meruit stipendia bello Ligustino, ex quo Fabius Cunctator (33) consul I triumphavit anno 521, nisi potius anno 531 fuerit in exercitu consulis P. Furii, Plinius saltem nobis auctor est eum bello quodam Ligustino adfuisse, cum quo populo Romani bellum gesserunt tum anno 521 tum 529 ad 531, quum res erat contra Gallos Cisalpinos. Non tamen verisimile est, quod Dederich [2] posuit eum bello

---

1) Plin. *H. N.* XX. 24; Eutrop. III. 5; Oros. IV. 13. 2) *Progr. Emm.* p. 3.

Punico primo quoque militasse, nec illud annuere contendo classicorum testimonia.

Fabii causa paucis de hoc bello [1], cui re vera interfuit, digrediar; magna vis Gallorum Gesatorum ad Padum venerat, tunc Hispanicis rebus intermissis Romani Cisalpinam provinciam dederunt L. Aemilio Papo, dum collega C. Atilius Regulus contra Sardos missus erat, quibus subactis Pisam venit, ita ut ingens ille numerus 800,000 militum adversus Gallos tunc eduxerint Romani, qui numerus fidem superaret, ni testis oculatus responderet de eo Quintus noster, de quo loco [2] mox dicam. Compertum erat Romanis Gallos nonnisi innumeris copiis superari posse; noluerunt ergo Galli pugnam inire, quum vero Atilius Etruriam intraverat, medii inter duos Romanos exercitus bifrontem struxerunt aciem, cuius atrocissimi proelii is fuit exitus, ut caeso Atilio Aemilius victoriam post ingentem caedem reportaverit et sic gravissimus Gallicus tumultus evanuerit, ut est apud Polybium [3] *οὕτω καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ διεφθάρη*, sed non erant in textum recipienda verba *οὕτω καί*, quae vulgo abesse annotat quidem Schweighäuserus et tamen languidam servat repetitionem »sic, id est in hunc modum."

§ 3. *Legatus Delphos* 538 [4].

Proquaestura anni 535 a multis Pictori tribuitur, sed nil quidquam lucramur ex incertis huiuscemodi coniecturis, transeamus potius ad munus, quod re vera gessit.

Gravissimam cladem Cannensem infra attingam in vita Fabii Cunctatoris, hoc loco sufficiat verbo monuisse Romanos, quorum res summa clade erat affecta, sedulo admodum cogitasse de diis placandis, quorum gratia tunc quam maxime opus erat, ut res lapsa aliquando restitue-

---

1) Polyb. II. 23—30; Zonar. VIII. 20. 2) Cf. fragm. XXXV et XXXVI.
3) II. 31 § 7. 4) Liv. XXII. 57, XXIII. 11; App. *Han.* 27; Plut. *Fab.* 18.

retur. Libros Xviri adierunt, nam deorum ira pluribus causis mota erat, duae nempe Vestales stupri erant compertae, sed haec ne moremur, non enim Fabium spectant. Denique constat Romanis placuisse legationem mittere ad Apollinem Delphicum sciscitatum, quibus precibus suppliciisque deos possent placare. Inter senatores, ex quorum ordine legati erant creandi, circumspicitur, et sic Fabius Pictor noster legationem adire iussus est, quippe qui senator esset [1].

Anno 538 post mensem sextilem Delphos profectus est, nam clades Cannensis accidit [2] ante diem IV non. sext. Eodem anno fertur reversus esse a Livio, qui descripsit quo modo Fabius legatione se functum esse enarravit in senatu; hausit illa ex ipsius Fabii libris, opinor. Legatus nempe laurea corona ornatum consuluisse narrat oraculum, tum *ex templo* egressum esse; sic enim apud Livium scribendum est, non dedit »se oraculo egressum *extemplo* his omnibus divis rem divinam fecisse", nam secundum oraculi iussum egressus est e templo et sacra fecit divis omnibus, sicut Deus iussisset, ture ac vino, tum coronatus navem adscendit, coronamque Romae demum peracta legatione deposuit in aram Apollinis. Haec, quod ad solemnia attinet, ipsum dei responsum in senatu ex scripto recitavit ex Graeco interpretatum: victoriam penes Romanos fore, divis si supplicationes factae essent, et sic republica servata pro lucris meritis donum mittendum esse Apollini de praeda, manubiis spoliisque hostium. Anno 547 illud factum esse tradit Livius [3], tunc M. Pomponius et Q. Catius coronam ex praeda Hasdrubalis auream ducentum pondo et simulacra spoliorum ex mille pondo argenti facta Delphos portarunt. Ex senatus consulto de pontificum sententia res divinae supplicationesque summa cura factae sunt.

---

1) Polyb. III. 9 § 4. 2) Macrob. *Sat.* I. 16. 3) XXVIII. 45.

Quae Livius de corona illa addit, accurate respondent solemni Graecorum mori, qui coronati [1] tantum adibant deos et consulebant oracula. Hinc sequitur hanc legationem re vera Delphis esse reversam, imo primam fuisse, quae Apollinem Delphicum adierit, quod si non esset, senatus talia non fuisset docendus, nam de more ista peracta essent et notissima fuissent. Hoc argumentum torqueri potest contra fabulosam Delphicam legationem sub Tarquinio Superbo, necnon contra alteram anni 357 in Camilli historia.

§ 4. [*Praetor* 565, *flamen* [2].]

Neque hoc sacerdotio, neque illo munere Pictorem nostrum esse functum facile evincam. Lachmannus [3] praeturam anni 565 Quinto nostro tribuit, acsi quis 30 annis post quaesturam sexagenarius igitur hoc honore fungeretur; alius fuit Quintus ille Pictor (41) [4].

Perperam nostro flaminis sacerdotium hanc ob causam tribui, iam olim Vossius [5] demonstravit, nam idem ille praetor ac flamen fuit, attamen Rupertus illud in stemmate decantavit, necnon Lachmannus; Krausius [6] et Baumgarten negarunt, sed Fischer [7] dubitabat, denique Dederich [8] de novo errorem redarguit, etiamsi res est simplicissima. Livius [9] nempe anno 587 tradit Q. Fabium Pictorem flaminem Quirinalem mortuum esse, atqui historicus, sic isti ratiocinantur, cui itidem Quinti est praenomen, obiit hoc anno et flamen fuit Quirinalis. Non ita est, nam Quintus ille diversus est ab historico, est idem ille flamen, de quo Livius modo [10] ante egerat, ubi de eius praetura anni 565 scribebat. Bähr eos bene dis-

---

[1]) Thuc. IV. 30; Xenoph. *Anab.* VII. I. 40; *Cyr.* III. III. 34; Eur. *Io.* 522; Aristoph. *Plut.* 20, ibique Schol. [2]) Liv. XXXVII. 47, 50, 51. [3]) *De font. Liv.* II. 14. [4]) Cf. Cap. V § 1 huius Libri. [5]) *Hist. Litt. Lat.* 13. [6]) *Vit. et fragm. hist. Rom.* 40. [7]) *Röm. Zeitt.* p. 474. [8]) *Progr. Emm.* p. 2. [9]) XL. 4. [10]) XXXVII. 47, 50, 51.

tinguit, qui contra perperam dicit eum praetorem fuisse in bello Antiochico, nam inter peregrinos ius dixit.

Denique historicus, quem supra posuimus ineunte saeculo sexto esse natum, nonagenarius fere mortuus esset, sed non illa Romana est aetas; longe diutius eum historiam suam extraxisse verisimile est, quae ad annum 550 tantum perducta videtur. Equidem inter 560 et 570 eum mortuum esse posuerim.

§ 5. *Auctor Annalium.*

Transeamus ad vitam Q. Fabii litterariam. Eundem nostrum historiae scribendae primum inter Romanos dedisse operam, plura declarant veterum testimonia [1], quae inter fragmenta recensebo. Videtur Fabius ex legatione redux opus suum historicum condidisse, quis enim apud Graecos Romanosve iuvenis animum ad scribendum appulit? Probabilis etiamsi incerta quorundam [2] est opinio Fabium et Cincium historiam perscribendi fecisse initium bello Punico secundo ad finem vergente.

Scripsit Fabius res gestas populi Romani ab ovo repetitas, id est ab Aeneae [3] in Italiam adventu et condita Urbe usque ad suam aetatem, ultimum nempe eius fragmentum ad pugnam Trasimenicam pertinet. Egit de istis omnibus secundum Dionysium ea ratione, ut summatim tractaverit antiquiora *τὰ δ' ἀρχαῖα τὰ μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα*, quo loco ut recte observatum est [4], offendit praepositio, nam constat Fabium non tantum scripsisse quae post conditam Urbem acciderunt, verum universe de condita Urbe, quidni legamus *τὰ κατὰ τὴν κτίσιν*. Copiosius vero constat eum egisse de iis tantum, quibus ipse interfuerat; contendit quidem Lachmann [5] eum anti-

---

1) Polyb. III. 9 § 4; Liv. I. 44, 45, II. 40; Dion. Hal. I. 6, 79; App. *Han.* 27. 2) Baumgart. *de Q. Fab. Pict.* 6; Hertz, *de Cinc. Aliment.* p. 11; Lucas, *de rat. qua Liv. Polyb. sequit.* p. 10. 3) Cf. fragm. II. 4) Hulleman, *de Annal. Max.* p. 71. 5) I. 51.

quiora prolixius tractasse quam Livius, sed non illi assentior, nam qui primus omnium historiam conscribere aggreditur, quomodo eum latius et fusius res quam Livium composuisse putemus? Quae autem fragmenta istam opinionem tuentur, aucta et ornata sunt ab iis, qui ea servarunt, nonnisi verbo illa attigerat, qui eum secuti sunt uberius illa elaborarunt.

Qua fide in his versatus sit, conficitur ex posterorum de eo iudiciis et ex fragmentis, quae alii servarunt. Sic constat eum multas fabellas in historiam recepisse, quibus utrum fidem ipse habuerit, ignoramus, sed probe scimus ex eo sat multa in annales irrepsisse, quae postea exculta et ornata in veram et constantem famam transierunt. Pertinet huc iudicium Ciceronis [1] de Romanorum annalibus: »quid tam exile, quam isti omnes, Fabius, Cato, Piso, Fannius?" Caute tamen accipiendum est: verissime quidem queritur Tullius historiam Latinis litteris desiderari qualem ipse conscribere in animo habebat, sed comparat Latina cum Graecis, prae quorum exculta historia breves isti Romanorum annales nihil erant, iam tunc antiquissimos ὡρογράφους in oblivionem abire iusserat Pater historiae. Livius [2] et Dionysius contra saepius ad Fabium provocant eiusque diligentiam laudant; sic Dionysius [3] Fabium secutus οὐδεμιᾶς, inquit, ἔτι δέομαι πίστεως ἑτέρας; nam πίστιν οὐκ ἐξ ὧν ἤκουσε μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐξ ὧν αὐτὸς ἔγνω παρεχόμενος. Polybius Fabium nostrum de bello Punico I ἐμπειρότατα [4] scripsisse testatur, sed etiamsi non credit eum ἑκόντα ἐψεῦσθαι, tamen carpit eum, quod Carthaginienses illi nimis viderentur mala fide egisse. Quo in iudicio Polybium non verum esse assecutum demonstrare conatus est prae ceteris Ernesti [5], cui assentiuntur Lachmann [6] et Bernhardy [7]; minus recte illi, nam nuper Lucas [8] accu-

---

1) *De leg.* I. 2 § 6. 2) Cf. fragm. XXI, XXV, XL. 3) Cf. fragm. XXVII, XLI. 4) Cf. fragm. XXXII. 5) *Opusc. philol.* p. 102. 6) II. 14. 7) Pag. 524. 8) *De rat. qua Liv. Polyb. sequit.* p. 10—18.

rate demonstravit Ernestum Fabii causam male defendisse, quippe qui omiserit exemplum [1] quo Polybius de Fabio iudicium suum comprobaverit, tum vero attulerit de causis belli Punici primi alia argumenta, quam requiruntur ad Polybianum iudicium refellendum [2].

Niebuhrius [3] scripsit Fabio id fuisse consilium ut obviam iret Graecis, qui Romanos parvi faciebant, non Romanos verum potius Graecos eum ante oculos habuisse lectores, contra quos defenderet Romanos, qua in re nimis sibi indulsisset. Arripuit Bernhardy [4] hanc opinionem; haud ita recte, nam Niebuhrius Fabio tribuit aliquid, quod de Dionysio constat ex ipsius verbis, de illo vero ignoramus; nunc idem illud video observasse Lewis [5], ubi Schweglero [6] assentitur propter linguae Latinae ruditatem Graece scribere debuisse Pictorem.

Nec urgendum est quod Krause [7] credit, Fabium amore in populares ductum cum ceteris Romanis historicis populi facta gentemque Fabiam nimis celebrasse, nam re vera patricius ille contrarias partes potius defendit; certa etiamsi desunt argumenta, tamen nil conficitur ex loco quem attulit ille de Rulliano. Sin vero plura suae praesertim gentis in Fabii legerentur annalibus, eorum fonti illud tribuatur, commentarios familiae volo. Neque deinde contraria defendi potest sententia [8], Fabii historiae scribendae rationem patricii quodammodo oppositam esse Cincii plebeii; iam explosit eam Zumpt [9]. Quae variae de hac re sententiae natae videntur ex eo, quod antiquis illis tribuant, quae recentioribus demum historicis debemus, turbas et contentiones enim seriores illi fusius elaborarunt, quas verbo prisci illi attigerant.

Quod denique Krausio [10] auctoritatis Fabii videtur esse argumentum, plures nempe scriptores eum praesertim auc-

---

1) Cf. fragm. XXXIV. 2) Cf. fragm. XXXVIII. 3) *R. G.* II. 9. 4) Pag. 524. 5) I. 82. 6) I. 96. 7) Pag. 51. 8) Blum, *introd. ant. hist. Rom.* 67. 9) *Anal. crit.* I. 12. 10) Pag. 51.

torem sibi elegisse, non est quod miremur, qui enim in aliqua re princeps est, solet fieri dux et auctor iis, qui post illum eandem rem tractant, quod apud Romanos quoque ita accidit, ubi semel publici iuris erat factum, quod tamdiu latuerat in commentariis.

§ 6. *Fontes Fabii.*

Sequitur, ut dicam ex quibusnam fontibus Fabius sua hauserit, quae res multis difficultatibus impedita videtur, nam quae innotuerunt de publicis Annalibus, Maximos volo Pontificiosque libros, ita sunt comparata, ut diversissima de istis censuerint viri docti, qui de proposito illum antiquitatis locum administrarunt. Verbo sufficiat igitur hic nominasse commentarios pontificum necnon gentilicios, quos praesertim adiit noster ex mea saltem opinione; an praeterea antiqua ista monumenta, quae alii deinceps adierunt, foedera, libros linteos, alia huius generis consuluit, tabulasque censuales, prorsus ignoramus. Denique equidem de Fabii fontibus hoc tantum statuerim, eum longe plura ex aequalibus testibus oculatis aut eorum filiis audivisse, quod ad bella Punica attinet; de priscis atque antiquis ratio incerta est, videtur vulgarem quandam famam secutus esse, sive in vulgus nota fuerit, sive ex Annalibus Maximis descriptam, quod equidem probabilius credam.

Cuius rei in magna dubitatione non mirum est, quod multi ardenter arripuerint Plutarchi [1] locum, ubi memoratur Diocles Peparethius, qui secundum Plutarchum primus Graecis tradidit Urbis conditae historiam, quem Fabius ἐν τοῖς πλείστοις secutus est; sed Diocles nonnullis ὕποπτος est propter τὸ δραματικὸν καὶ πλασματῶδες. Pro hoc testimonio, quod solum stat, adducitur Festi [2] locus, quo idem fere Diocles tradidisse fingitur ab Ursino, qui locus extra censum maneat, nam in quo cardo quaes-

---

1) *Rom.* 3, 8. 2) V. *Roma* p. 269.

tionis versatur, suppleverat ille. Perizonius agmen ducit eorum [1], qui Plutarcheo loco non magnam fidem tribuant, gravissimo allato argumento, quod Diocles a Dionysio non laudetur, quod tamen fecisset ille sine dubio, qui totus fuit in fontibus perscrutandis. Deinde huc traxit Niebuhrius suspicionem suam [2] de historia Romana ex carminibus popularibus composita, ut explicaret unde historici sua omnia habeant. Incertiora sunt autem, quae de Diocle statuant viri docti; quidquid est, omnino verisimile non videtur quod Wachsmuth [3] proposuit, ut simul explicaretur fama de duplici lingua, qua annales Pictoris scripti feruntur: Fabium et Cincium Latine scripsisse, Graeca vero versione Dionysium usum esse, quam Diocles confecisset scilicet; hanc pravam opinionem ex Reiskii [4] suspicione natam Bernhardy [5] sequitur. Nuper denique Dioclis fidem tueri conatus est Willenborg [6], qui accurate et docte quidem in omnes istas quaestiones inquisivit et persuasum sibi habet Fabium ex Diocle hausisse sua, non ergo Dioclem Fabii annales in Graecum sermonem vertisse, sed coniunctionem inter eos exsistere, quam Plutarchus affirmat, nec fictam falsamque esse Dioclis mentionem de originibus Romae; vel Dioclis reliquias contendit inesse in iis, quae Plutarchus in *vita Romuli* a capite 3 ad 8 nobis tradidit, imo Romae degisse Dioclem opinatur, qui inter Ol. CVII et CXXII (a. U. 402—462) vixit ex illius computatione.

Sed haec omnia unico Plutarchi testimonio superstruxit, quem dubio obnoxium habebant contrariae opinionis fautores; litem adhuc sub iudice esse inde sequitur ex mea saltem opinione; equidem quaestionem dirimere nolim, multi dubitandi studio nimis indulserant, alii vero probabilius Dioclem et Fabium seorsim Romanam famam

---

1) Vide nomina eorum apud Schweglerum I. 413 n. 6. 2) *R. G.* I. 283 sqq. 3) *Die ält. Gesch. d. Röm. Staatsv.* 27. 4) Ad Dionys. I. 601. 5) Pag. 523. 6) *De Diocle Peparethio.*

scripto mandasse, verum Willenborg Diocli nimis studuisse censendus est, de quo ignotissimo homine hoc tantum aliunde scimus, quod per totam vitam frigidam tantum aquam biberit, dummodo vel hoc nostrum spectet. Quae omnia quomodocunque se habeant, unum certo demonstrari potest falsum esse, quod Dederich [1] opinatur, Fabium, quoniam nimis ex Diocle hauserit, coram Polybii severiore iudicio haud parvam fidei partem perdidisse; Polybius enim Fabium reprehendit in alia annalium parte, non vero in ea, quam a Diocle scilicet mutuatus esset.

A fontibus, unde Fabius hauserit sua, transeundum est ad eos, quibus Pictor fons fuerit, qua in re multos in devia abiisse video; quam brevissime potero hunc locum attingam. Antiquiores Fabium secutos esse diserte Dionysius [2] scribit; scio quidem Perizonium aliosque doctissimos [3] non hunc sed alterum [4] Dionysii locum urgere, unde deducunt Cincium, Catonem, Pisonem, ceteros, adiisse eosdem libros, unde Pictor sua habuit, quod si vel sumere licet, tamen eos Fabii vestigia nonnihil pressisse in antiqua ista historia in dubium vocare non audeo.

Polybius [5] in bellis Punicis nostrum adhibuit testem sed altera quoque parte audita, Philini dico historias.

Livius Fabium secutus est, quod de proposito indagavit Lachmannus [6] tum in iis locis [7], ubi diserte eum laudat, tum ubi collatis ceteris scriptoribus Pictorem sequi videatur; ad illam disputationem ablego, a qua in minutioribus tantum dissentio, quae refellere non est huius loci.

Dionysius deinde multa Fabio debuit, quae nuda et simplici oratione perscripta ipse ornavit longiore disputatione, in loco de condita Urbe, de gente Tarquinia, cetera [8]. So-

---

1) *Progr. Emm.* p. 5. 2) I. 79. 3) Hulleman, *de Ann. Max.* p. 67. 4) I. 73. 5) Cf. fragm. XXXIV, XXXVIII. 6) *De font. Livii*, I. 50—75, II. 14. 7) Cf. fragm. XXI, XXV, XXVIII, XXIX, XXX, XL. 8) Cf. fragm. VI, IX, X, XIII, XVII, XVIII, XIX, XX, XXII, XXIII, XXVII, XLI.

lus Whittius [1] huic opinioni adversatur, qui haerens in Numerio Fabio Graecorum annalium auctore per fas et nefas Dionysii fidem explodere volebat, nec credebat eum lectitasse Quinti annales, qui accurate in fontibus perscrutandis se versatum esse fatetur et re vera apparet, sed non operae pretium est diutius in ista disputatione haerere.

Diodorus Siculus multa a Fabio mutuatus esse videtur Niebuhrio [2], quae opinio ut vera esse demonstretur, meliora afferenda erunt argumenta; sperno enim quod protulit ille, Diodoro nempe praeter Fabium nullum fuisse auctorem in bello cum Pyrrho describendo, adeo locupletem Graeco sermone; at vel ante Fabium de industria hoc bellum persecutus erat Hieronymus Cardianus et Timaeus Tauromenites, qui substitit ad annum 490, ubi Polybianum opus incipit. Tum [3], inquit ille, Fabius ut et Diodorus posuit duodevicesimo anno post Urbem captam consules de plebe creatos; at differt ceteroquin horum chronologia, nam Fabius Urbem conditam posuit Ol. VIII. 1, Diodorus Ol. VII. 2; tum Diodorus in fastis quinquennii magistratus iteravit, ut sui ceteris congruerent; denique locus Fabii quem huc traxit Niebuhr, Serviliano [4] non Pictori evincere conabor. Nimis igitur hanc urget opinionem, ubi Fabii verba inter Diodori cernere sibi videtur; valet haec ratio in Dionis verbis apud Zonaram et Orosii apud Freculphum, omnino non in sparsis illis locis ubi Diodorus historiam Romanam leviter admodum attigit; quae si vel tibi sumas ex Pictore descripta esse, tamen consulum nomina, quae maior pars videtur istorum, omnino non apud Fabium invenit, atqui aliunde petiit. Denique nullo loco Diodorus laudat Pictorem, nam unicus ille locus, ubi Fabii nomen adscriptum legitur, est in excerptis apud Syncellum. Diodorum antiquioris scriptoris

---

1) *De Q. Fabio Pict.* p. 8. 2) *R. G.* II. 192 n. 367. 3) *R. G.* II. 630.
4) Cf. Lib. VII. Cap. xii § 5, Fabii Serviliani fragm. II.

verba afferre negari nequit, nam sequitur hoc ex eo, quod in historia cladis Gallicae Bolas dixerit obsessas [1] ὑπὸ Αἴκλων τῶν νῦν καλουμένων Αἰκύκλων, id est ab Aequis, qui *nunc* Aequicolae; sed uterque populus tempore Diodori prorsus interierat; at huic argumento haud scio an multum tribui possit, nam Plinius [2] Aequiculanorum mentionem facit, et Livius illa nomina promiscue adhibet. Novus nuper huius opinionis defensor exstitit Harlessius [3], qui posuit Diodorum a Q. Pictore non tantum pendere, verum eius Latinos annales descripsisse; utriusque opinionis argumenta absurda sunt, de lingua quid sentiam statim proponam, nunc de altera; abhorret, inquit ille, fabula de Aeneae somnio, quem ex Diodoro Syncellus exhibuit [4], a duplici de Aenea fama apud Dionysium [5], quae optime conveniunt cum Fabii Maximi Serviliani fragmento [6], Dionysius ergo hunc sequitur illo loco et Diodorus Pictorem. Non tamen ita est, nam Dionysii locus omnino non respondet Serviliani, ut infra [7] demonstrabo, contra convenit cum Pictoris loco, Dionysius ergo Pictorem potius secutus est, de Diodoro nil ex his conficias.

Venimus nunc ad Dionem Cassium, quem nondum satis persuasum mihi habeo adiisse antiquissimum nostrum haud ita primarium, longe meliores ei praesto erant. Niebuhrius [8] contra contendit nullum meliorem fontem Dionem invenire potuisse quam Pictorem; quae sententia a Wilmansio [9] examinata verissima esse illi videbatur, sed non mihi; affert ad suam opinionem stabiliendam locum ex historia legationis (536) Carthagine reversae, cui eadem a Gallis responsa tradit Livius [10] quam Dio [11] a Narbonensibus dicta, »unde apparet, inquit ille, ex eodem utrumque hausisse, sed copiosius rem retulisse

[1]) XIV. 117. [2]) *H. N.* III. 12. [3]) *De Fabiis et Aufidiis*, p. 6. [4]) Cf. fragm. III. [5]) I. 56. [6]) N°. I. [7]) Cf. p. 174, 175. [8]) *R. G.* II. 13, 191 n. 367. [9]) *De Dionis Cassii fontibus*, Caput I. [10]) XXI. 20. [11]) Fr. 56.

nostrum". At Livius populos, quos Hispaniam inter Alpes habitabant, Gallos dixit tantum, in Dionis excerpto Narbonenses appellantur, ut postea magis innotuerunt, quum Gallia Narbonensis vel provinciae nomen erat, sed iam Wilmansii fuisset probare tempore Pictoris novum illud nomen iam invaluisse, quod equidem non crediderim, nam anno 636 demum colonia deducta est Narbo; imo Dionem antiquius nomen scripsisse suspicor, nam pertinet huc locus Tzetzae [1]: Δίων δὲ Κοκκηιανὸς τοὺς Ναρβωνησίους Βέβρυκας λέγει, γράφων οὕτω· τῶν πάλαι μὲν Βεβρύκων νῦν δὲ Ναρβωνησίων ἐστὶ τὸ Πυρήναιον ὄρος. Alterum deinde locum affert, ubi »Dio omnino discrepat a Livio," Dio [2] tradit nempe tres modios aureorum annulorum ex spoliis Cannensibus Carthaginem submissos ab Hannibale; at Livius [3] non discrepat, ubi tradit »metientibus dimidium super tres modios explesse, sunt quidam auctores; fama tenuit, quae proprior vero est, haud plus fuisse modio"; itaque, inquit ille, refutat Livius eum scriptorem, ex quo Dio narrationem petiit; at omnino non inde sequitur, cur non ponamus Dioni satis visum esse unam illam famam ex Livio, ubi legerat illud, describere? Porro Wilmans demonstrare sibi videtur Pictorem latere apud Dionem de bello Punico secundo in orationibus Fabii Maximi Cunctatoris; at Livius in hac historiae parte Pictorem sequitur, qui quum illas orationes non tradiderit, noli inde deducere Dionem eas ex Pictore hausisse, nam nonnisi quum historia oratorium in modum excoli coepta est, conciones istae in historiam pedem intulerunt, quas noli apud priscum annalium auctorem quaerere. Tunc ultimo loco attulit, Pictorem ob aequum in Hannibalem animum inclaruisse, quod recte in Dionem non vero in Livium cadit; at primo erit probandum Pictoris iudicium, quod mihi saltem latet adhuc. Denique Dio Livium prae-

---

1) Fr. 56. 2. 2) Fr. 57. 28. 3) XXIII. 12.

sertim sequitur, ut idem ille fontium indagator fatetur, a quo si discrepat, alios adiit Romanae historiae auctores, quorum opera interierunt, sed omnino nihil suadet, ut antiquissimum eum lectitasse credamus; interierant Pictoris annales, obscurati a Sallustio, Livio, aliis.

De Appiano eadem, ni fallor, valeat ratio; vertit ille in historia Punica Livium praesertim, qui Polybium secutus erat, qui quum Fabio usus esset olim, Appianus quoque Fabium sequatur necesse est, sed in hunc modum.

Prorsus idem locum obtinere debuit, quidquid Heeren [1] contradicat, in Plutarcho, quem non credo vidisse Fabii annales; provocat quidem ad eum, sed recte Heeren vidit non multum huic rei tribui posse, et minoris esse quos ex Fabio laudat locos. Quod vero addit Plutarchum legisse Fabii Maximi orationem funebrem, nego illud constare, tradit enim tantum Cunctatorem laudasse filium, quem *λόγον γράψας ἐξέδωκεν*, num legerit, ne verbum subiungit; aliunde habet, opinor, publici iuris factam esse laudationem illam, ex Ciceronis [2] verbis: »est in manibus laudatio, quam quum legimus cet."

§ 7. *Annales Graeci an Latini.*

Transeamus ad aliam de Fabii Annalibus quaestionem, quae viris doctis magnam disputandi praebuit materiem, linguam volo qua conscripti fuerint; utrum Graece, an Latine, num forte utroque sermone.

Pro usu Graeci sermonis pugnat Dionysius [3] scribens: *τὰ παλαιὰ ἔργα τῆς πόλεως Ἑλληνικῇ διαλέκτῳ συνέγραψαν, ὧν εἰσι πρεσβύτατοι Κόϊντος Φάβιος, Λεύκιος Κίγκιος*; ubi altero loco [4] Dionysius de Romanis scriptoribus agit, quorum libros Latine conscriptos perlegit, nominat Fabium Maximum Servilianum nempe. Tum Livianus [5] locus, ubi Fabius praedam Pometinam quadraginta talenta

1) *De font. Plut.* p. 121. 2) *Cato* 4 § 12. 3) I. 6. 4) I. 7. 5) I. 55.

fuisse tradidit, quod vocabulum *τάλαντον* annuit Graecum sermonem, ut Lachmann [1] rectissime observavit, non enim Romano opus erat hoc vocabulo; hoc Pisonis exemplo evincam, qui scripsit quot *pondo* argenti fuerint. Porro usus Graece scribendi historiam etiamsi Romanam frequens fuit, praeter Fabium nempe L. Cincius Alimentus hoc fecit, P. Cornelius Scipio, C. Acilius Glabrio, A. Postumius Albinus, P. Rutilius Rufus, et Cato primus patria lingua usus est ad Romae origines conscribendas, motus opinor odio Graeci sermonis, quem senex tantum didicit; at hoc cur quaeso Graecorum exosor fecisset, ni ut fontes suos adiret illo sermone conscriptos. Novum deinde pro Graeci sermonis usu argumentum, quod invenisse sibi videbatur Lachmann plures decepit, iam nostrum est curare ne nos quoque aberremus: attulit ille Solini locum, quo *Olympiade* VIII Urbem conditam esse tradit Pictor, quae temporis definitio annuit Graecam linguam; at si vel hoc vocabulum rem dirimat, Nepos et Lutatius quibus VII Olympiadis annus 2 placebat, Graece scripsisse statuantur, imo T. Pomponius Atticus et Latinarum litterarum princeps, M. Tullius Cicero, his enim Olympiadis itidem VI annus 3 placuit. Cur per Graecum computandi morem tempus definierint Pictor ceterique Romani, in promtu est, stabili temporis momento opus erat in chronologia extra Romanam historiam, unde initium computandi facerent, hinc illae lacrimae. Extra censum maneant denique *stadia* apud Pictorem scilicet, quae Lachmann [2] attulit, nam probari nequit, num Dionysius habeat ista [3] ex Fabio.

Pro usu Latini sermonis in censum primo vocari solet Ciceronis [4] locus »quales apud Graecos Pherecydes, Hellanicus,..... talis noster Cato, et Pictor et Piso"; at hic opponuntur Graeci Romanis, quod ad historiam conscri-

---

1) I. 28. 2) I. 28. 3) I. 56. 4) *De orat.* II. 12 § 51, 53.

bendam attinet, quae annalium erat confectio, sine ornamentis monumenta solum temporum, locorum, hominum, gestarumque rerum relinquebant illi, unam dicendi laudem brevitatem esse credentes; nil quidquam ex hoc loco conficias quod ad linguam attinet. Neque alter ille Tullii [1] locus recte pro hac lingua afferri potest, ubi dicit: »abest historia a litteris nostris, nam ... si ad Fabium, aut ad Vennonium venias, ... quid tam exile quam isti omnes?" at quid quaeso aliud dicit Cicero, quam desiderari historiam Romanam, nam illo nomine indignos esse annales istos, respicit ergo formam et stylum, an linguam quoque, valde dubito; ex hoc saltem incertissimo indicio equidem nil confecerim. Quinctilianus [2] contra et Nonius [3] afferunt verba prisca Latina, quibus usus est Pictor; Gellius [4] deinde ex Fabii annalibus fragmentum probe Latinum servavit. In his praesertim locis haeserunt plurimi [5], quibus Latinum opus condidisse Pictor videtur; equidem locum illum Fabii quidem esse non negaverim, ut Gellius habet, non vero Pictoris, quod cognomen in ceteris Pictorum fragmentis sedulo adscripsit, atqui Fabio Serviliano hunc locum vindicabo, quem Latine scripsisse Dionysium modo audivimus testantem. Quinctiliani Noniique locos non Quinto nostro tribuendos censeo, praenomen nempe neuter adscripsit, sed Servio Fabio Pictori, qui Latine condidit opus; quae omnia accuratius infra indicabo.

Sed aliud quid est, obstat huic meae opinioni unicum illud, quod Nonius eundem annuit auctorem iis locis, quos ex ipso argumento apparet desumtos esse ex Servii Pictoris libris iuris pontificii, et iis, quibus titulum dat *Res Gestas*. Hanc ob causam multi conati sunt litem sic componere, ut Servius Fabius Pictor historici quoque operis fuisset auctor, sed infra hanc opinionem incertiorem esse demonstrabo; alii contra locos ex libris iuris pontificii propter

---

[1]) *De leg.* I. 2 § 6. [2]) *I. O.* I. 6 § 12. [3]) V. *Picumnus* p. 355 ed. Gerl. et Roth. [4]) V. 4. [5]) Becker, *Röm. Alt.* I. 40; Schwegler, *R. G.* I. 76 n. 16.

Nonii testimonium eidem nostro Quinto adscripserunt, eumque *Res Gestas* conscripsisse perhibentes; non ita ego, persuasum enim mihi habeo Q. Fabium Graeco sermone priscos suos condidisse commentarios, et spreto Noniano testimonio eum Latine quoque scripsisse nego.

A quibusdam deinde Fabius Pictor statuitur, ut utraque fama coniuncta nulla supersit quaestio, praeter Graecos annales Latinos quoque scripsisse. Huius rei exemplum Albini affert Harlessius [1], contendens hoc dubio non esse obnoxium propter eius verba apud Macrobium [2] de Bruto qui grossulos ex melle ederet; sed nondum video Macrobium non potuisse illud legere apud unum alterumve grammaticum, qui hoc ex Graeco versum laudabat. Krausius autem recte hanc opinionem videtur explosisse, nec annuunt duplex opus fragmenta Pictoris, praeter unicum Nonii testimonium, cui si fidem habeas, Quintum eundem librorum de iure pontificio sumas auctorem, quod ceteroquin aliunde omnino non probabile est, nam Servius Pictor iuris scientia innotuit teste Cicerone, nec verisimile est eundem qui primus animum ad historiam conscribendam appulit, idque perfecit anili modo et nimis leve, eundem, inquam, sumere auctorem operis ab altero toto coelo diversi. At ultimum illud refellisse sibi videtur Nipperdey [3] afferens Annales Maximos, quorum pontifices erant auctores iidem qui libros pontificios conscribebant; verum non eadem ratio in uno eodemque homine valeat necesse est, quae in toto collegio; hi in aliis libris instituta ritusque scripto mandaverunt, suo ipsorum munere coacti, verum non sequitur inde Q. Pictorem, qui Latinam linguam ruditatis causa non poterat adhibere historico operi, hunc principem historiae qualiscunque auctorem eundem poni posse auctorem librorum de iure pontificio, qui elaborati fuisse apparent ex Gelliano testimonio.

---

1) Pag. 2. 2) *Sat.* II. 16. 3) In *Philolog.* VI. 132.

Hinc sequitur me non assentiri Dedericho[1] Q. Pictorem primo scripsisse Latinos annales postea Graecos, paulo elaboratiores quod ad priorem partem attinet. Nititur ista suspicio prava opinione, Fabii annales in brevius esse contractos a Livio; at hercle satis breves erant illi commentarii, qui nonnisi tempora, loca, hominesque notabant. Nec melior videtur Harlessii opinio, qui frustra idem evincere conatus est per discrepantias, quas sibi visus erat in duplici opere invenisse, quas tribuebat Fabii doctrinae sensim crescenti scilicet; at nullae sunt discrepantiae istae, nam aut alio modo tolli possunt atque debent, aut re vera male eas cernerat[2], cadat ergo conclusio necesse est. Mere hypotheticum est enim quod posuit[3] historiam in Latinis libris esse expositam, ut a Romanis praesertim traderetur, in Graecis contra ea quoque admixta esse, quae Hieronymus, Timaeus, alii de Italiae rebus exposuerunt; non opus est, ut sumamus Fabium non potuisse abstinere a Graecis, qui ista attigerant, neque in hanc sententiam nos deducat Plutarchi de Diocle testimonium. Nec placet altera suspicio eiusdem, Fabium Latinum suum opus conscripsisse ante iter suum Delphos, Graecum vero quum inde reversus esset; nil nos in hanc sententiam deducit.

Superest, ut de titulo moneam, quo Fabii opus insignitum fuerit; ut vere dicam ignoratur, sicut recte quibusdam videtur, a quo tamen non procul aberit is, qui Ἱστορίας aut Ὑπομνήματα eos dixerit. Plinianum illud *Annales* formam non tantum spectat, opinor, et annuit eum Cicero[4], unde vero noli deducere Tullium Latinum sibi voluisse opus, quod distingueret ab altero Graece conscripto, nam idem nomen indicat universum illud scripturae genus. Nec huc referendum esse Polybianum βίβλους ὑπομνήσεως, ut Krausius perperam fecerat, recte ostendit

---

1) Pag. 5. 2) Vide ad fragm. III. 3) Pag. 7. 4) *De orat.* II. 12 § 51.

Beckerus [1]. A commentariis non discrepabant ieiunes isti annales, in quibus ἀκριβῶς quidem sed κεφαλαιωδῶς optima quaeque notaverat, absque ulla disputatione, unde Tullianae querelae hoc genus scriptorum summam laudem brevitatem credidisse. Recte autem Krausius nugas explosit eorum, qui diverso illo nomine diversa opera intelligebant, acsi praeter *Annales* secundum Appianum *Historiam rerum Hannibalicarum* quoque scripsisset.

Olim Fabio falso tribuebantur praeter Annales duo opera, quorum Iohannes Annius Viterbiensis auctor fuit, cui Vossius sua reddidit; alter est *Libellus de aureo saeculo sive Italiae rebus ante Romam conditam*, quo persecutus erat ille mythicam istam a Iano inde eiusque adventu in Italiam historiam; et *Libellus de Romanae Urbis origine*, cuius argumentum desinit in pace inter Romulum et Titum Tatium inita anno octavo. Itidem Vossius errorem Pighii [2] indicavit; scripserat ille adhuc exstare Fabii scripta eaque a Sigonio esse lecta, sed intellexit Campensis de Pictoris Annalibus quod de Appiano monuerat Sigonius; si iam Harlessius huius verba legisset, non in pravam suspicionem delapsus esset, Sigonio tribuenda esse supposita ista, nam non illi erat hoc imputandum.

§ 8. *Fragmenta Annalium Q. Fabii Pictoris.*

Iam eo pervenimus, ut pauca ista recenseamus, quae ex prisco Pictoris opere tempus nobis servavit apud varios scriptores dispersa, sive illi descripserint ad verbum locos Fabianos, sive quod tradiderat ille, in eorum scripta mutatis mutandis manaverit. Omnes qui huc trahi possunt atque debent locos afferam; non quod nondum edita sint fragmenta Pictorum, nam hercle non ita est, saepius viri docti ea in ordinem collegerunt et publici iuris fecerunt, quarum editionum catalogum mitto, ne in bibliographiam

---

1) *Röm. Alt.* I. 41 n. 72 in fine. 2) II. 142.

delabamur. Verum aliud quid est, quo motus ea proferre lubet; qui enim ante me Fabiorum sospitatores fragmenta ediderunt, illa alio modo tribuerant Pictoribus duobus vel pluribus necnon Fabio Serviliano, qua in re quantopere aberraverint illi nunc non decantabo, denique alio modo Fabiorum locos olim descripseram et disposueram, ut statim apparebit. Interea publici iuris factae sunt collectiones Rothii [1] et Harlessii [2], quae a mea in plerisque differunt nec mihi placent, quemadmodum neque Mülleri neque Krausii opera sufficere videntur; an melius ego idem illud fecerim, iudicent peritiores φαβιοϊστοριοφίλοι, ut illos Mollerus [3] appellitat. Afferam Pictoris fragmenta ex ordine chronologico, nam ex rei natura sequitur priscum illud opus non in libros esse dissecatum ab auctore, qui enim Annales scribit annis tantum ducibus utitur; in quibusdam fragmentis apparent quidem librorum numeri, sed haec Quinto nostro abiudicanda videntur.

N°. I. Repertores litterarum Cadmus ex Phoenice in Graeciam et Euander ad nos transtulerunt abcdeiklmnopqrst litteras numero XVI, postea quasdam a Palamede et alias a Simonide adiectas implesse numerum XXIV [sequitur locus aliunde intrusus] grammatici praeterea Demetrius Phalereus, Hermocrates, ex nostris autem Cincius, Fabius, Gellius tradiderunt, ex quibus Cincius paucis inquit, commutatis, ut ad linguam nostram pervenirent, eas namque Cadmus ex Phoenice in Graeciam, unde ad nos Euander transtulerat [4].

Videamus possitne ad Pictorem nostrum referri hic locus, an melius Krausius eum tribuerit »Fabio Gramma-

---

[1]) *Historicorum veterum Romanorum reliquiae*, accedunt Salustii editioni, quam edidit Gerlach, 1852—1853. [2]) *De Fabiis et Aufidiis, rerum Romanarum scriptoribus*, 1853. [3]) In *Disputatione de Q. Fabio Pictore*, quam illo praeside defendit Sey-Fried. [4]) Victorinus, *Art. Gram.* I. p. 2468, ed. Putsch, p. 25 in Gaisf. Script. Lat. rei metr.

tico" aut Pictoris operi ab Annalibus diverso, grammatici argumenti, ut aliis placet. Hermocratem illum intelligere possumus grammaticum, id est praeceptorem Callimachi, sed haec contortior ratio est; tum Demetrius ille rhetorica opera edidit, sed eius liber περὶ ἑρμηνείας suppositicius est; quae quum ita sint, arripienda videtur Lerschii [1] coniectura, legentis »Graeci" pro »Grammatici", nam his demum opponuntur »ex nostris autem" (Romanos intelligo), Cincius, Fabius, Gellius; sunt autem illi etiamsi forte uterque grammaticus omnino Graeci; potuit denique scripturae compendium ansam praebere errori, ut librarius litteras gri in perversum modum suppleret in libro, qui totus quantus *grammatici* est argumenti. Equidem credo Victorinum annalium illos scriptores sibi voluisse, in quorum libris lectitavit has litteras ab Euandro in Italiam advectas esse; sic verbi causa Dionysius in fine libri primi, ubi de Romanorum lingua digreditur a grammatico in partes vocari posset, unde tamen non sequitur Dionysium ea de causa grammaticis adnumerandum esse. Constat deinde Pictorem locum inseruisse annalibus de Aeneae adventu, quid non de Euandri, unde Victorinus hoc habere potuit, aut illius fons; neque aliquid impedit, quominus Cincium, qui presse secutus est Fabium, statuamus hunc eundem locum attigisse. A qua sententia me non detrahunt quae Hertzius [2] protulit ad defendendos grammaticos Fabium et Cincium. Cur hoc fragmentum ex ordine primum posuerim ex ipsius argumento apparet.

N°. II. His (somniis fabularum) adiungatur etiam Aeneae somnium quod nimirum in Fabii Pictoris annalibus eiusmodi est, ut omnia quae ab Aenea gesta sunt, quaeque illis acciderunt ea fuerint, quae ei secundum quietem visa sunt [3].

---

1) *Sprachphil. d. Alt.* III. 145. 2) *De Cinc.* p. 81. 3) Cic. *de divinat.* I. 21 § 43.

Supra [1] iam hoc fragmentum attigi, et Numerio isti abiudicavi, qui ante primum annalium auctorem vixisset et nonnisi coniectura nitebatur. Quum vero aliunde [2] constat Fabium attigisse historiae Romanae fabellas, quas nos dicere solemus, tum eum induxisse Aeneam somniantem [3], denique Graecos annales ab eo esse scriptos [4], quidni ad eiusdem opus hunc qualemcunque locum referamus de Troiano advena? Somnium Aeneae servavit Cato [5] fortasse necnon Fabius, cuius locum iam describam.

N°. III. Περὶ δὲ τῆς προσηγορίας (de nomine Albae) ταύτης Φάβιος ὁ τὰς Ῥωμαίων πράξεις ἀναγράψας ἄλλως μεμυθολόγηκε. Φησὶ γὰρ Αἰνείᾳ γενέσθαι λόγιον τετράπουν αὐτῷ καθηγήσεσθαι πρὸς κτίσιν πόλεως. μέλλοντος δ' αὐτοῦ θύειν ὗν ἔγκυον τῷ χρώματι λευκὴν, ἐκφυγεῖν ἐκ τῶν χειρῶν καὶ καταδιωχθῆναι πρός τινα λόφον, πρὸς ὃν κομισθεῖσαν τεκεῖν λ' χοίρους, τὸν δ' Αἰνείαν τότε παράδοξον θαυμάσαντα καὶ τὸ λόγιον ἀνανεούμενον, ἐπιχειρῆσαι μὲν οἰκίσαι τὸν τόπον, ἰδόντα δὲ κατὰ τὸν ὕπνον ὄψιν ἐναργῶς διακωλύουσαν καὶ συμβουλεύουσαν μετὰ λ' ἔτη κτίζειν, ὥσπερ ὁ τῶν τεχθέντων ἀριθμὸς ἦν, ἀποστῆναι τῆς προθέσεως [6].

Post Aeneae mortem Ascanium filium eius regno accepto, cum triginta anni praeteriissent, collem aedificiis munivisse eamque urbem Albam appellavisse de colore suis, (nam Latini sua lingua τὴν λευκὴν *albam* vocant); alterum vero nomen imposuisse Longam, id est μακράν, propterea quod parum in latitudinem patens in longum magnopere porrecta esset [7].

---

1) Cf. Cap. III § 3 huius Libri, p. 149—151. 2) Cf. fragm. V—XII, XVI—XIX, XXIV—XXVI. 3) Cf. fragm. III. 4) Cf. fragm. XLI et § 7. 5) Auct. *de orig. gent. Rom.* 12. 6) Diod. Sic. VII. 3, ed. Wess. II. 137, ed. Dind. IV. 183, ed. Teubn. I. 507, ex Syncelli *Chronogr.* 155 (366). 7) Diod. Sic. ibid. ex Armenia Eusebii versione ed. Mai 216, ed. Aucher 387.

Rothium secutus ultima illa nolui Fabio abnegare, quae arcte cohaerent cum praecedentibus; contra Lachmannus [1] male Pictori tribuit, quae etiam sequente Eusebii pagina leguntur, unde deduxit Livium ex Pictore regum Albanorum seriem descripsisse. Fieri potest quidem ut haec apud Fabium legeretur, sed nonnisi in diversa fama de nomine Albae Longae ad nostri auctoritatem provocat Diodorus. Recte autem contendit Livium ex Pictore hausisse de Alba 30 annis post conditam Laviniam; sed haec vulgaris fama apud plerosque ferebatur opinor.

Fluctus in simpulo, ut dicunt, excitavit Harlessius [2] de hoc fragmento, nolo quod dixerit Fabium de Ascanio hoc scripsisse, quod re vera de Aenea tradiderat, aliud est; contra Bröcker [3] perperam nobis auctor est secundum Fabium conditam esse Albam ab Aenea non ab Ascanio; locus quem descripsi vel semel inspectus meliora docebit. Redeo ad Harlessium, contendit nempe ab his abhorrere utrumque fabulae genus de eadem re quod Dionysius [4] scripsit, apud hunc enim legimus Aeneam audivisse numinis vocem e luco vicino, aut somnianti illi esse oblatam, qui iuberet quo loco sus pepererat etiamsi non pulchro et a mare distante urbem condere, contra Diodorus habet numen vetasse illud facere inter 30 annos. Fateor hoc nomine duo somnia discrepare, sed alio nomine amice conspirant, nam somnium respicit Albam non Lavinium, ergo utrum numen addixerit Lavinium condere necne, secundum utramque famam praesagiebat illa vox post totidem annos, quot porculi essent, alteram urbem maiorem conditam iri in loco uberiore. Nec aliter accidit, convenit ergo hoc cum Ciceronis testimonio, ubi dixit in Pictoris Graecis annalibus describi omnia Aeneae secundum quietem visa esse, quae ab eo gesta sunt, quaeque illis acciderunt; hoc ergo sibi voluit, quod *κατὰ τὸν ὕπνον* vi-

[1]) I. 51. [2]) Pag. 3 sqq. [3]) Pag. 476. [4]) I. 56.

derat Aeneas, ut est apud Diodorum. Quod autem discrepant illae famae, Catoni fortasse debebat Dionysius, dummodo aliquid tribui potest Auctori *de Origine Gentis Romanae*, sin minus, hausit hoc ex uno alterove scriptore, qui famam a Fabiana diversam scripto mandaverat. Non vero convenit cum hac Dionysii fama locus Fabii Serviliani [1], ubi ad locum macerrimum litterosissimumque pervenisse Aeneas traditur, nam contrarium omnino apud Dionysium legimus. Quae quum ita sint, non habet Harlessius me assentientem, ubi eidem Serviliano tribuit hoc Quinti Pictoris fragmentum; cadit itidem quod inde deduxerat ille, Pictorem in opere Graeco alia scripsisse quam in Latino, nam hoc saltem loco, si vel de duplici cogitandum fuisset, idem tradidisset.

N°. IV. Et nodum informis lethi. — Fabius Pictor dicit quod Amata inedia se interemerit [2].

Non magnam huic loco tribuo fidem, nam differt in cardine quaestionis, siquidem in Servii codicibus bonae notae (L. R. Steph. Ed. Bas. apud Burmannum) legitur: »*Alii* dicunt quod cet." Incertum itaque mihi videtur, an re vera haec a Fabio dicta sint.

Virgilius cecinit Amatam Latini uxorem laqueo se pependisse, quum crederet Turnum, quem sibi generum cupiebat, in pugna contra Aeneam cecidisse; qua in re poeta diversam sequitur famam, nam, ut codices habent, inedia se interemisset secundum Fabium Pictorem, Dionysius [3] vero nil de eius morte peculiare addit. Rothius hunc locum praeposuit N°. II et III, sed inversa ratio magis placet.

N°. V. At vero Fabius Pictor libro primo et Vennonius solito institutoque egressam virginem in usum sacrorum aquam petitum ex eo fonte, qui erat in luco

---

1) Cf. fragm. Serviliani I. 2) Serv. *ad Aen.* XII. 602. 3) I. 64.

Martis, subito imbribus tonitrubusque, quae cum illa erant, disiectis a Marte compressam conturbatamque mox recreatam consolatione Dei, nomen suum indicantis affirmantisque ex eo natos dignos patre evasuros [1].

Fieri potest, ut cetera quoque, quae hoc capite leguntur, hauserit ex Fabio Auctor ille, quod quum probari nequeat, sufficiat ea descripsisse, quae fatetur se ex Fabio habere. Attamen caute illa accipienda sunt pro Fabianis propter dubitatam auctoris istius fidem, qui hunc locum non ex Fabio descripsit, opinor, verum ex alio antiquiore, qui Pictorem secutus erat.

N°. VI. *Περὶ δὲ τῶν ἐκ τῆς Ἰλίας γενομένων Κόϊντος μὲν Φάβιος ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, ᾧ Λεύκιός τε Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος καὶ Πείσων Καλπούρνιος καὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οἱ πλείους ἠκουλούθησαν, τῇδε γράφει.* Sequitur narratio geminorum expositorum, atque omnium, quae ad eorum infantiam pertinent, usque ad capitis finem [2].

Quod supra iam monui, de hoc quoque valet fragmento, non ipsissimi Pictoris verba legimus, verum narrationem ex Dionysii mente conceptam, in qua notissima vulgaris fama traditur, quam Fabius primus scripto mandavit, quem ceteri deinceps secuti sunt. Minus recte igitur editores haec verba et quae sequuntur in eum modum ediderunt, ut non Dionysii sed alius esse viderentur.

Est autem classicus hicce locus, ubi Dionysius tradit de condita Urbe geminisque *ἐν τοῖς πατρίοις ὕμνοις ὑπὸ Ῥωμαίων ἔτι καὶ νῦν ᾄδεται.* Hinc quibusdam videtur historia Romana nata ex carminibus popularibus, quae tempore Fabii canerent barbati Quirites; sed ego iis omnino assentior, qui haec omnia Dionysio tribuant, qui de Ennii *Annalibus*,

---

1) Auct. *de orig. gent. Rom.* 20. 2) Dion. Hal. I. 79.

Ovidii *Fastis*, ceterisque huius generis cogitabat, opinor. Neque hic proferam, quae olim conscripsi contra Niebuhrium [1] de ista historiae Romanae origine et contra ea, quae praefatus est Macaulay elegantibus suis Antiquae Romae Carminibus vere poëticis [2]; iam alii illam sententiam veram esse negarunt, sed prae ceteris accurate et docte, ut solet, hunc locum de carminibus popularibus persecutus est nuperrime Lewis in eximio opere lectuque dignissimo [3]; defendet meam quoque sententiam non ex istis carminibus historiam Romanam esse natam, cui disputationi ne verbum quidem addendum habeo.

N°. VII. *Τοῦ δὲ πίστιν ἔχοντος λόγου μάλιστα καὶ πλείστους μάρτυρας τὰ μὲν κυριώτατα πρῶτος εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξέδωκε Διοκλῆς ὁ Πεπαρήθιος, ᾧ καὶ Φάβιος Πίκτωρ ἐν τοῖς πλείστοις ἐπηκολούθησεν.* Sequitur historia Numitoris, geminorum, cet. ex Livio praesertim versa [4].

Krausius minus recte hoc fragmentum non receperat, scio quidem non Fabii verba laudari, sed eodem iure afferendum est, quo plura allata videmus, ubi ad primum auctorem tantum refertur.

N°. VIII. Fabius speluncam Martis dixit [5].

Hunc quoque locum omisit Krausius, quem recipiendum esse duxi, etiamsi non multum illi tribuam, nam idem valet quod de N°. IV dixi; ne tempus igitur teramus inquirendo, quinam ex Fabiis illud dixerit. Pertinet locus ad historiam lupae, quae foeta procubuisse fertur ab illo in Mavortis antro aut in Martis spelunca; nisi huc trahendum sit quod Servius [6] scripsit, Iliam in spelunca a Marte compressam esse.

---

1) *R. G.* I. 263. 2) *Lays of ancient Rom*, praef. p. 6—25. 3) *On the credibility of early Roman history,* I. p. 202—242. 4) Plut. *Rom.* 3. 5) Serv. *ad Aen.* VIII. 630. 6) *Ad Aen.* I. 273.

N°. IX. Ὁ μὲν οὖν Ῥῶμος ἐπὶ τοῖς πολεμίοις γενόμενος οὕτως, εἴθ', ὡς ὁ Φάβιος παραδέδωκε, δέσμιος εἰς τὴν Ἄλβαν ἀπήγετο [1].

Versatur mythica historia circa pastores eorumque expeditiones; fuerintne illos insidiati Albani Lupercalia celebrantes necne, nunc non attinet inquirere, denique feruntur esse victi et Albam deducti, eorumque dux δέσμιος ἀπήγετο, ut addidit Fabius.

N°. X. Ὡς δὲ ταῦτα κράτιστα εἶναι ἔδοξε, συγκαλέσας τοὺς κωμήτας ἅπαντας ὁ Ῥωμύλος κτἑ. usque ad finem capitis 83 [2].

N°. XI. Ἐν ᾧ δὲ οὗτοι περὶ ταῦτα ἦσαν — ταῦτα εἴρηται τοῖς περὶ Φάβιον [3].

Operae pretium est hos locos contulisse, nam eadem apud utrumque scriptorem inveniuntur; Krausius quidem Dionysii locum non Fabianum esse credebat, ego vero contendo eum haec ex Fabio hausisse, nam Nicolaus diserte tradit hanc famam apud Fabium legi, atqui Dionysius qui illius annales legit, hunc quoque locum apud eum sic invenit. Posset quidem testimonium illud sic accipi, ut descripserit ille Dionysii locum de condita Urbe ceterisque, et tunc in fine adscripserit hanc Fabii esse famam, quam accuratius Dionysius de priore tantum parte accepit; quod si est, hos locos non recte attuli. Quidquid est, Krausius male dubitavit, cuinam Fabio esset vindicandum fragmentum, cui postposuit Diodori locum de Aeneae somniis.

N°. XII. Ὧν τὰ πλεῖστα καὶ Φαβίου λέγοντος καὶ τοῦ Πεπαρηθίου Διοκλέους, ὃς δοκεῖ πρῶτος ἐκδοῦναι Ῥώμης κτίσιν, ὕποπτον μὲν ἐνίοις ἐστὶ τὸ δραματικὸν καὶ πλασματῶδες [4].

---

1) Dion. Hal. I. 80. 2) Dion. Hal. I. 81—83. 3) Nicol. Damasc. p. 461 sqq. ed. Val., p. 70 sqq. ed. Or. 4) Plut. *Rom.* 8.

Praecedit historia eadem, quae duobus praecedentibus continetur fragmentis, eum tamen in modum variata, ut satis appareat Plutarcho Livium fuisse auctorem. Quoniam autem dignosci nequeat, quid Fabio tribuendum sit, quid non, nolui describere Plutarchi narrationem multis aliis immixtam, neque tamen totum locum missum facere volui, ut a Krausio factum esse video.

N°. XIII. Κόϊντος δὲ Φάβιος κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς ὀγδόης Ὀλυμπιάδος [1].

N°. XIV. Φάβιος δὲ Κόϊντος ἀρχομένης η' Ὀλυμπιάδος [2].

N°. XV. Pictori Romam octava olympiade placet conditam [3].

Annus Urbis conditae ab antiquis chronographis definiebatur per alterum tempus, quod constare videbatur, annum volo, quo reges pulsi sunt. Huius rei fama ad Graecos pervenerat, et sic ad nos pervenit nomen archontis Πυρχίων, qui hoc magistratu functus est Ol. LVIII a. 1. Polybius et Diodorus annum posuerunt sequentem, quod equidem explicuerim ex neglecta mensis ratione, quo annus Atticus incipiebat, et diei, quo reges pulsi ferantur, qui fuit VIII kal. mart. secundum Ovidium [4], aut VIII kal. april. secundum Fastos Praenestinos; altera errandi causa esse potuit dies, quo consules honorem inierint, diversis temporibus qui fuit diversus.

Niebuhrius credit Fabium hunc annum sic computasse, Roma a Gallis capta Ol. XCVIII a. 1, a primis consulibus ad Urbem captam anni fuerunt 120, Romae regnatum est per annos 240; quibus 360 annis detractis sequitur Romam conditam esse Ol. VIII a. 1. Longe probabilior Bröckeri [5] opinio, Pictorem hunc annum computasse ex ludis saecularibus anno 505 celebratis, hic enim respon-

---

[1]) Dion. Hal. I. 74 (ex Cod. Vat.) [2]) Syncell. *Chronogr.* p. 194. [3]) Solinus 2. [4]) *Fast.* II. 685. [5]) *Unters. ü. d. Glaubwürd. d. altröm. Gesch.* p. 169.

det Olympiadis LXXXIII a. 2, unde quinque saeculis sive 75 Olymp. detractis fit Ol. VIII a. 2. Sed chronologia ista antiquissima omnino incerta est, tum propter decem menses, quos singuli anni continebant apud Italos quosdam, tum propter kalendarium a sacerdotibus non satis recte habitum, necnon propter ea, quod non omnes per totum annum magistratum gesserint, verum per interregna magistratuumque mutationes hoc tempus varium fuerit.

N°. XVI. *Τετάρτῳ δὲ μηνὶ μετὰ τὴν κτίσιν, ὡς Φάβιος ἱστορεῖ, τὸ περὶ τὴν ἁρπαγὴν ἐτολμήθη τῶν γυναικῶν* [1].

Iterum habemus exemplum chronologiae a Fabio adscriptae; unde vero hoc hauserit, in promtu est. Constabat enim apud veteres [2] Urbem Parilibus esse conditam, id est XI kal. mai.; itidem constare videbatur dies, quo virgines raptae, nam Romulus Sabinos invitaverat ad festum celebrandum in honorem Neptuni sive Consonis; Consualia autem celebrabantur [3] die 18 m. sextilis, aut ut in kalendario legitur »XII kal. septembr. A. Cons. N. P."; ex hisce facillimum erat computare quarto mense post Urbem conditam Sabinas esse raptas. Diversam tamen Cn. Gellius tradiderat famam, cui assentitur Dionysius, quarto demum anno post Urbem virgines raptas esse, Fabius enim, qui non de bello contra Sabinos gesto sed de virginibus tantum raptis cogitabat, eodem anno illud accidisse credebat, quo Romulus Urbem condere coeperat.

N°. XVII. *Αὐτὴν (Τάρπειαν) ὡς μὲν Φάβιός τε καὶ Κίγκιος γράφουσιν, ἔρως εἰσέρχεται τῶν ψαλίων, ἃ περὶ τοῖς ἀριστεροῖς βραχίοσιν ἐφόρουν, καὶ τῶν δακτυλίων* [4].

Magistello reddamus explicationem marginalem *καὶ τῶν δακτυλίων* i. e. annulorum, quae ad vocabulum *τῶν ψα-*

---

[1]) Plut. *Rom.* 14. [2]) Varro, *R. R.* II. 1; Cic. *de divin.* II. 47 § 98, *ad Att.* II. 8, XIV. 14; Ovid. *Fast.* IV. 820; Zonar. VII. 3. [3]) Plut. *Rom.* 15; Dion. Hal. II. 31. [4]) Dion. Hal. II. 38.

λίων minus notum adscripta erat, sed a librariis in finem sententiae delata est, quibus recte omnino τὰ ψάλια iam satis explicata videbantur per ἃ περὶ τοῖς ἀριστεροῖς βραχίοσιν ἐφόρουν.

Servavit nobis hoc fragmentum Dionysius propter duplicem de Tarpeia famam; Piso enim, qui non concoquebat vulgarem proditionis historiam cum honore, quo Tarpeiae fruebatur memoria, suo Marte rem aliter explicare conatus est, et sic tradidit Tarpeiam, dum ater Spurius aliis detinebatur negotiis, collocutam esse cum Sabinis, quibus se arcem prodituram dixit, pretium stipulata, quae Sabini sinistro brachio gerebant, cogitans non de aureis armillis, sicut Sabini credebant, et Fabius atque Cincius tradiderunt, verum de scutis, ut sic inermes arcem ingressos Romulus caperet: sic saltem boni aliquid in proditione ista fuisset memoriaque dignum. Ad quam explicationem si recurrere non lubet, quidni antiquam Fabii Cinciique famam arripiamus, nam Piso de suo excogitavit alteram, cui offendebat Tarpeiae cultus; at mihi facile persuadere possum Tarpeiae memoriam celebratam esse ab eo populo, cui prodiderat arcem, a Sabinis nempe, qui tunc cum Romana stirpe coäluerunt; in huius rei memoriam quotannis sacra quaedam fiebant Tarpeiae, nil absurdum; verum Pisonem fugerat illa coniunctio, hinc nova explicatio, quae Romano iurisconsulto convenit, qui sic fallat adversarium, sed abhorret a muliere quae sic non potuit decipere strenuos milites, a quibus suppressa est; contra in mulierem optime cadit proditio illi duci, quocum in proditionis praemium,

»nubendique petit, quem velit ipsa diem.
»At Tatius, neque enim sceleri dedit hostis honorem,
»nube, ait, et regni scande cubile mei.
»Dixit, et ingestis comitum superobruit armis" [1].

---

1) Propert. IV. 4. 89.

N°. XVIII. Οἱ δὲ περὶ τὸν Φάβιόν τε καὶ Κίγκιον οὐδὲν τοιοῦτον λέγουσι γεγονέναι (ea nempe, quae Piso tradit) ἀλλὰ φυλάξαι τὴν κόρην (Tarpeiam) διαβεβαιοῦνται τὰς περὶ τὴν προδοσίαν συνθήκας [1].

Opponitur iterum Fabii Cinciique narratio ei, quam de suo Piso excogitavit, Tarpeiam scilicet decipere voluisse Sabinos, quos inermes Romulus devinceret, ad quem ut doli certior fieret, nuntium misisset; Fabius contra tradiderat Tarpeiam proditionis sponsionem observasse, Sabinosque apertis portis recepisse.

N°. XIX. Οἱ δὲ περὶ τὸν Φάβιον ἐπὶ τοῖς Σαβίνοις ποιοῦσι τὴν τῶν ὁμολογιῶν ἀπάτην, δέον γὰρ αὐτοὺς τὸν χρυσὸν, ὥσπερ ἡ Τάρπεια ἠξίου, κατὰ τὰς ὁμολογίας ἀποδιδόναι χαλεπαίνοντας ἐπὶ τῷ μεγέθει τοῦ μισθοῦ, τὰ σκεπαστήρια κατ' αὐτῆς βάλλειν ὡς ταῦτα, ὅτε ὤμνυσαν, αὐτῇ δώσειν ὑποσχομένους [2].

In hoc quoque loco diversa fama fuit, Piso enim tradidit Tarpeiam recusantem ornamenta, quae iamiam Sabini erant daturi, poposcisse scuta, tunc vero Sabinos invitos dedisse quidem scuta sed ita, ut iis obruta ceciderit. Antiquior vero fama, quae et simplicior, Sabinis fraudem tribuit, qui ex sponsione aurum dederunt, sed adiecerunt non rogati tegumenta quoque, et sic periit.

N°. XX. Διεῖλε δὲ καὶ τὴν χώραν ἅπασαν, ὡς μὲν Φάβιός φησιν, εἰς μοίρας ἓξ καὶ εἴκοσιν, ἃς καὶ αὐτὰς καλεῖ φυλὰς, καὶ τὰς ἀστικὰς προστιθεὶς αὐταῖς τέτταρας τριάκοντα φυλὰς ἐπὶ Τυλλίου τὰς πάσας γενέσθαι λέγει [3].

Est hic classicus locus de tribuum divisione, quem non intactum reliquerunt librarii, Niebuhrii lectionem sequor, etiamsi nondum Dionysii manum reposuerit; sic offendit

---

[1]) Dion. Hal. II. 39. [2]) Dion. Hal. II. 40. [3]) Dion. Hal. IV. 15.

verbi causa illud ἃς καὶ αὐτὰς καλεῖ, intelligerem si esset αὐτός, id est, tribus quas ipse Fabius Graeco vocabulo φυλάς appellavit; quod si recte vidi, novum habemus testimonium Graeco sermone eum usum esse, et hic re vera unum vocabulum habemus, quod apud Fabium legeretur.

N°. XXI. Millia octoginta eo lustro civium censa dicuntur. Adiicit scriptorum antiquissimus Fabius Pictor eorum, qui ferre arma possent, eum numerum fuisse [1].

Fabius 80,000 dedit, Dionysius [2] vero 84,700, Eutropius [3] 83,000; de his incertis numeris nil probabile possumus disputare, atqui Niebuhrius [4] paulo audacior apud Livium credebat rescribendum esse, quod apud Eutropium legitur. Quidquid est, refellenda videtur Fabiana opinio, tot Romanos ferre arma potuisse; quartam tantum partem omnium civium in aetate militari esse ex constanti ratione, probavit Clintonus afferens probatos hac in re numeros; hinc 32,000 cives Romanus ager continuisset, quod omnino fieri non potuit, nam haud ita longe patebat, duo colles accesserunt quidem, sed non tot hominum locus erat. Ex eadem ratione quum anno 280 censa sunt 130,000, ager Romanus 520,000 homines contineret, quum patebat a Crustumeria ad Ostiam. Altera non Fabiana opinio vera est, quod hoc argumento probari potest facillime: novimus ex eiusdem regis instituto 193 centurias fuisse, quod quum constet rem militarem spectare, 19,300—20,000 milites fuerint necesse est; quae summa ipsissima quarta pars est civium, qui primo illo lustro censi sunt, ergo Fabius lapsus est. Omnes denique cives a censoribus numeratos esse ex eo quoque apparet, quod traditur vulgo hunc vel illum numerum fuisse »praeter orbos orbasque", atqui ceterae mulieres, infantes, senes, cet. ad unum omnes numerabantur.

---

[1]) Liv. I. 44. [2]) IV. 22. [3]) I. 7. [4]) *R. G.* I. 468.

Scio quidem hunc Fabianum numerum dubio nonnihil obnoxium videri Schweglero [1], sed quidni aliunde potest computatum esse, v. c. ex ipsius Servii centuriarum numero, si ratio illa Clintoni iam observata fuerit ab iis, qui adire poterant tabulas censorias.

N°. XXII. Πάλιν ἀναγκάζομαι μεμνῆσθαι Φαβίου, καὶ τὸ ῥᾴθυμον αὐτοῦ περὶ τὴν ἐξέτασιν τῶν χρόνων ἐλέγχειν, ἐπὶ γὰρ τῆς Ἀρούντα τελευτῆς γενόμενος, οὐ καθ' ἓν ἁμαρτάνει μόνον, ὃ καὶ πρότερον (IV. 6, 7.) ἔφην, ὅτι γέγραφεν υἱὸν εἶναι Ταρκυνίου τὸν Ἀρούνταν, ἀλλὰ καὶ καθ' ἕτερον, ὅτι φησὶν ἀποθανόντα ὑπὸ τῆς μητρὸς Τανακυλίδος τεθάφθαι [2].

Iure an iniuria Dionysius carpserit Fabii chronologiam videamus; duo negat Dionysius cum Pisone: Tarquinium et Aruntem natos esse ex Tarquinio Prisco et Tanaquil Aruntem demortuum sepelivisse. Accuratissime annis computatis docet Tarquinium Superbum anno aetatis 108 mortuum esse, quorum per 14 postremos ipse strenue bellum gessit contra Romam; itidem Aruns de medio sublatus a Lucio et Tullia minore sepultus esset a pia matre Tanaquil, quae ut ille recte computat, annum 115 egisset. Quae quum Piso primus perspexerit, hunc locum ad liquidum perducere conatus est spreta Tanaquil excogitando matrem Geganiam quamdam, de qua ne verbum quidem in annalibus. Dionysius recte istam respuit et simpliciorem in modum rem explicat, ponendo Lucium et Aruntem Tarquinii Prisci fuisse nepotes. Niebuhrius [3] summo iure noluit Dionysii arripere suspicionem, innata enim est historiae fama de Tarquinio, cuius filios ubi Servius a regno retinuerit, expulsus est; iusto audacius is agit, qui in incerta chronologia atque aetate totum genus inserat. Alio modo difficultas tollenda erit, numeri non vero genera-

---

[1]) *R. G.* I. 760 n. 6. [2]) Dion. Hal. IV. 30. [3]) *R. G.* I. 412 sqq.

tiones in brevius contrahantur, nam dubio non vacant spatia ista diuturna, per quae reges illi imperio usi feruntur; Ancus enim 28 annos regnasse fertur, satis diu, at Tarquinius Priscus per octo annos plus, 36 nempe, denique Servius iterum per octo annos plus, 44 nempe, qui numerus et constans regni augmentum suspicionem movent eos esse natos ad annorum spatium complendum, per quod Romae regnatum esse fama erat. Quae quum equidem crediderim, Fabianam famam defendam inde sequitur.

N°. XXIII. Τοῦτον τὸν ἄνδρα (L. Tarquinium Collatinum) Φάβιος μὲν υἱὸν εἶναί φησιν Ἠγερίου περὶ οὗ δεδήλωκα πρότερον, ὅτι Ταρκυνίου τοῦ πρότερον βασιλεύσαντος Ῥωμαίων ἀδελφοῦ παῖς ἦν, ἐγὼ δὲ καὶ τοῦτον υἱωνὸν εἶναι τοῦ Ἠγερίου πείθομαι, εἴ γε τὴν αὐτὴν εἶχε τοῖς Ταρκυνίου παισὶν ἡλικίαν, ὡς Φάβιός τε καὶ οἱ πολλοὶ συγγραφεῖς παραδεδώκασιν [1].

Eadem quaestio hic agitur quam praecedenti loco, quem cur Rothius huic postposuerit, non video. Quod autem Fabius et ex eo ceteri tradiderunt, verissimum esse, ego haud abnuerim, Egerium volo aequalem Tarquinii Superbi filiis; Tarquinius secundum vulgarem famam avus fuit Superbi filiis, eiusque frater avus fuit Tarquinio, Egerio pater; ubi ergo inserendum est genus uno loco, altero idem facias necesse est, et sic ubi Dionysius inter duos Tarquinios genus inseruit, idem faciat inter Egerium filiumque. Potior vero Fabii narratio videtur quam illud Dionysii conamen in re lubrica frustra lucem afferentis.

N°. XXIV. In Capitolio quis est hominum qui ignoret Oli esse sepulchrum Vulcentani? Quod si planum fieri testimoniis postulatis auctorum, Sammonicus, Granius, Valerianus vobis et Fabius indicabunt, cuius

---

1) Dion. Hal. IV. 64.

Olus fuerit filius, gentis et nationis cuius, ut a Germani servulis vita fuerit spoliatus et lumine; quid de suis commeruerit civibus, ut ei sit abnegata telluris patriae sepultura. Condiscetis etiam, quamvis nolle istud publicare se fingant, quid sit capite resecto factum, vel in parte qua rei (areae, Roth.) curiosa fuerit obscuritate conclusum; ut immobilis videlicet atque fixa obsignati ominis perpetuitas staret [1].

Pertinet hic locus ad historiam, ne dicam fabellam, de humano capite, quod ab aperientibus fundamenta templi Iovis Capitolini inventum est, Capitolii magnitudinem portendens. Historiola nata esse videtur apud antiquarios, ut nomen explicaretur *Capitolii*, inventum scripserunt *caput Oli* cuiusdam, non autem *Toli*, ut antea edebatur, rem conficit etymologia et codices Servii [2]; non assentior igitur Rothio nec Harlessio, qui dant *Aulus*. Noli tamen multum huic fragmento tribuere, si enim apud Fabium hoc legisset Arnobius, cur a Dionysio [3] et Livio [4] et Plutarcho, qui portentum illud attigerunt Fabiumque descripserunt, omissum esset nomen eius, a cuius capite templum diceretur scilicet, hinc suspicor apud Fabium nostrum non illud legisse Arnobium, qui ex memoria hoc nomen addidisset; olet enim etymologia ista grammaticos Fabii aetate longe recentiores; neque ex ceteris, quos adducit ille testes, confici poterit, an alium fortasse Fabium sibi voluerit, vel si cum glossa marginali pro *Valerianus* legeris *Valerius Antias*, ut probabiliter defendit Harlessius. Iudicent peritiores, an accipi possit suspicio Arnobium sibi voluisse Fabium Quinctilianum, quippe qui docet [5] appellandi rationem nominum et locorum ex historiarum veterum notitia duce etymologia inveniri posse, inter cuius rei exempla laudat ille ipsum vocabulum Capitolium.

1) Arnob. *adv. Gent.* VI. 7. 2) *Ad Aen.* VIII. 345. 3) IV. 59. 4) I. 55. 5) *Inst. Orat.* I. 6, p. 79 Burm.

N°. XXV. Pometinae manubiae, quae perducendo ad culmen operi destinatae erant, vix in fundamenta suppeditavere; eo magis Fabio, praeterquam quod antiquior est, crediderim quadraginta ea sola talenta fuisse, quam Pisoni, qui quadraginta millia pondo argenti seposita in eam rem scribit, summam pecuniae, quae neque ex unius tum urbis praeda sperandum, et nullius ne horum quidem magnificentiae operum, fundamenta non exsuperaturum [1].

Niebuhrius [2] rectissime Livio reddidit Fabianum numerum scribendo »quadraginta ea sola talenta fuisse", male enim Pighius intruserat »quadringenta", Dionysii [3] allato testimonio scribentis τετρακοσίων ταλάντων; sed hic intelligenda est tota praeda, cuius decima pars fuit 40 talenta. Nec vero multum huic numero Fabiano tribuam, originem trahunt illi fabulosi [4] numeri ex vanitate Romanorum; quibus ista vel ad fundamenta Capitolii non suffecisse magnum gloriandi fuit argumentum. Sub Servio autem Suessa non tota direpta est, nam anno 252 ager Pometinus veniit, urbe re vera capta et direpta.

N°. XXVI. Omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxime Coelius, quum bello Latino ludi votivi maximi primum fierent, civitas ad arma repente est excitata. Itaque ludis intermissis instaurativi constituti sunt. Qui antequam fierent, quumque iam populus consedisset, servus per circum quum virgis caederetur, furcam ferens ductus est. Exin cuidam rustico Romano dormienti visus est venire, qui diceret, praesulem sibi non placuisse ludis, idque ab eodem iussum esse eum senatui nuntiare, illum non ausum. Iterum esse idem iussum et monitum ne vim suam

---

[1]) Liv. I. 55. [2]) *R. G.* I. 570. [3]) IV. 50, VI. 74. [4]) Böckh, *Metrol. Unters.* 438.

experiri vellet; ne tum quidem esse ausum; exin filium eius esse mortuum, eandem in somniis admonitionem fuisse tertiam. Tum illum etiam debilem factum rem ad amicos detulisse, quorum de sententia lecticula in curiam esse delatum, quumque senatui somnium enarravisset, pedibus suis salvum revertisse. Itaque somnio comprobato a senatu ludos illos iterum instauratos memoriae proditum est [1].

Fateor plura me descripsisse quam a Fabio nobis traditum esse constat, nolui tamen Coelii narrationem mittere, ne male locus intelligeretur. Hac, teste Cicerone secunda vice instaurati sunt illi ludi, qui priore loco anno 258 videntur instaurati a dictatore Postumio, qui tunc annuos illos instituit; de quibus haud ita spernenda disputavit Harlessius [2].

Cur hoc fragmentum Pictori tribuerim, apparet ex sequenti, ubi de eadem re Dionysius nostrum attulit auctorem. Potest denique ex hoc Ciceronis loco non confici alium quoque e Fabiis de eadem re scripsisse; non enim urgendus pluralis numerus, quum Nipperdey [3] Cn. Gellium tantum intelligendum esse confecerit.

N°. XXVII. *Κοΐντῳ Φαβίῳ βεβαιωτῇ χρώμενος καὶ οὐδεμιᾶς ἔτι δεόμενος πίστεως ἑτέρας, παλαιότατος γὰρ ἀνὴρ τῶν τὰ Ῥωμαϊκὰ συντεταχμένων καὶ πίστιν οὐκ ἐξ ὧν ἤκουσε μόνον ἀλλὰ καὶ ἐξ ὧν αὐτὸς ἔγνω παρεχόμενος* [4].

Sequitur digressio de ludis Latinis, quam etiamsi ex Fabio hausit, nolo describere, quoniam difficile est statuere, quaenam ex Fabio quaenam ex aliis habuerit ille. Cohaeret hoc fragmentum cum praecedente; quum autem Livius et Dionysius hunc locum de ludis institutis ex Fabio

---

[1]) Cic. *de divin.* I. 26 § 55. [2]) Pag. 21. [3]) In *Philol.* VI. 132.
[4]) Dion. Hal. VII. 71.

habent, ex eodem fortasse fonte fluxit mentio pecuniae summae, quam quotannis his ludis impendebat respublica, 500 minas sive 8 talenta et quod excurrit, id est 833 pondo argenti.

N°. XXVIII. Apud Fabium longe antiquissimum auctorem, usque ad senectutem vixisse eundem (Coriolanum) invenio. Refert certe hanc saepe eum exacta aetate usurpasse vocem: »multo miserius seni exsilium esse [1].

Haec est ergo antiquissima fama Coriolanum ad senectutem vixisse, ut Dio Cassius [2] quoque scripsit Livium, opinor, secutus, Dionysius [3] contra tradit eum Urbem ingressum sub iratis cecidisse militibus, quod ex Pisone fortasse habet. Quomodo autem fama exsilii cohaereat cum altera illa de matronis Coriolanum publice lugentibus, nondum capio; nec vero luctum illum spreverim, nam constat Coriolanum in magno honore apud posteros fuisse, atqui multum illi debuerunt. Tum verissime omnino observat Lewis [4] famam exsilii convenire in Coriolanum patriae bellum inferentem, atqui perdurasse odium eius erga cives, verum tunc iterum Volscis dux exstitisset contra Romam, aut Romani eius deditionem poposcissent; sin contra cum Romanis reconciliatus esset, Romam rediisset non expertus seni exsilium miserius esse. Quas ob causas Fabianam famam nondum ut verisimiliorem accipiam.

N°. XXIX. (Q. Fabius Maximus Rullianus) magister equitum, ut ex tanta caede multis potitus spoliis, congesta in ingentem acervum hostilia arma subdito igne concremavit, seu votum id deorum cuipiam fuit, seu credere libet Fabio auctori eo factum ne suae

---

[1]) Liv. II. 40. [2]) Zonar. VII. 17. [3]) VIII. 59. [4]) II. 122.

gloriae fructum dictator caperet, nomenque ibi scriberet, aut spolia in triumpho ferret [1].

Haec sufficiunt, Rothius plura descripsit, quae an ex Fabio fluxerint, ignoramus. Quae historici argumenti sunt suo loco attingam [2] et ostendam veriorem hanc famam videri. Apparet autem ex hoc fragmento Pictorem in suorum gentilium historia haud negligenter esse versatum, quod et exspectari poterat. Potest dubitari sitne Pictoris an Serviliani testimonium, propter ea, quod hanc historiae partem Pictor attigit, huic locum vindicare malui.

Ne cui videar Fabianum fragmentum omittere, quod apud Livium [3] legebatur: »Furios Fusios Fabius scripsere quidem," dicam sublatam esse dittographiam *Fabius*, omnino recte, Lachmann [4] antiquam praefert lectionem, sed obstat loci nexus et usus Livianus.

N°. XXX. Fabius ambos consules in Samnio et ad Luceriam res gessisse scribit, traductumque in Etruriam exercitum (sed ab utro consule non adiecit) et ad Luceriam utrimque multos occisos, inque ea pugna Iovis Statoris aedem votam, ut Romulus ante voverat, sed fanum tantum, id est locus templo effatus, sacratus fuerat [5].

Alschefskius verba transposuit, ut in Cod. Leid. I leguntur, »fanum tantum, id est locus templo *sacratus*, *effatus* fuerat"; omnino recte, nam non locus erat effatus, sed ut augures sacra loca dicuntur effari, sic Romulus id fecisse traditur a Livio; sed vel sic superest glossema tollendum, ut iam ab antiquo interprete video propositum, Livius enim dederat »Iovis Statoris aedem votam, ut Romulus ante voverat, sed fanum tantum effatus fuerat", quod intelligenti sufficit.

---

1) Liv. VIII. 30. 2) Cf. Lib. VII. Cap. 1 § 3. 3) III. 4. 4) I. 29.
5) Liv. X. 37.

Est historia anni 460, coss. L. Postumius Megellus II et M. Atilius Regulus; quorum hic, ut altera fama ferebat, in Samnium profectus est, dum Postumium adversa valetudo Romae tenuit, donec clade collega affectus est, tum vix validus ab Sora in Samnium cum suis perrexit, et Milioniam cepit non sine magna caede. Interea Atilius solus ad Luceriam manum conseruit cum Samnitibus, ex quibus pugnis vix victor abiit. Tunc Postumius in Etruriam exercitum traduxit, ubi tres urbes cepit pacemque fecit; de triumphis multa agitata sunt, de quibus variant historici: secundum Fastos Postumius de Samnitibus et Etruscis, Atilius de Volsonibus et Samnitibus triumphavit. Audivimus modo Livium ex Fabio testatum ambos consules in Samnio et ad Luceriam res gessisse; utra fama verisimilior sit, non facile quis dirimet, nam vel Livio teste »et huius anni parum constans memoria est."

N°. XXXI. *Φησὶ δ' ὁ συγγραφεὺς Φάβιος Ῥωμαίους αἰσθέσθαι τοῦ πλούτου τότε πρῶτον, ὅτε τοῦ ἔθνους τούτου* (Sabini) *κατέστησαν κύριοι* [1].

Non iniuria hoc quoque fragmentum ad Pictorem retuleris, etiamsi non certo constat eum illud observasse, ubi de bellis Samniticis scripserit, non enim Sabini antiquo sensu intelligendi sunt, quorum mores simpliciores erant, sed ditiores Samnites, quo nomine magis innotuerunt. Suspicor autem Strabonem hunc locum aliunde hausisse, neque tunc amplius veteres annales huius generis lectitari. Bonum tamen factum, quod Strabo subiecerit de subactis Samnitibus illo loco sermonem esse, quo nomine omisso prava mox nasceretur suspicio propter vetus adagium [2]: ex bello Antiochico luxuriam Romanis esse natam; atqui probabili argumento hunc locum Fabio Serviliano vindicares, quod nunc saltem non faciendum.

---

1) Strab. V. 3, p. 228 ed. Cas., p. 370 ed. Tauchn. 2) Liv. XXXIX. 6.

N°. XXXII. Οὐχ ἧττον δὲ τῶν προειρημένων παρωξύνθην ἐπιστῆσαι — Φαβίῳ δὲ τοὔμπαλιν τούτων [1].

Haec sufficiunt; plura descripsit Krausius, quae vero non ad fragmentum hocce pertinent, sunt nonnisi historiae conscribendae praecepta. Classicus est autem hic locus de Fabii auctoritate in bellis Punicis enarrandis, qua de re nobis iudicium fit difficilius, quippe qui non omnes auctores superstites habemus, ex quibus rem conficiamus; nec tamen adeo lugendus videtur eorum interitus, nam Polybius recte eos adhibuisse censendus est. Hunc locum fragmento assignavi, si ita appellari potest, quod quum bella Punica spectet, iis praepositum velim hoc de Fabio iudicium, de quo satis supra dixi.

N°. XXXIII. Παραπλησίως δὲ καὶ Φάβιον παρ' ὅλην ἂν τις τὴν πραγματείαν εὕροι, ὡς ἐπ' αὐτῶν δειχθήσεται τῶν καιρῶν [2].

Cohaeret hic locus cum praecedente iudicio; protulit nempe Polybius ad probandum quod modo posuerat de Philino Fabioque, exemplum ex Philini libro II de oppugnata Messana, ostenditque Philinum sibi non constare, sed hostium partes permutasse; Philinum, inquit, talem in universo opere invenies, nec multum ab eo discrepat Fabius. Suspicor Philini errori ansam dedisse, quod deinceps a Romanis tum a Carthaginiensibus Messana oppugnata fuerit.

N°. XXXIV. Τέλος οὐχ, ὡς Φάβιός φησιν, ἐξαδυνατοῦντες καὶ περικακοῦντες, ἀλλ' ὡς ἂν ἀπαθεῖς καὶ ἀήττητοί τινες ἄνδρες ἱερὸν ἐποιήσαντο στέφανον, πρότερον γὰρ ἐκείνους ἀλλήλων ἐπικρατῆσαι, καίπερ δύο ἔτη πάλιν ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ διαγωνισαμένους, δι' ἄλλου τρόπου συνέβη λαβεῖν τὸν πόλεμον τὴν κρίσιν [3].

---

1) Polyb. I. 14 § 1—3. 2) Polyb. I. 15 § 12. 3) Polyb. I. 58 § 5, 6.

Urbs Drepanum, cui proximus adiacet mons Eryx spectat solem occidentem et Hispaniam, in quo monte munitissimum erat castellum et templum deae 'Αστάρτης, a Romanis Venus Erycina quae dicta est. Quum Pyrrhus ex Sicilia decessit, Poeni Erycem recuperarunt, quem ad bellum Punicum usque tenuerunt, tunc enim in Romanorum venit potestatem, qui validum illi imposuerunt praesidium. Magnis facinoribus inclaruit oppugnatio, denique Barcas urbem adscendit eamque cepit, et vel sic tamen medii inter arcem castraque Romana pugnarunt, nec vero ulla Romanorum virtute et constantia potuit expugnari; per duos annos Hamilcar eam tenuit, donec extractus est non viribus exhaustis, ut Fabius vult, verum invictus, nam alio modo συνέβη λαβεῖν τὸν πόλεμον τὴν κρίσιν, clade Carthaginiensium nempe ad Aegatas insulas. Hoc igitur exemplum est ex iis, quae Polybius se daturum pollicitus erat ad suum de Fabio iudicium probandum; ad quod si attendisset Ernesti, non scripsisset locos periisse, quibus iudicaremus verumne in Fabium contulerit iudicium.

N°. XXXV. Traditum est a Fabio, qui ei bello interfuit, DCCC millia hominum parata ad id bellum fuisse [1].

N°. XXXVI. In utriusque consulis exercitu octingenta millia armatorum fuisse referuntur, sicut Fabius historicus, qui eidem bello interfuit, scripsit [2].

De fragmenti auctore dubitari nequit, constat hoc diserto testimonio Pictorem militasse anno 529 bello Gallico Cisalpino, quod nunc non moror. Contendo Eutropium et Orosium hunc locum ex Livio descripsisse, qui itidem de copiarum numero aliquid memoriae tradidit. Livio itidem deberi perhibeo Romanarum et Campanarum copiarum numerum, quem Orosius habet; Rothius et qui eum sequitur Harlessius hoc quoque Fabio tribuunt, non ego, nam Pictor nonnisi universum numerum tradidisse videtur.

[1]) Eutrop. III. 5. [2]) Oros. IV. 13.

Secundum Fabium fuerunt 800,000, secundum Livii epitomatorem [1] 300,000 et secundum Polybium [2], quem sequitur Diodorus [3] 770,000, ut Fischer [4] tradit, sed non ita est. Polybius enim qui singulorum populorum pedites et equites accurate recenset, ad amussim cum Fabio convenit; sed fugerat Fischerum aliud quid. Copiarum summa apud Polybium est 800,300 id est: 71,100 equitum et 729,200 peditum, sed paulo ante, quum alter consul Atilius in Sardinia degebat cum exercitu suo consulari, nondum aderant illi 21,500 id est: 1,300 equitum et 20,200 peditum, erant enim 778,800 tantum id est: 69,800 equitum et 709,000 peditum, ut ipse Polybius dicit τὸ σύμπαν πλῆθος peditum ὑπέρ 700,000, equitum εἰς 70,000, quos numeros Diodorus exscripsit neglectis paucis, quot excurrunt.

Plinius [5] tradit Italiam solam sine externis auxiliis, atqui etiam tunc sine Transpadanis, suppeditasse LXXX [5] millia equitum peditumque DCC millia, quae summae respondent reliquis, si expunxeris unum X, quod nobis licere non negaverim.

Livianus numerus 300,000 armatorum, quem Romanus populus sui Latinique nominis habuisse fertur, convenit cum Polybiano, si Samnitium copias addideris iis, quas praeter quatuor exercitus consulares Latini, Socii et Urbs Roma suppeditaverint.

Quomodo vero Orosius ad numerum 348,000 peditum et 26,600 equitum Romanos et Campanos computaverit, frustra expiscari conatus sum.

Quaeri potest denique num ingenti illi numero Fabiano fides haberi possit, quod Niebuhrius, ut exemplum afferam, negavit; respondet autem Fabii summa Polybii catalogo, ergo utriusque fides dubio obnoxia esset; equidem propter accuratam enumerationem equitum peditumque

---

[1]) Epit. XX. [2]) II. 24. [3]) XXV. 18. [4]) *Röm. Zeitt.* p. 84.
[5]) *H. N.* III. 24.

quos singuli populi suppeditarunt, non possum credere eos de suo finxisse historicum, quem suspicor illa omnia ex tabulis quaestorum vel publico monumento nescio quo descripsisse.

N°. XXXVII. Tradit et Fabius Pictor in annalibus suis, quum obsideretur praesidium Romanum a Ligustinis, hirundinem a pullis ad se allatam, ut lino ad pedes eius alligato nodis significaret, quoto die adveniente auxilio eruptio fieri deberet [1].

Miror Krausium dubitasse de huius loci auctore, nam vocabula »ad se allatam" docent Pictorem illum interfuisse bello isti Ligustino; constat Quintum nostrum bello Gallico Cisalpino anni 529 interfuisse, quocum cohaeret haec fama, opinor. Verum Romani ab anno 521 ad 531 contra Ligures saepius bellum gesserunt, fieri potest igitur ut sub Furio anno 531 copiis quibusdam praefuerit, titulo nescio quo.

N°. XXXVIII. *Φάβιος δέ φησιν ὁ Ῥωμαϊκὸς συγγραφεὺς ἅμα τῷ κατὰ Ζακανθαίους — ποιεῖσθαι τοὺς ἀναγιγνώσκοντας τὰς δοκιμασίας* [2].

Invehitur Polybius hoc loco in Fabium paulo acrius, nec iniuria, perspectum enim habebat, quinam primi iniuriae exstitissent auctores, et accurate refellit Pictoris opinionem. Ernesti autem frustra conatus est defendere nostrum, quippe qui Polybii argumenta non evertit, quae ne aggressus est quidem, alia afferens de Poenis, Hasdrubale et Hannibale, qua in re diversa miscuit non satis Carthaginiensium rempublicam perspectam habens, ut luculenter Lucas mihi demonstrasse videtur. Docet deinde hic locus Fabium senatorem fuisse, quod ceteroquin ex eo, quod legatus fuerit, conficitur.

---

1) Plin. *H. N.* X. 24. 2) Polyb. III. 8 et 9 § 1—5.

N°. XXXIX. *Ἡ δὲ βουλὴ Κόϊντον μὲν Φάβιον τὸν συγγραφέα τῶνδε τῶν ἔργων εἰς Δελφοὺς ἔπεμπε χρησόμενον περὶ τῶν παρόντων* [1].

Krausius iniuria hunc locum non recepit, nulla in eo verba Fabiana leguntur quidem, sed utpote novum testimonium Pictorem de bello Hannibalico scripsisse et Delphos legatum esse missum, recensendum est; suspicio omnino probabilis adest Appianum ex Livio haec descripsisse.

N°. XL. Ego, praeterquam quod nihil haustum ex vano velim, quo nimis inclinant ferme scribentium animi, Fabium aequalem temporibus huiusce belli potissimum auctorem habui. Haec est nobilis ad Trasimenum pugna, atque inter paucas memorata populi Romani clades, 15,000 Romanorum in acie caesa sunt, 10,000 sparsa fuga per omnem Etruriam, diversis itineribus Urbem petiere, multiplex caedes utrimque facta traditur ab aliis [2].

Non tantum numerum illum, ut Baumgarten credebat, ex Fabio hausisse videtur Livius, sed totam huius pugnae descriptionem, ut Polybius quoque, utriusque enim enarratio eodem redit; sufficiat notasse Livium ad Fabii auctoritatem provocare. Ultimum hoc videtur eorum, quae in annalibus Pictor attigerat.

N°. XLI. *Ῥωμαίων ὅσοι τὰ παλαιὰ ἔργα τῆς πόλεως Ἑλληνικῇ διαλέκτῳ συνέγραψαν, ὧν εἰσι πρεσβύτατοι Κόϊντος Φάβιος, Λεύκιος Κίγκιος, ἀμφότεροι κατὰ τοὺς Φοινικικοὺς ἀκμάσαντες πολέμους, τούτων δὲ τῶν ἀνδρῶν ἑκάτερος, οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραψε, τὰ δὲ ἀρχαῖα τὰ μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα κεφαλαιωδῶς ἐπέδραμε* [3].

---

1) App. *Han.* 27. 2) Liv. XXII. 7. 3) Dion. Hal. I. 6.

Supra iam hoc de Fabio nostro attulimus iudicium et testimonium, unde certo constat principem historiae conditorem fuisse et bella Punica, quibus aequalis fuit, accurate enarrasse Graeco usum sermone, antiquiora contra carptim.

N°. XLII. Fabius Pictor in Annalibus suis scripsit, matronam quod loculos, in quibus erant claves vinariae cellae, resignavisset, a suis inedia mori coactam [1].

Videtur hoc pro antiquae temperantiae documento esse accipiendum, in quo argumento Plinius versatur hoc capite: sic Egnatius, quod vinum bibisset uxor e dolio, eam fuste interfecit, sed Romulus eum absolvit, si credere fas est; sic veteres osculabantur uxores suas, ut scirent, an temetum olerent; sic Cn. Domitius iudex pronuntiavit mulierem videri plus vini bibisse quam valetudinis causa viro insciente, eamque dote multavit. Ex quibus exemplis facile coniicitur, cur matrona, cuius Fabius mentionem fecit, claves vinariae cellae resignasset. Rothius nimis confidenter ad regum tempora hoc sobrietatis documentum retulit, ut rectissime Harlessius [2] observavit, haud scio an sub regibus maritus cum cognatis de uxoris vita ius exercuerit; nec vero opus est, ut ad longinqua tempora recurramus, nam constat ex hoc Plinii loco ad septimum Urbis saeculum muliebribus non licitum esse, ut vinum gustarent, et teste Gellio [3] exeunte saeculo sexto demum mulieres temulentae haud amplius capite damnabantur.

N°. XLIII. *Φάβιος Πίκτωρ, συγγραφεὺς Ῥωμαίων, οὗτος λέγει ἄρχοντι Ῥωμαίων μὴ ἐξεῖναι μηδενὶ σφετερίζεσθαι ἐκ τοῦ δημοσίου ὁτιοῦν* [4].

---

1) Plin. *H. N.* XIV. 13, et ex eo Tertullianus *Apolog.* c. 6. 2) Pag. 31. 3) X. 23. 4) Suid. v. *Φάβιος Πίκτωρ.*

Nemini, non apud Romanos tantum sed apud quosvis populos licebat illud, opinor. Videtur tamen hic locus ad unam alteramve quaestionem de peculatu referendus; hinc suspicio nascitur fortasse ad Camilli historiam tale quid dixisse Pictorem, nam primus ille de peculatu accusatus esse fertur.

N°. XLIV. Post annales pontificum maximorum, quibus nihil potest esse ieiunius, si aut ad Fabium, aut ad eum, qui tibi semper in ore est, Catonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad Venonium venias, quamquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile quam isti omnes [1].

Videtur Cicero de Quinto Pictore cogitasse, quod ordo, quo antiquissimos illos enumerat, evincit; Krausius contra nitens potissimum loco Nonii [2], ubi laudantur Fabii libri Rerum Gestarum Latine conscripti, hunc locum et sequentem ad Servium Pictorem retulit.

Multa disputata sunt a viris doctis de hoc loco, dixeritne Tullius nihil esse *ieiunius* an *incomtius* an *iucundius* prae Annalibus Maximis [3]; quidquid est, omnino non sequitur ex hoc Tulliano testimonio, Latine eum scripsisse, ut olim inde conficiebatur.

N°. XLV. Graeci quoque sic initio scriptitarunt, ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso. Erat enim historia nihil aliud nisi annalium confectio. Hanc similitudinem (annalium maximorum) multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt. Itaque qualis apud Graecos Pherecydes, Hellanicus, Acusilas fuit aliique permulti, talis noster Cato et

---

1) Cic. *de leg.* I. 2 § 6. 2) V. *Picumnus* p. 355. 3) Cf. Bakii *Annotatio* ad hunc locum p. 282.

Pictor et Piso, qui neque tenent quibus rebus ornetur oratio, et dum intelligatur quid dicant, unam dicendi laudem putant esse brevitatem [1].

Krausius Servium Pictorem intelligendum esse credebat, quippe cuius aetas convenit loco, quem medium Catonem inter et Pisonem obtinet; hic tamen ordo omnino non videtur esse urgendus, nam sic idem Tullius [2] Fannium modo post Pisonem profert modo ante, nec aliter Antipatrum. Quum vero Cicero hoc loco confert antiquissimos Graecorum historicos cum Romanis, Catone, Pisone et Pictore, Quintum equidem opinor intelligendum Annalium auctorem primum, non Servium iuris antiquitatisque peritum. Denique perperam hic locus olim allatus est, quo demonstraretur Fabium sermone Latino usum esse.

N°. XLVI. Historiam (scripsit) Pictor incondite [3].

Ultimum hoc de Pictore iudicium Rothius primus adiunxit ceteris fragmentis; attamen credo Frontonem in Ciceronis verba iurasse non vero inspexisse Fabii librum.

CAPUT V.

QUINTUS FABIUS (Q.) F. PICTOR (40).

§ 1. *Genealogia.*

Chronologia duce confici potest, quonam patre hicce Quintus gavisus fuerit. Sicut multi posuerunt, historici nempe filius fuisse videtur, quocum unum eundemque a Lachmanno [4] habitum esse miror, nam 33 annis post quaesturam praetura functus esset scilicet, quod temporis spatium inter illius quaesturam huiusque praeturam de nova generatione cogitare iubet. Historici filius fuit natu maximus, nam idem habuit praenomen ex lege [5].

---

1) Cic. *de orat.* II. 12 § 51, 53. 2) *De leg.* I. 2 § 6, *Brut.* 27 § 106.
3) Front. *ad Verum* p. 171 ed. Rom. 1823. 4) II. 14. 5) Dio Cass. fr. 44.

§ 2. *Flamen Quirinalis, praetor* 565 [1].

Anno 564 M. Fulvius Nobilior et Cn. Manlius Volso creati sunt consules in annum sequentem, praetores Q. Fabius Pictor, qui eo anno flamen Quirinalis inauguratus fuerat, Q. Fabius Labeo, ceteri. Provincias sic sortiti sunt: Sp. Postumius Albinus provinciam urbanam et inter peregrinos, M. Sempronius Tuditanus Siciliam, Q. Fabius Pictor flamen Quirinalis Sardiniam, Q. Fabius Labeo classem, L. Plautius Hypsaeus Hispaniam Citeriorem, Ulteriorem vero L. Baebius Dives. Senatus consultum factum est, quo Pictori permissum est ab Sardis exigere idem quod Siculis erat impositum, duas nempe decumas frumenti, easque in Asiam et Aetoliam deportare.

Priusquam tamen in provincias suas abirent praetores, magnum movit certamen Pictor noster cum P. Licinio pontifice maximo; certabatur liceretne flamini abire in provinciam, quem cura sacrorum in Italia retineret; eandem ob causam anno 512 L. Metellus pontifex maximus [2] certaverat cum Postumio Albino proconsule in Siciliam ad classem profecturo. Magnae factae sunt contentiones in senatu et apud populum, ad quem denique provocatum est, pignora capta sunt, multaeque indictae tribunique appellati. Vicit religio, ut in tali re fieri assolet, pontifici dicto audiens fuit flamen noster multaeque remissae sunt. Tunc praetor iratus ob ereptam sibi provinciam se magistratu abdicare voluit, patres tamen eum retinuerunt, et sic senatus consultum factum est, ut peregrinam exerceret iurisdictionem; hanc igitur provinciam non vero Hispaniam Richter ei adscribere debuerat, nam illam ne sortitus erat quidem.

Suspicor ex eo, quod nefas haberetur flamini vel unam noctem extra Urbem degere ne sacra deserantur, natam

---

[1]) Liv. XXXVII. 47, 50, 51. [2]) Liv. Epit. XIX; Tacit. *Ann.* III. 71.

esse famam [1] partem sacerdotum flaminumque paulo ante Urbem captam migrasse Veios, dum altera pars in Capitolium aufugit. Hanc sacrorum curam adeo religiose observarunt Romani, ut quum in annum 537 consul M. Aemilius Regillus [2] a praerogativa erat dictus, qui quum flamen Quirinalis non posset creari, Fabius Cunctator verba fecit in comitiis et iterum suffragia ferri iussit, et sic alius creatus est.

Ex Taciti [3] loco conficias aetate imperatoria aliud fuisse ius flamini Diali, quam Quirinali et Martiali, his enim Italiam relinquere licitum esse, eosque provincias obtinuisse, illos non, ut Servius Maluginensis in Asiam profecturus querebatur, iure an iniuria, ignoramus.

§ 3. *Mors* 587 [4].

Restat, ut nostri mortem attingam. Livius tradit anno 587 mortuum esse Q. Fabium Pictorem flaminem Quirinalem; eundem nostrum, opinor. Satis perverse hoc traxerunt viri docti [5] ad historicum, qui nonagenarius tunc fuisset, unica vera est haec ratio, nam sic post praeturam 22 annos vixit flamen noster, quod cur non accipiendum esset, nescio.

CAPUT VI.

SERVIUS FABIUS (Q.) F. (Q.) N. PICTOR (46).

§ 1. *Genealogia.*

Multa in Pictorum historia inesse incertiora, de hoc praesertim valet, cuius aetas et nomen et scripta non satis innotuerunt. Sic praenomen unico tantum Ciceronis loco legitur, nec incorruptum; Servius fuisse videtur, hoc saltem subest lectioni codicis Palatini »Servis", quod Cuiacius

---

1) Liv. V. 52. 2) Liv. XXIV. 8. 3) *Ann.* III. 58. 4) Liv. XLV. 44.
5) Cf. Cap. IV § 4 huius Libri, p. 155.

male legit »Serius." Locus Ciceronis[1] hic est: »vivo Catone minores natu multi uno tempore oratores floruerunt. Nam et A. Albinus is, qui Graece scripsit historiam, qui consul cum L. Lucullo fuit (603) et litteratus et disertus fuit: et tenuit cum hoc locum quemdam etiam Ser. Fulvius, et una Servis Fabius Pictor, et iuris et litterarum et antiquitatis bene peritus." Niebuhrius[2] praetulit nomen *Sextus*, quum Servius nomen a gente nostra alienum fuerit; at prorsus idem valet de eo, quod praetulit ille. Aliorum denique coniecturae *Servilianus* aut *Quintus* rescribentium iusto audaciores sunt, neque admittendae, nam Servilianus in Maximorum familiam adoptatus non pertinet ad Pictorum familiam.

Aetas ex loco Tulliano conficienda est, aequalis fuit Albini, ergo filius forte Fabii flaminis (40). Plura definiri nequeunt, nam Pighius ex analogia posuit eum quaestorem anni 598, aedilem 605, praetorem 608, de quibus nil quidquam scimus; cavendum est ergo ne illa pro certis accipiamus, ut nonnullos fecisse video.

§ 2. *Laus litteraria.*

De scriptis huius Fabii gravior fit quaestio, nec satis placent quae ab aliis de hoc loco disputata sunt; in fragmentis, quae illi tribuenda videntur, nusquam eius praenomen additum est, unde sequitur admodum incerta esse quae de iis proponantur, nam nonnisi argumentum operis aliquid indicat. Trahuntur nempe ad Servium nostrum fragmenta Librorum *Iuris Pontificii*, sed ut vere dicam futilissimam ob causam, quod Tullio teste fuerit »peritus iuris et litterarum et antiquitatis", ita ut nobis sumendum sit Ciceronem non de iure civili verum de iure pontificio cogitasse. Quod etiamsi recte persentio, nondum meliora proponere audeo, nam longe minus placet eorum

1) *Brut.* 21 § 81. 2) *Vortr.* I. 28 ed. Isler.

opinio, qui Fabiana pontificii iuris fragmenta ad Quintum primum annalium conditorem referant; ita ut hac in re Krausii vestigia premam, non quod probabiliora nulla habeam, nam suspicio quaedam mihi nata est, quam verbo dicam. Argumentum libri Pictoris illius versatur in rebus sacris et praesertim in caerimoniis aliisque, quae flamen Dialis et flaminica observare debent, in re sacra igitur Pictor ille non hospes fuit, quidni cum hac re iungamus memoriam Fabii Pictoris unius alteriusve, qui utpote flamen Quirinalis sacrorum rituum haud ita ignarus fuit, id est: suspicor libris illis iuris pontificii auctorem fuisse Q. Fabium Pictorem (40) flaminem, aut fortasse Numerium (47), de quo statim; quod si est, apud Ciceronem pro »*unaseruis*" legendum esset »*numerius*", cui opinioni ductus litterarum non obstat. Vereor tamen, ne haec coniectura ingeniosior quam verior multis videatur, hinc non ausus sum isti plura superstruere et in unum coniungere quae hoc capite et sequenti disputanda habui.

Quidquid est, eundem nostrum tum iuris pontificii libros scripsisse tum historicum condidisse opus *Rerum gestarum* titulo nondum mihi persuasum est, nam alia fragmenta, quae alii nostro tribuebant, Serviliano vindicabo, et quae restant non continent talia verba, ob quae Nonio fidem non abiudicemus, ut statim ostendere conabor.

§ 3. *Fragmenta ex libris de Iure Pontificio Servii Fabii Pictoris.*

N°. I. In libro I° Fabii Pictoris, quae verba pontificem maximum dicere oporteat, quum virginem capit, scriptum est. Ea verba haec sunt: »Sacerdotem Vestalem, quae sacra faciat, quae ious siet sacerdotem Vestalem facere, pro populo Romano Quiritium utei quae optuma lege vovit, ita te Amata capio [1].

[1]) Gell. I. 12 § 14.

Alia quoque ex Fabio manasse videntur in hoc Gellianum caput, quia ceteri, quos de hoc argumento Gellius attulit auctores, post Fabium vixerunt. Quae ad hunc locum illustrandum faciunt, recte in hoc ipso capite legi possunt, quae nolui describere.

N°. II. 1. Caerimoniae impositae flamini Diali multae, item castus multiplices, quos in libris, qui de sacerdotibus publicis compositi sunt, item in Fabii Pictoris librorum I°. scriptos legimus; 2. unde haec ferme sunt, quae commeminimus; 3. Equo Dialem flaminem vehi religio est: 4. classem procinctam extra pomoerium (id est exercitum armatum) videre: idcirco rarenter flamen Dialis creatus consul est, quum bella consulibus mandabantur. 5. Item iurare Dialem, fas numquam est. 6. Item annulo uti, nisi pervio cassoque, fas non est. 7. Ignem e flaminia, (id est, flaminis Dialis domo), nisi sacrum, efferri, ius non est. 8. Vinctum, si aedes eius introierit, solvi necessum est: et vincula per impluvium in tegulas subduci, atque inde foras in viam demitti. 9. Nodum in apice, neque in cinctu, neque in alia parte ullum habet. 10. Si quis ad verberandum ducatur, si ad pedes eius supplex procubuerit, eo die verberari piaculum est. 11. Capillum Dialis, nisi qui liber homo est, non detonset. 12. Capram et carnem incoctam et ederam et fabam neque tangere Diali mos est, neque nominare. 13. Propagines a vitibus altius praetentos non succidet. 14. Pedes lecti, in quo cubat, luto tenui circumlitos esse oportet, et de eo lecto trinoctium continuum non decubat; neque in eo lecto cubare alium fas est: neque apud eius lecti fulcrum capsulam esse cum strue atque ferto oportet. 15. Unguium Dialis et capilli segmina subter arborem felicem terra operiuntur.

16. Dialis cotidie festatus est. 17. Sine apice sub divo esse licitum non est: sub tecto, uti libet. 19. Farinam fermento imbutam attingere ei fas non est. 20. Tunicam intimam, nisi in locis tectis, non exuit, ne sub coelo, tamquam sub oculis Iovis, nudus sit. 21. Super flaminem Dialem in convivio, nisi rex sacrificulus, haud quisquam alius accumbit. 22. Uxorem si amisit, flaminio decedit. 23. Matrimonium flaminis, nisi morte, dirimi non est ius. 24. Locum, in quo bustum est, numquam ingreditur: 25. mortuum numquam attingit: funus tamen exsequi non est religio. 26. Eaedem ferme caerimoniae sunt, quas flaminicas Diales seorsim aiunt observitare: 27. veluti est: quod bene nato operitur: 28. et quod in rica surculum de arbore felici habet; 29. et quod scalas, nisi quae Graecae [κλίμακες] appellantur, escendere ei plus tribus gradibus religiosum est: 30. atque etiam cum it ad Argeos, quod neque comit caput, neque capillum depectit [1].

Iure dubitari potest, utrum ultima inde a § 26 ex Pictore habuerit, nam alia forma istis est, nec tamen ausim ea Fabio abiudicare, nam cur non caerimonias flaminicarum descripsisset ille, aeque ac flaminem quae spectant enumeravit; denique editores nimis audacter haec omnia tamquam ex Fabio descripta ediderunt. Nec tamen cum Krausio § 19—30 Massurio tribuerim, nam nexus docet tantum § 18 huic deberi, ubi in mediis istis praeceptis Massurii affert testimonium ad probandum usum apicis sub tecto non pridem a pontificibus esse constitutum, et alia quaedam remissa, gratiamque aliquot caerimoniarum factam dicit.

Vidimus flamini religiosum esse iusiurandum, quo si tamen opus esset, alio modo veteribus quam nostratibus

---

[1]) Gell. X. 15.

perinde erat acsi iurasset, alius nempe pro flamine ius praestabat [1].

Nolo hoc fragmentum missum facere, priusquam communicaverim observationem de locis quibusdam Servii Mauri, qui Virgilii carmina egregiis illustrans annotationibus totus esse fertur in observatione sub Aenea et Didone apud Virgilium personam flaminis et flaminicae latere. Non tamen ita est, nam semel tantum hoc observavit, verum Pseudo Servii bene multi ad nauseam usque illud iteratum decantarunt [2]. Scholia illa, in quibus repetita legitur observatio ista, certa codicum familia dignoscuntur non tantum, verum continent praeterea locos ex iure pontificio eosdem, qui hoc Gelliano capite leguntur; hinc satis probabilis suspicio nata est, commentatorem, qui Pseudo Serviana nobis reliquit, sua hausisse ex Gellio. Quod ne arrogantius dixisse videar, proferam argumenta: sic ubi ex § 7 de flaminia dicit aliquid, explicat eam eodem modo quo Gellius, sic domum flaminis appellari, sed praestat locos adscribere in eum modum quo sibi respondeant.

ad Aen.		I.	183.	de ferina farmento imbuta	=	Gell. § 19.
»	»	I.	309.	de usu apicis	=	» § 17.
»	»	II.	57.	de vincto per impluvium demittendo	=	» § 8.
»	»	III.	607.	de supplice ad flaminem non verberando	=	» § 10.
»	»	IV.	29.	matrimonium flaminis morte dirimi	=	» § 23.
»	»	IV.	646.	flaminica ne gradus escendat	=	» § 29.
»	»	XI.	76.	flamen ne mortuos attingat	=	» § 25.

Ex quibus locis collatis probari potest veram esse emendationem in § 29, ubi legebatur: »Scalas, nisi quae Graece κλίμακες appellantur, escendere ei plus tribus gradibus religiosum est", dum commentator et rem et causam de-

1) Liv. XXXI. 50. 2) *Ad Aen.* I. 183, 309, IV. 103, 262, 646, cet.

scripsit his verbis: »scalas plus tribus gradibus nisi Graecas scandere non licebat, ne ulla pars pedum eius crurumve subter conspiceretur, eoque nec pluribus gradibus, sed tribus, ut adscensu duplicis nisus non paterentur extolli vestem aut nudari crura; nam ideo et Graecae scalae dicuntur, quia ita fabricantur ut omni ex parte compagine tabularum clausae sunt, ne adspectum ad corporis aliquam partem admittant"; qui ut alteri respondeat, recte ab editoribus insertum est *nisi*, nam dedit Fabius, »scalas, nisi quae Graece appellantur", ut in codice legitur aut ut nos scribimus »scalas, nisi quae Graec*ae* appellantur", expuncto interpretamento, quod in libro Fabiano ridiculum admodum fuisset, non enim praecepta sic dari solent, nefas adscendere gradus, quos hic vel ille populus sic appellat sua lingua. — Ultimus tantum locus, fateor, contra meam afferri potest opinionem, nam diversus ritus fertur, sed quod commentator tradit »nonnisi unum mortuum tangere licere" adeo a verisimilitudine abhorret, ut eum errasse potius statuam.

N°. III. Veranius ex I° libro Pictoris ita dissertationem verbi *porricere* exsecutus est: »exta porriciunto, dis danto in altaria aramve focumve, eove quo exta dari debebunt." Porricere non proiicere proprium sacrificii verbum est [1].

Minus recte Krausius descripsit quae ad hunc locum intelligendum faciunt, quod tamen non urgendum, dummodo mecum faciat hoc esse fragmentum ex libro primo *pontificii* iuris, quod vocabulum priscum in re sacra servatum suadet et sequens fragmentum evincit.

N°. IV. I° pontificii iuris libri apud Pictorem verbum hoc positum est: *vitulari* [2].

---

1) Macrob. *Sat.* III. 2. 2) Macrob. *Sat.* III. 2.

Hoc praesertim Macrobii testimonio constat Pictoris opus hoc ornatum esse titulo, unde ad praecedentis auctorem conclusio fiat. Quod ad priscum illud verbum attinet, affertur inter alia verba, quae ad proprietatem sacrorum pertinent, in quibus perdurasse longius antiqua vocabula ex ipsa rei natura sequitur.

Varro [1] explicuit »vitulari" per παιανίζειν, unde Macrobii etymologiam sensui tantum satisfacere dixerim, cui »voce laetari" videtur.

N°. V. Idem (Fabius Pictor) libro iuris pontificii III° *pilumno* et *picumno* [2].

Quis sit »idem" ille, apparet ex eo, quod modo Nonius ex Fabio Pictore attulerat, fragm. N°. X; voc. *idem* corruptum videtur Schweglero [3], aliquid suspectum esse nec de scriptura constare equidem contendo, vide varietatem lectionis ad hunc locum. Nimis hoc Nonii testimonium urgere mihi videtur Nipperdey [4], qui propterea omnia fragmenta horum librorum ad annalium auctorem refert.

Tradit hoc loco picumnum esse et avem Marti dicatam, quam picum et picam vocant, et deum, qui sacris Romanis adhibetur. Praetuli lectionem »picumno" pro altera quam spreverunt editores »picum", explicat enim Nonius vocabulum »picumnus" non vero »picus", atqui non huius sed illius exemplum proferendum erat. Pilumnus et picumnus coniunctim leguntur apud Varronem in loco allato a Nonio ibidem; sunt illi dei praesides auspiciis coniugalibus, quibus lectus sternebatur in templis.

N°. VI. Fabius Maximus Servilianus pontifex in libro XII° negat oportere atro die parentare, quia tunc quoque Ianum Iovemque praefari necesse est, quos nominari atro die non oportet [5].

---

1) *Rer. divin.* XV. 2) Non. v. *Pilumnus* et *Picumnus* p. 361.
3) *R. G.* I. 77 n. 18. 4) In *Philol.* VI. 131. 5) Macrob. *Sat.* I. 16.

Contra disertum Macrobii testimonium hunc locum Fabio Pictori tribuere audeo, quod nondum fecit Krausius. Constat enim Pictorem scripsisse libros iuris pontificii [1], in quibus attigit quae sacra sacrorumque antistites spectant, constat deinde eum XVI libros [2] de hoc argumento scripsisse, haud absurda est igitur mea ratio, tribuentis locum ex libro XII° Fabii eidem illi Pictori; Servilianus enim Annales tantum scripsisse memoriae proditum est, hinc unicum Macrobii testimonium spernere audeo, eique errorem tribuo; posset quidem illud »pontifex" a librariis ex »pontificio" esse mutatum, sed restat tamen eius cognomen. Nec opus esse videtur, ut statuamus eum, qui de iure pontificio scripserit, hoc sacerdotio functum esse, quod propter hoc suspectum Macrobii testimonium Harlessius [3] fecit, qui vel eo procedit, ut inde deduxerit Q. Pictorem, qui eidem auctor librorum iuris pontificii videtur, hoc gessisse sacerdotium, quam erroneam opinionem refellere vix attinet, si quidem Servium eorum auctorem fuisse vindicaverim.

Quid sit illud »parentare" verbo dicam; est sacrificium in demortuorum memoriam, funebris laudatio atque epulae, quae iusta quotannis ad sepulcrum faciebant cognati; hic mos a Numa fertur institutus, nisi Aeneas [4] iam auctor eius fuerit.

N°. VII. Polybrum, quod Graeci χέρνιβα, nos *trullum* vocamus. Fabius Pictor libro XVI°: »aquam manibus pedibusque dato, polybrum sinistra manu teneto, dextra vasum cum aqua [5]."

Suspicor hoc loco legendum esse *trulleum*, ut mox [6] Nonius bis scripsit; est vas quo manus perluuntur. Apparet ex ipso argumento librum illum XVI ad opus pontificii iuris, ut dicunt, pertinere.

---

1) Cf. fragm. IV, V. 2) Cf. fragm. VII. 3) Pag. 12. 4) Ovid. *Fast.* II. 543. 5) Non. v. *Polybrum* p. 373. 6) Pag. 375.

N°. VIII. Sal genere neutro Varro; commentario veteri Fabii Pictoris legi: »mustes fit et sale, quo sale sordidum sustum et ollam rudem facidem adiectum est et postea id virgines Vestales sal serra ferrea secant [1]."

Videtur intelligendum esse idem Pictoris opus, ex quo iam plura attulimus prisca verba ex re sacra desumta, ergo de fragmenti auctore nulla est quaestio.

N°. IX. Fabius Pictor hos deos enumerat, quos invocat flamen, sacrum Cereale faciens Telluri et Cereri, Vervactorem, Reparatorem, Imporcitorem, Insitorem, Obaratorem, Occatorem, Sarritorem, Subruncinatorem, Messorem, Convectorem, Conditorem, Promitorem [2].

Vix dubito, quin hunc quoque locum ex Fabii Pictoris libro pontificio, ubi flaminum caerimonias tradidit, hauserit commentator.

Versatur hoc fragmentum totum in re rustica, ad quam pertinent dei illi, nisi potius epitheta accipienda sint Cereris tantum, quae traxit a diversis operibus rusticis, *vervactus* enim ager dicitur primo aratus in vere, *reparator* sive *redarator* ab altera aratione, *imporcitor* a tertia, quum porcas faciunt, porca enim est terra inter duos sulcos eminens [3], *sarritor* est qui purgat herba noxia, *subruncinator* dictus a herbis evellendis, *promitor* a promendis herbis, cetera eodem modo intelliguntur.

N°. X. Picumnus et avis est Marti dicata, quam picum vel picam vocant, et deus qui sacris Romanis adhibetur. Fabius Pictor Rerum Gestarum libro I°: »et simul videbant picum Martium [4]".

---

[1]) Non. v. *Sal* p. 355. [2]) Serv. *ad Georg.* I. 21. [3]) [Fest.] Paul. v. *Imporcitor* p. 108. [4]) Non. v. *Picumnus* p. 355.

Haec quinque vocabula ad opus historicum debent referri teste Nonio, nec obstat argumentum; attamen mihi non possum persuadere quod Nipperdey de hoc loco statuit, unicum tantum Q. Fabium annalium primum auctorem ea scripsisse. Arripuit Harlessius hoc testimonium, ut titulum illius operis haberet, et recte demonstravit idem ille Bernhardium [1] errasse, quod ex gentile quodam Fabii annali locum desumtum crederet. Equidem contendo fieri posse, ut pontificii libri auctor haec verba scripserit, ubi causam explicaret, cur haec avis Romanis sacra esset. Quidquid est, incerta sunt omnino quae Harlessius ex his verbis deduxit, Q. Pictorem nempe alia in Graeco opere alia in Latino scripsisse, si quidem de pico Martis in geminorum historia apud Dionysium nullus sermo fit; at omisit illud Dionysius aliam famam praeferens.

N°. XI. Lupus masculinum, quamquam Varro in eo libro, in quo initia urbis Romae enarrat, lupum foeminam dicit, Ennium Pictoremque Fabium secutus [2].

Primo obtuitu videtur Q. Fabius in annalibus dicere potuisse lupum foeminam id est Faustuli uxorem fuisse, non de bestia ergo cogitandum esse, nam duplex illa famae explicatio ferebatur, in qua Fabius et Piso non consentiebant. Non tamen ita est, Quinctilianus sibi vult pro *lupa* dixisse veteres *lupum foeminam*, atqui Pictor ille Latine hoc scripsit; quam ob causam locum huncce eidem nostro vindico et abiudico eum Quinti annalibus Latinis contra Harlessium [3]. Quaeritur autem, an necesse sit duo haec verba libro historico tribuere; equidem non credo, nam cur quaeso non desumta esse possunt ex libro iuris pontificii? Sacrificabant prisci Romani lupos averruncandi causa; quum iam constat in re sacra antiquissima vocabula perdurasse, cur non ponamus hoc esse dictum de

---

1) Pag. 524. 2) Quinctil. *Inst. Orat.* I. 6 § 12. 3) Pag. 14.

sacrificio uno alterove? Ad quam suspicionem tuendam iuvat afferre Livii [1] verba »*bovem foeminam* locutam", quae ut et cetera prodigia descripsit ex pontificiis libris nescio quibus sed procul dubio antiquo sermone conscriptis. Sunt haec diserta testimonia linguae Latinae priscae et pauperis, qua pauperes pastores utebantur, quibus *lupus* et *agnus* communis generis erat [2], qui Numae legi obedientes *agnum marem* dicebant. Eadem ratio valet in nostro loco, in scriptura Romanorum sacra tantum supersunt perantiqua ista vocabula, ergo non cogitandum est de Faustuli uxore verum de libro iuris pontificii.

N°. XII. Puilia saxa esse ad portum, qui sit secundum Tiberim ait Fabius Pictor, qui locum putat Labeo dici, ubi fuerit Ficana via Ostiensi ad lapidem undecimum [3].

Krausius hunc locum ad historicum opus retulit, at nil in eo historici argumenti legitur, imo admodum probabile Harlessius [4] ostendit ea verba ex Antistii Labeonis commentariis iuris pontificii esse desumta, unde iam equidem deduco manasse hoc fragmentum ex Pictoris libro eiusdem argumenti; quomodo propter illud ipsum Harlessius locum historico operi vindicaverit, non intelligo.

N°. XIII. Vivo Catone minores natu multi uno tempore oratores floruerunt, et una Ser. Fabius Pictor et iuris et litterarum et antiquitatum bene peritus [5].

Neque hoc Ciceronis testimonium me movet, ut Krausium secutus de historici operis auctore cogitem; supra [6] satis dictum est de hoc loco.

---

1) XLIII. 13. 2) [Fest.] Paul. v. *Agnus* p. 6, v. *Corius* p. 6. 3) [Fest.] Paul. v. *Puilia* p. 250. 4) Pag. 33. 5) Cic. *Brut.* 21 § 81. 6) Cf. § 2 huius Capitis, p. 202.

CAPUT VII.

NUMERIUS FABIUS PICTOR (47).

§ 1. *Nummus.*

Dicendum est de Numerio Pictore, qui nonnisi per denarium [1] innotuit.

Caput Romae galeatum cum denarii nota; ante caput in quibusdam litterae alphabeticae *B, C, E, I, N* cernuntur, in aliis nulla.

Figura hominis barbati sedentis capite galeato, veste induta longiore, non vero feminae nec velato capite, ut olim exempla minus integra depingebantur; dextra tenet apicem pontificalem, laeva hastam; cubitus sinister nititur clypeo, cui inscriptum est *QUIRIN;* ante figuram *PICTOR*, infra *ROMA*, a tergo *N. FABI*us, sequente littera *N* in quibusdam exemplis, in aliis *S* aut *X*, in aliis nihil.

Infelix ista littera *N* in averso nummo numismaticos exercuit, ut enim Numerii filium indicaret, ut credebant illi, desideratur littera *F*, quam in altera nummi parte ante caput Romae Pighius cernebat, qui eam studio transpositam opinabatur, etiamsi causa non liqueret. At absurdum est illud, occurrunt nummi [2], in quibus mirum in modum dispersae leguntur litterae, ut notum est, sed ita se habent, ut semper in una eademque nummi parte cernantur, non vero in aversam partem delatae; sed quid quaeramus argumenta, ubi res simplicissima aliter se habet, non enim littera *F*, cui suppleas »filius," sed *E*, imo in aliis *I* vel *N* cernitur; denique litterae sunt alphabeticae, ut recte confecit Riccio, qui affert Cavedonii opi-

---

1) Vaill. N°. 23; Mor. *Fabia* C et V; Eckhel, *Doctr. Num.* II. vol. 5. p. 209; Riccio, *Monete delle antiche famiglie di Roma*, tab. XIX. 7, p. 88.
2) Mor. *Postum.* VIII.

nionem admodum probabilem, in una parte nummi priores alphabeti litteras cusas esse, quibus singulis ultimae respondeant in aversa parte, ita ut in eodem nummo B-X, E-S, legantur; ergo nullum dubium superest, quin litterae istae monetariis sint relinquendae.

Actum est ergo de hoc teste Numerii Fabii Numerii filii; videamus de iis, quae ad Numerium istum retulerunt viri docti: Pighius qui ei auctor exstiterat, bene prospexit suo, quem anni 510 quaestura functum esse ponit, eumque anno 563 improlem e vivis decessisse, non plures enim post hunc occurrere Pictores. Quaesturam istam Pighio reddamus, de analogia suppletam; nec melius se habet mors eius quae falso nititur argumento, quod nempe anno 563 Q. Fabius Pictor flamen quidam esset inauguratus [1]; at non sequitur inde alium Fabium esse mortuum, nam nonnisi viri docti credebant hoc sacerdotium Fabiis fuisse gentile, unus ille Quintus procul dubio flamen fuit, de ceteris res est incertissima, atqui Numerii istius mors in annum 563 eodem iure tracta est, quo quaestura, totus denique iste Numerius Numerii filius abiiciatur.

Morellius autem, quem plures sequuntur, ad Numerium eundem traxit locum Tullianum [2], ita ut Graecos annales scripsisset ille; at supra [3] ostendi Numerium illum ante primum historicum vivere non potuisse. Quam difficultatem ut tollant viri docti, ponunt alium quemdam Numerium Pictorem exstitisse, cui Graecos annales tribuant. Hanc opinionem equidem non sequar, nam Graecum illud opus historicum Quinto suo redditum est.

Verissime Eckhel pronunciavit non satis expeditum esse ad quem Fabium Pictorem denarii illi pertineant; Numerium quemdam Romae eos signasse ipse nummus docet, sed Numeriis, qui aliunde innotuerunt, non vindicari potest;

---

[1]) Liv. XXXVI. 47. [2]) *De divin.* I. 21 § 45. [3]) Cf. Cap. III § 3, huius Libri, p. 150.

alter enim sublatus est e vivis, alter (27) vixit ante bellum Punicum secundum, quod tempus ex mea saltem opinione typus non annuit, videtur enim iis simillimus esse, qui recentiori tempore cusi sunt. Quas ob causas hos denarios Numerio cuidam tribuerim aliunde etiamsi ignoto, qui recentiore tempore vixit, id est, ut in stemmate posui, Quinti flaminis filius.

§ 2. *Fabii Flamines.*

Hanc mihi sumo genealogiam propter etiamsi levissimum argumentum, de quo nunc dicam. Videtur denarius annuere Numerium illum fuisse flaminem Quirinalem; scio quidem male suppletas esse olim litteras in clypeo, ut Quirinalis intelligeretur, ubi Quirinus erat legendus, sed vel sic tamen et propter apicem, quam deus dextro tenet, hoc sacerdotium Numerio illi non abiudicaverim.

Numismatici gravius argumentum ad hanc opinionem stabiliendam afferebant, quam mihi videtur, nam contendunt illi hereditarium fuisse sacerdotium illud ab origine inde in gente nostra, quod non ita esse lubet indicare. Enumerant C. Fabium Dorsonem (12), qui flamen sacra fecisset in Quirinali, dum Galli Capitolium obsessum tenebant; at privata sacra fecit ille, sin vero publica fuerint, ut alii tradunt, pontifex apud eos audit, omnino non flamen; tum Q. Pictor (36) historicus affertur, ad quem perperam [1] traxerant viri dicti mentionem Fabii flaminis demortui anno 587; deinde Q. Fabius Pictor (40), quem unicum constat [2] flaminem fuisse ab anno 564 ad 587; porro Q. Fabius Labeo (41) sine ullo testimonio flamen laudabatur; propter quos omnes, id est propter unicum tantum procul dubio ponebant Numerium nostrum quoque hoc sacerdotio functum esse. Fugerat eos ex aliis quoque gentibus flamines Quirinales laudari, ut de M. Aemilio

---

[1]) Cf. Cap. IV § 4 huius Libri, p. 155. [2]) Cf. Cap. V § 2 huius Libri, p. 299.

Regillo [1] et Sexto Caesare [2] constat. Sperno itidem Quirini cultus causam, quam Dederich [3] in eo cernebat, quod Romulus vivus singulari caritate et familiaritate amplexus esset Fabium, atque huius gens Quirinum praesertim coluisset; caritatis istius documentum nullum exstare contendo nisi in fabulis, de cultu nil conficio. Neque urgendum videtur quod Vaillant opinatur, hoc sacerdotium ab origine inde in gente *Fabia* fuisse, quoniam non liceret flamini *fabis* vesci teste Varrone apud Plinium [4]; imo flamini Diali fabam ne nominare quidem mos erat [5]; at si hoc non licebat flamini, piaculum fuisset nomen Fabiorum in ore Romano, quippe quod illo ipso tempore, quum sacerdotium institutum esset, dictum est a fabae cultura.

Numerium nostrum ut Quintum illum (40) flaminibus Quirinalibus equidem adnumero nec vero eos fratres fuisse credo, ut aliis videtur, nam nil nos movet, ut fratres eodem functos ponamus sacerdotio; contra Numerium Quinto filium tribuo propter illud ipsum. Fateor haec omnia incertiora esse, sed facile meliora edoctus sententiam mutabo.

---

1) Liv. XXIV. 8. 2) Auct. *de harusp. resp.* 6 § 12. 3) Pag. 152.
4) *H. N.* XII. 12. 5) Cf. Serv. Pict. fragm. II § 12, p. 204.

LIBER VI.

FABII BUTEONES.

CAPUT I.

MARCUS FABIUS M. F. (M.) N. BUTEO (25).

§ 1. *Cognomen.*

Huic Fabiorum familiae cognomen suum dedit avis buteo [1], quae cum prospero auspicio in ducis navi sedisset, eodem modo, quo M. Valerius, cui corvus apparuit, inde cognominatus est [2]. Dux ille Fabius fuerit necesse est, quod nomen in Plinianum locum inserendum esse credunt nonnulli.

Observabatur [3] prae ceteris buteo in auspiciis; solebant enim in illis rapaces adhiberi aves, inter quas buteo suum obtinet locum, qui credebatur se ex eo alere, quod accipitri eripuisset; erat autem vastitatis causa iis locis, in quae intraverat. Principatum ei in auguriis datum esse a Phemonoë Apollinis filia, tradit Plinius [4], secundum quem a numero testium τριορχίς appellatur a Graecis.

§ 2. *Genealogia.*

Iam sequitur ut demonstrem cuinam e Fabiis prosperum illud acciderit auspicium; in qua stemmatis parte triste erratum esse video, donec Fastorum fragmenta postea re-

---

1) Plin. *H. N.* XI. 49. 2) Liv. VII. 26. 3) [Fest.] Paul. v. *Alites* p. 3, *Buteo* p. 32. 4) *H. N.* X. 8.

perta lucis aliquid attulerint. Duo qui primi in historia occurrunt Buteones, Numerius (30) et Marcus (31) consules 507 et 509 fratres fuerunt, quorum itaque pater Marcus aut avus huic familiae exstitit auctor. Quum autem duo illi aequales fuerint Gurgitis filio (29), eorum pater (25) ipsi Gurgiti (23) aequalis fuerit necesse est, atqui eorum avus, cui Marcus nomen fuit secundum Fastos, Rulliano (17) aequalis fuit, imo eius frater Marcus ille (18), qui magister equitum fuit anno 432. Hic Ambusti gaudet cognomine, ergo filius eius Marcus auctor Buteonum fuit, cui navis duci, praetori fortasse, auspicium illud accidit intra annos 460 et 480, opinor, sive coloniam maritimam deduxerit, sive initio belli Punici primi classi praeesset.

Haakhius aliter hunc locum administravit, credit nempe Numerium (30) et Marcum (31) Buteones, aequales qui fuerunt M. Fabii Licini (32) descendisse ex fratre C. Licini (28). Arridet quidem haec opinio, sed me non a sententia deducit, nam aliae inde oriuntur difficultates, quas non sustulit ille. Contra in meo stemmate ex ordine 30 annorum numerus, qui inter duas generationes inesse solet, melius observatur.

CAPUT II.

NUMERIUS FABIUS M. F. M. N. BUTEO (30).

§ 1. *Consul* 507.

N. FABIUS M. F. M. N. BUTEO [1].
L. CAECILIUS L. F. C. N. METELLUS II.

Videamus de consulatu Numerii [2], quem cur Richter fratri Marco minorem posuerit, non video, nam ille tertio anno post ad hunc pervenit honorem. Kraftius vero duos fratres in unum miscuit, quod antiquioribus condonari potest, verum propter Fastos nunc vitari oportet.

---

1) Fast. Cap. h. a.; Zonar. VIII. 16; An. Nor.; Fast. Sic. 2) Polyb. I. 59 § 1; Zonar. VIII. 16.

Rapit nos hic annus, qui est Hannibalis [1] annus natalis, in medium bellum Punicum primum, quod Romanis fuit calamitosum nonnihil. Expulerunt quidem Poenos ex Sicilia, verum per plures continuos annos saepius ab hoste aut a tempestatibus victi erant, ita ut nullam maritimam susceperint expeditionem; iam satis erat iis contra Poenorum classem rem gerere, quae Italiae ora infestabat, de aliis vix cogitabant, privatim potius quam publice bellum maritimum gerebatur per praedones fere dixerim, qui multis modis hostem lacessebant, et Hipponem urbem Africae maritimam cum navibus aedibusque incendio delerunt; attamen incolae eos per catenas in portu incluserunt, frustra nam arte et fortuna naves Romanae eas superarunt, et paulo post ad Panormum Poenos vicerunt.

Instabat novus hostium dux, qui bellum in Italiam transferre iamiam cupiebat, Hamilcar [2] Hannibalis filius, qui hoc anno classem suscepit et rebus Punicis praeesse coepit. Non enim cum ceteris Zonarae [3] testimonium coniungi potest, scribentis iam anno 492 belli ducem eum fuisse. Siciliae non statim opem tulit, verum dum ibi classis degebat, circa Locros et Bruttios mansit, quorum agro devastato cum tota classe Panormum appulit cepitque castellum Erctem, τὸ ἐπὶ τῆς Εἱρκτῆς, quod medium inter Erycem et Panormum littori adiacet. Locum illum munitum natura per ingentem portum munivit castris, ubi quum refecisset classem, summa audacia Italiae oras aggressus est, quas usque ad Cumas devastavit. Deinde circa Panormum cum Romanis per tres annos strenue vario Marte pugnavit, περὶ ὧν οὐχ οἷόν τε διὰ τῆς γραφῆς τὸν κατὰ μέρος ἀποδοῦναι λόγον.

Fabius, dum collega ad Lilybaeum erat, Drepanum aggressus est, Poenosque ex parva insula Peliade expulit, quam nocte ceperat; tenuit eam non sine dolo, nam Ha-

---

[1]) Polyb. XV. 19 § 3. [2]) Polyb. I. 56, 57. [3]) VIII. 16.

milcar veritus, ne Drepanum Fabius adoriretur, Romanos non aggressus est, Fabius Peliada cum continenti iunxit, quo facilius Drepanum obsiderent, cuius urbis obsidio ad finem belli perduravit, ut supra [1] iam dictum est.

Lustrum hoc anno [2] conditum est XXXVIII, censa sunt 251,222 capita; qui numerus a praecedente lustro valde differt, iam quadraginta millia civium abstulerat atrox bellum per 5 annos.

Deductae [3] sunt coloniae duae, Alsium maritima quae ab Ostiis 16 millia passuum distat, et Aesula in Latio media inter Tibur et Praeneste.

CAPUT III.

MARCUS FABIUS M. F. M. N. BUTEO (31).

§ 1. *Consul* 509.

M. FABIUS M. F. M. N. BUTEO [4].
C. ATILIUS A. F. A. N. BULBUS.

Non multa memoranda his consulibus acciderunt, unde Zonaras [5] διάφοροι ὑπάτευσαν οὐδὲν ἱστορίας ἄξιον πράξαντες; quod etiamsi Zonarae potius tribuerim, quem taedebat, opinor, minora ista proelia in epitomen recipere, a vero non multum abesse credo, nam ab anno 507 ad 512 vix quidquam memorabile gestum est; neque multum tunc poterant Romani, quippe qui exhausti per continuas clades et naufragia tempus terebant obsidendo urbes Siciliae, dum Carthaginienses oras Italiae depopularentur, quae omnia verbo attigisse Polybio satis esse videbatur.

Praeter coloniam [6] Fregellas deductam hoc anno nil gestum esse scimus, nam quae Florus [7] in hunc annum retulit, in aliud tempus reiicienda sunt. Locus hic est:

---

1) Cf. Q. Pict. fragm. XXXIV, p. 193. 2) Liv. Epit. XIX. 3) Vell. Pat. I. 14 § 8. 4) Fast. Cap. h. a.; Flor. II. 2 § 30; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 5) VIII. 16. 6) Liv. Epit. XIX; Vell. Pat. I. 14 § 8. 7) II. 2 § 30.

»M. Fabio Buteone consule classem hostium in Africo mari apud Aegimurum iam in Italiam ultro navigantem cecidit. Quantus o tunc triumphus tempestate intercidit, quum opulenta praeda classis adversis acta ventis naufragio suo Africam et Syrtes et omnium interiacentium insularum littora implevit. Magna clades, sed non sine aliqua principis populi dignitate; interceptam tempestate victoriam et triumphum periisse naufragio. Et tamen quum Punicae praedae omnibus promontoriis insulisque frustrarentur et fluitarent, populus Romanus et sic triumphavit." Huic narrationi praecedit Appii Claudi clades anni 505, sequuntur Lutatii Catuli res gestae anni 512, inter quos annos victoria ista et naufragium collocanda, de quibus nimis elate Florus scribit. Erravit tamen quod consulatui nostri Buteonis illud accidisse tradit, nam constat ex Polybio post annum 505 publice nullum bellum navale gestum esse.

At, inquit Pighius, tunc cogitandum erit de privata classe, de qua Zonaras monet. Non credo, nam bellum piraticum non tantum fuit, quod si fuisset, de tanta victoria aliquid nobis Polybius aut Zonaras tradidisset; neque privata classis Poenae esset aequiparanda. At fama illa sic explicanda, ut M. forte legeretur, ubi Fasti N. dant, sicut olim Marco adscriptus est consulatus 507. Novissima Iahni editio non huic favet opinioni; posset quidem cum Iornando legi nominativus »M. Fabius Buteo", et cum codice N. et Iornando omitti illud »consule," sed vel sic tamen manet difficultas in eo, quod subiungit »classem iam ultro in Italiam navigantem." Esset non inauditus anno 509 Poenorum in Italiam traiectus, nam modo vidimus Poenos iam anno 507 oras Italiae depopulantes, atque ante illud tempus acciderit necesse est, imo ante 506, quum publica classis postrema; quae quum ita sint, Buteoni Florus per errorem tribuit, quae eodem tristi anno 505 acciderant, de quo modo dixerat, brevi, opinor post cladem Appii Claudii contra auspicia pugnantis,

quum L. Iunius ad Camarinam Poenos quidem vicisse narratur a Polybio [1], Diodoro [2] et Orosio [3], verum naufragio totam amisisse classem; et sic mutato nomine et loco utraque fama conspirat, dummodo apud Orosium pro *Caio* ex fastis restitueris *L.*

§ 2. *Censor* 513 [4].

M. FABIUS M. F. M. N. BUTEO L. F. XXXIX.
C. AURELIUS L. F. C. N. COTTA.

Videamus de hoc lustro Fastos secuti et Eusebium scribentem hoc esse conditum Ol. CXXXIV. a. 3, dum Hieronymus annum scripsit primum, quem errorem librariis tribuo. Censa [5] sunt 250,000, atqui mille plus quam proximo lustro, accesserunt duae tribus ultimae Velina et Quirina.

Buteonem nostrum Aurelio collegam tribuerunt viri docti tum propter locum Orosii [6], ubi factum aliquid narratur Fabii Buteonis censorii, quod ante bellum Punicum II accidisse videtur; tum propter Livianum [7] locum, quo M. Fabium dictatorem dictum esse docemur, qui vetustissimus censorius fuit; quum deinde dictatorem fuisse Buteonem nostrum evincunt Fasti, inde sequitur censura eiusdem, nec alio lustro locus ei assignandus est.

§ 3. *Dictator* 538 [8].

M. FABIUS M. F. M. N. BUTEO DICT. SINE MAG. EQ. SENAT. LEG. CAUSSA.

Functus est Buteo noster hoc extraordinario magistratu, 29 annos post consulatum id est septuagenarius, verum convenit provecta illa aetas muneris gravitati, nam senatus legendus erat, quod censorum munus imo nunc censorium

---

1) I. 49—52. 2) XXIV. 1. 3) IV. 10. 4) Fast. Cap. h. a. 5) Liv. Epit. XIX. 6) IV. 13; cf. Cap. IV § 2 huius Libri, p. 225. 7) XXIII. 22. 8) Fast. Cap. h. a.; Liv. XXIII. 22, 23; Plut. *Fab.* 9.

fuit. Extra ordinem nempe placuerat illud locum haberi et »dictator qui censor ante fuisset, vetustissimumque ex iis qui viverent censoriis esset, creari placuit, qui senatum legeret". Contra rei gerundae causa alius dictator dictus erat, M. Iunius Pera cum magistro Tib. Sempronio Graccho, qui iam magistratu se abdicaverant, quum versus anni finem diu post cladem Cannensem novus legeretur senatus a venerando Buteone. Populo enim non sufficiebat procurata esse prodigia, novum petebat ordinem pro eo, qui non bene consuluerat de bello, poscebat ergo, ut novi strenuiores senatores, ardentes ardore Romani intrarent curiam, qui nunc sedebant senatores, anno 534 lecti erant, saepius accidit, ut vel longius interfuerit spatium, sed hoc quoque arripuit populus, ii nempe qui res novas cupiebant, quibus per quinquennium patres adversae fortunae auctores fuisse videbantur.

Livius nobis tradidit frustra tunc Q. Fabium Maximum populo persuadere conatum esse, huic rei tempus esse alienissimum, »ita, inquit Livius, eius rei oppressa mentio est", cui vero statim subiungit dictatorem creari placuisse; nemo non videt loci nexum claudicare, quod miror editoribus fugere potuisse, facillimo negotio restitui potest locus, ne adeo inconstans sibi sit Livius, revocanda est negatio »non" i. e. ō, quam absorpsit praecedens vocabulum »ment*io*." Denique dictus est Buteo noster, sine magistro equitum, quo non opus erat in hoc extraordinario munere. Nullum dictator ex senatu movit, sublegit tantum in demortuorum locum pulchrum Romanorum agmen ad numerum 170, qui per hoc quinquennium curuli magistratu functi aut bene de patria meriti erant, tot senatores ergo aut mortui erant aut pro patria contra Poenos pugnaverant tristi eventu. Quibus lectis Fabius se magistratu abdicavit, domumque deductus est venerandus senex magna stipante caterva novorum, opinor senatorum necnon eorum, qui ne omitterentur timuerant.

§ 4. *Nummus* [1].

Caput Romae galeatum, pone *ROMA*.

*N*umerius *FAB*ius *BUTEO;* eques galeatus decurrens, dextra coronam ex lauro.

Hunc suum nummum Goltzius protulit ad Buteonis dictaturam; vide quam praepostere: dictatori equo vehi non licet, quis iam dictator equitem in nummo signasset? Neque rei gerundae causa sed ut senatus legeretur dictus erat, cuius rei nec vola nec vestigium in nummo; nec Numerius dictator fuit, sed Marcus. Habemus confitentem reum, conflaverat Goltzius denarium, antequam Fasti docuerant non Numerium fuisse dictatorem. Quas ob causas Vaillantius ad Numerium (35) retulit huncce, qui anno 530 magister equitum fuit, quo cum honore equitem galeatum contulit et coronam ad Boios fugatos retulit; vide quam hic quoque fallat, ex Scylla in Charybdin delapsus: magister quidem equitum fuit ille, sed non rei gerundae causa, nonnisi ut comitia haberentur consularia, mansit Romae quietissime nil quidquam agens contra Boios. Alii deinde eum ad Numerium (30) retulerunt, qui consul contra Poenos rem gessit ad Panormum; sed neque haec ratio accipi potest, quid enim magis alienum ab expeditione navali quam eques, quum sexcentis in nummis triremes signati cernuntur? Alii denique eum explicare voluerunt ope Buteonis aedilis curulis, cuius magistratus esset ludos dare equiria; at, inquit Havercampius, non aedilium est signare nummos. Nec vero placet N. Buteo (45), qui praetor 581 creatus morte impeditus est quominus in provinciam iret. Praestat, opinor, post tot conamina spurium Goltzianum reddere numismaticis.

1) Vaill. N°. 3; Mor. XVI. 9.

CAPUT IV.

NUMERIUS FABIUS M. F. M. N. BUTEO (35).

§ 1. *Magister equitum.* 530/531 [1].

L. CAECILIUS L. F. C. N. METELLUS DICT. COMIT. HAB. CAUSSA.
N. FABIUS M. F. M. N. BUTEO MAG. EQ.

Hunc filium fuisse Marci Buteonis praecedentis indicant Fasti et 21 annorum decursus inter patris consulatum filiique magistratum. Attamen multis aliter videtur, qui credunt Numerium (30) consularem anni 507 hunc gessisse magistratum; affert Haakhius ad tuendam suspicionem, quod Caecilius collega consulatus eum sibi nunc magistrum dixisset; sed cur si aliquid familiaritatis inter Buteones et Metellos intercedebat, collegae filium non potuit sibi magistrum adsciscere? Hoc equidem ea de causa credo. Tum quod saepius consulares creati fuerint magistri equitum; at semper paucissimis annis post consulatum, non vero post 23 annos; duae huius rei afferri possunt exceptiones, L. Valerii anno 364, sed hoc exemplum suspectum est, et alia ratio valebat in altero L. Valerio anno 672, quem Sulla sibi magistrum elegit.

Comitiorum causa dictator dictus est, aberant ergo ambo consules, qui ingenti apparatu primi trans Padum duxerunt legiones, nec vero multum gesserunt imbris pestilentiaque impediti, ut Polybius [2] nobis auctor est, sequentes demum consules de Gallis et Liguribus triumphos duxerunt, Orosius [3] contra tradit eos felici successu cum Gallis pugnasse, quod ex Livio videtur hausisse; quidquid est, constat propter Fastos eos abfuisse.

§ 2. *Necatus a patre* (531—536).

Hunc Numerium suspicor sibi voluisse Orosium [4], ubi de morte censorii Buteonis filii scripsit his verbis: »emer-

[1]) Fast. Capt. h. a. [2]) II. 31 § 10. [3]) IV. 13. [4]) IV. 13.

git hic paululum antiquus ille Romanorum improbae laudis etiam de parricidiis appetitus. Nam Fabius censorius Fabium Buteonem, filium suum, furti insimulatum interfecit, dignum scilicet facinus, quod pater vel parricidio plectendum duceret, quod leges quidem, nisi multae pecuniae aut ad summum exsilii circa quemlibet hominum censuerunt."

Tradit hoc Orosius ultimum ante bellum Punicum II, post consulatum Flaminii, vagatur ergo intra 531 et 536; hinc credo nostrum a patre necatum paulo postquam magister equitum fuisset. De ipso iure patriae potestatis equidem non docebo lectorem, sufficiat exempla analoga annotasse: Bruti, Cassii, Scauri, Manlii, T. Arrii (737) qui filium exsilio damnavit, P. Atilii Philisci, qui filiam interemit stupri causa, App. Claudii, Pontii Aufidani, Q. Fabii Maximi Eburni (51), et A. Fulvii.

Nullam vero causam adesse video, ob quam ut Dederich [1] posuit, in puerum vix toga virili ornatum animadvertisset censorius; vel is, qui magister equitum fuit, poterat tale furtum committere, ut pater ius suum in filium non emancipatum exerceret.

§ 3. *Nummus* [2].

BUTEO, caput Romae galeatum cum nota denarii, pone pileus Dioscurorum vel libertatis signum.

Castor et Pollux hastati in equis decurrentes; ***N***umerius ***FABI***us ***M***arci ***F***ilius. ***ROMA***.

Ab omni parte Goltzii fraus pellucet; Vaillantius recte perspexit non posse referri denarium ad magistrum equitum, qui comitiorum causa creatus est, proposuit ergo eum cusum esse a Buteone quaestore provinciali. Sed recte vidit Harvercampius omnino obstare litteras ***ROMA***, quibus ipsa Urbs designatur, ni fallor. Nec referri

1) *Progr. Emm.* 19. 2) Vaill. N°. 2; Mor. XVI. 8.

potest ad alium Buteonem (25) filium Marci Ambusti, nam hic Marci gaudebat nomine; ad Numerium tantum Marci filium (30) cons. 507 referri posset, nisi victoria navalis ceteraque huius generis nil quidquam commune haberent cum equitibus istis vel libertatis signo; denique est nummus adulterinus, in quo explicando frustra numismatici se exercuerunt.

CAPUT V.

MARCUS FABIUS (N.) F. (M.) N. BUTEO (38).

§ 1. *Aedilis* 551 [1].

Iam incerta fit haec stemmatis pars, Marcus hicce filius esse potuit Numerii (35), de quo modo vidimus, potest tamen aeque bene procreatus esse ex Numerii fratre nescio quo, atqui constare tantum videtur Marci (31) c. 509 nepotem eum esse, ut recte vidit Haakhius, contra Richter patrem eundem nostro tribuerat, etiamsi anni obstant, necnon Dederich qui Marco nostro filiolum tribuit, sed ex coniectura.

Curuli hoc magistratu functus est noster anno, quo Hannibal Italiam reliquit et Cunctator mortuus est. Quod autem ad aedilium munus magis attinet, ingens incendium absumsit partem Aventini, quae portam Trigeminam spectat et vulgo appellatur »clivus publicus." Aquarum magnitudinis mentio fit in annalibus et annonae vilitatis, nec mirum, nam spe pacis ingens frumenti copia advecta erat; pretium eius, quod ex Hispania, Sicilia et Italia quaestores populi causa Romam submittebant, statuerunt aediles Buteo noster et M. Valerius Falto quaternis aeris vicatim populo descriptum. Idem pretium anno 554 aediles statuerunt [2], quum ex Africa magnam vim frumenti Scipio

[1]) Liv. XXX. 26. [2]) Liv. XXXI. 4.

advexit, anno 559 aediles [1] populo descripsere Siciliensis tritici decies centum millia binis aeris.

§ 2. *Praetor* 553 [2].

Quos modo vidimus collegas in aedilitate, eodem modo occurrunt praetores tertio anno post. Versamur in eo tempore, quo Carthaginiensium et Philippi legati pacem petebant. Novis magistratibus in eum modum copiae distributae sunt, ut M. Fabius in Sardinia 10 naves et 1 legionem acciperet a P. Lentulo, qui praefuerat huic provinciae, sed non multum gesserat, nam illo loco stabat classis, ut caveret ne Poeni in Italiam transirent, quam tueretur M. Marcius praetor. Quum autem hoc anno cum Poenis bellari desitum esset, non multum gerere potuit Buteo; successit [3] anno post in eius locum M. Valerius Falto, qui cum duabus legionibus traiecit in Sardiniam; Fabius Romam rediit cum iis militibus, qui plurima stipendia meruerant.

CAPUT VI.

QUINTUS FABIUS (N.) F. (M.) N. BUTEO (39).

§ 1. *Legatus Flaminini* 556 [4].

Frater fuisse videtur Marci praecedentis (38), nam quarto anno post eum praetura functus est, ut alii quoque posuerunt, qui vero in eo falluntur, quod consulem anni 509 Marcum (31) patrem ei tribuant, anni docent alteram generationem intercedere.

Paucis mensibus post bellum Punicum II exarserat bellum Philippicum, quod per duos annos ignaviter gestum est, donec anno 556 suscepit illud atque confecit T. Quinc-

---

1) Liv. XXXIII. 42. 2) Liv. XXX. 40, 41. 3) Liv. XXXI. 8.
4) Polyb. XVII. 10 sq.; Liv. XXXII. 36.

tius Flamininus; doctus ille et elegans Romanus perspectum habebat Graecos suavitate morum potius quam armis sibi conciliari posse, itaque Achaeis statim opem pollicitus est, de qua societate magnae ortae sunt contentiones in foederis concilio, quod indignabundi reliquerunt Megalopolitani. Non tamen societas rata fieri poterat absque senatus populique auctoritate, placuit igitur Flaminino illud negotium tribus committere legatis, qui simul agerent de pace cum Philippo, cui consul asperam proposuerat pacem; sperabat tamen fore ut ipse bellum ad exitum perduceret, ne igitur anno circumacto successor sibi mitteretur, indutias iniit cum Philippo, quocum in colloquium descendit temporis terendi causa, dum aberant legati. De his omnibus legatos Romam miserat sibi coniunctissimos Q. Fabium, filius qui erat ex sorore uxoris Quinctii, Q. Fulvium et App. Claudium; cui legationi ut species adiiceretur, adfuit Amynander rex Athamanum.

Q. Fabius ille Buteo noster fuisse videtur, quod Haakhium quoque video suspicatum esse, qui tertio anno post praetura functus est, ut App. Claudius praetor 559, fuerit eius collega et legationi et praeturae. Est quidem alius Quintus inter Fabios, qui sub Flaminino militare potuit, Q. Fabius Labeo (41) nempe, cui hanc legationem Richter tribuit; at hic octo annos ante praeturam iniisset hanc legationem, quae momenti non erat expers, et 20 annos fere agebat tunc, hinc sententiam meam nondum muto, etiamsi obiici potest Flamininum adolescenti hoc commisisse munus affinitatis causa. Alter denique collega Q. Fulvius Gillo redux ex Sicilia anno 555 cum Quinctio contra Philippum profectus erat [1].

Nequidquam Romae egit legatio, sicut consul praeceperat, nam ut imperium illi prorogaretur, conditiones pacis nondum placere debebant; ergo amici consulis pacem

---

1) Liv. XXXI. 6, XXXII. 1.

eludunt, quippe qui, ut mos est, in senatu sciscitati sunt a legatis quidlibet, qui respondebant igitur ea, quae e re consulis essent; sic demonstraverunt maris terrarumque eum esse situm, ut si Philippus ex conditionibus Demetriadem in Thessalia, Chalcidem in Euboea et Corinthum in Achaia teneret, Graeciam non liberam fore. Legati postquam respondissent Philippum ex tribus illis non cessurum, infecta pace redierunt, consuli nuntium ferentes senatus consulti, ex quo illi liberum pacis bellique permissum est arbitrium, necnon prorogatum imperium, donec successor veniret. Quod senatus consultum etiamsi Livius [1] retulit ante legationem, non tunc factum esse censeo; huius enim non ignarus fuisset Flamininus per amicos suos, neque induliarum locus fuisset, neque colloquii, neque pacis, imo ne legationis quidem. Polybius contrarium nobis diserte [2] tradidit, quem Livius Latine vertens minus accurate excerpsit.

§ 2. *Praetor* 558 [3].

Inter sex praetores, tot enim anno 557 primum fuerunt crescentibus provinciis et latius patescente imperio, Q. Fabius Buteo in annum 558 creatus est, cui obvenit Hispania Ulterior. Per praecedentem annum [4] M. Helvius eam tenuerat, cuius veteres ut dimitterentur copiae, Fabius cum nova legione profectus est, postquam maioribus hostiis prodigia erant procurata: eques et aedes Feroniae coelo tacti, lupus Urbem ingressus, cetera. Bellum moverant Hispanienses, dum Romani bello detinebantur Gallico et Philippico. Ignoramus, an memorabile aliquid Buteo noster gesserit, provinciam haud ita pacatam suscepit, nec mox pacata fuit; decedebant ex Hispania consules praetoresque cum magnis pecuniis, quod quum non tradatur

---

[1]) XXXII. 28. [2]) XVII. 11 § 1. [3]) Liv. XXXIII. 24, 26.
[4]) Liv. XXXII. 28.

de Buteone, fieri potest ut rem minus feliciter gesserit; denique bellum illud adeo gliscebat, ut consularis provincia facta sit, quae M. Porcio Catoni obvenit anno sequenti [1].

CAPUT VII.

QUINTUS FABIUS (M.) F. (N.) N. BUTEO (44).

§ 1. *Quaestor* 568 [2].

Q. Fabius quaestor ex Hispania fertur reversus esse anno 569, de quo nil amplius innotuit, quam 80 pondo auri ab eo ex provincia Romam esse delata; suspicari licet eundem fuisse, qui praetor 573, tot enim anni inter illos honores solent interesse. At anno 573 fuerunt praetores Q. Fabius Maximus (43) et noster Buteo; difficilis est optio, Pighius de Maximo illo cogitavit, eumque sequitur Dederich, equidem Buteonem praefero, etiamsi ratio incerta.

Multis eius pater videbatur Q. Fabius Buteo (39) praetor 558; sed 15 tantum annos patris honor filiique distat, ergo verisimilior ratio est, si eum Marci (38) praetoris 553 filium ponas. Alii contra mirum in modum quinque ultimos ex Buteonum familia miscuerunt, ita ut vel contra veritatis speciem diversi in unum coaluerint, in quibus operae pretium non est diutius subsistere.

Haereo in L. Manlio, quem pro consule ex Hispania rediisse tradit Livius secum ferentem coronas aureas 52, auri pondo 132, argenti 10,000; est ille, qui pronunciavit in senatu, Fabium quaestorem 80 pondo auri advehere. At nondum consul fuerat L. Manlius, qui enim 565 cum M. Fulvio Nobiliore hoc functus est honore, Cn. fuit Manlius. Voluit sibi Livius L. Manlium Acidinum, quem

---

1) Liv. XXXIII. 43. 2) Liv. XXXIX. 29.

tradiderat [1] *praetorem* esse creatum anno 566, et sortitum esse Hispaniam Citeriorem; rediit igitur pro praetore, opinor, non pro consule, qui error utrum Livio an librariis male legentibus compendium scripturae tribuatur, nescio.

§ 2. *Praetor* 573 [2].

Praetores sortiti sunt provincias in hunc modum, ut Q. Fabio Buteoni Gallia, Q. Fabio Maximo (43) peregrina iurisdictio obvenerit. Galliae praefuerat L. Iulius, ubi Ligures magnas res moverant, qui L. Aemilium obsessum tenuerunt, quem iussus est M. Claudius Marcellus pro consule liberare traductis ex Gallia in Ligures copiis. Non tamen Marcellus subvenire poterat, nam ipse Romam reversus erat, dum eius exercitus praetore Fabio adversus Istros bellum sustinebat, qui coloniam Aquileiam deduci prohibebant. Alio modo ut Marcellus liberaretur, placuit senatui, mansit Fabius in provincia, quam sequenti quoque anno tenuit prorogato imperio.

§ 3. *IIIvir coloniae deducendae* 574 [3].

Fabius noster redux ex provincia coloniam deduxit Latinam Pisanis agrum pollicentibus anno 574. Collegae ei fuerunt in hoc munere M. et P. Popillii Laenates. Si accurate Livius enarravit, quae hoc anno acciderunt, versus finem anni colonia deducta est, neque per totum annum Fabius Galliae praefuit pro praetore.

§ 4. *Arbiter* 586 [4].

Inter Lunenses Pisanosque anno 586 disceptabatur, hi nempe querebantur se ex agro suo pelli a Romanis colonis, illi contra sibi agrum esse assignatum. Senatui, ad quem querelae relatae videntur, placuit Vviros creare, qui de

---

1) XXXVIII. 35, XXXIX. 21. 2) Liv. XL. 18, 26, 36. 3) Liv. XL. 43. 4) Liv. XLV. 13.

illis finibus cognoscerent, cuius collegii princeps fuisse videtur Buteo noster, qui 12 annis ante illum agrum Pisanis distribuerat; fuit quidem tunc aetate provectus, sed propterea non alii tribuerim negotium illud [1].

CAPUT VIII.

NUMERIUS FABIUS (Q.) F. (N.) N. BUTEO (45).

§ 1. *Praetor* 581 [2].

Inter praetores anni 581 occurrit N. Fabius Buteo, quem aequalem posuerim Quinto (44), imo illius fratrem aut fratrem patruelem, atqui Numerio Buteoni (35) nepotem.

Obvenit ei Hispania Citerior, quam tenuerat P. Furius Philo, qui tamen remansit in provincia, nam Fabius profectus in Hispaniam mortuus est Massiliae; cuius mortis quum senatui allatus esset nuntius, patres decreverunt, ut inter se sortirentur Furius et Cn. Servilius Caepio, quibus in Hispania succederet.

De Q. Fabio Aemiliani filio (50), qui apud Appianum [3] audit Buteo, non huius loci est disputare, nam qui in Maximorum familia natus est, per nullas machinas in Buteonum transferri potest; de illo infra [4] videbimus.

---

[1]) Cf. Lib. VII. Cap. VIII § 9. [2]) Liv. XLI. 28, XLII. 1, 4. [3]) *Hisp.* 84.
[4]) Cf. Lib. VII. Cap. XIII § 1.

LIBER VII.

FABII MAXIMI.

CAPUT I.

QUINTUS FABIUS M. F. N. N. MAXIMUS RULLIANUS (17).

§ 1. *Cognomina.*

Cur hicce Quintus nobilissimo cognomine Maximi ornatus fuerit, certo constat; nam fallitur Polybius [1] scribens nomen illud propter Cunctatoris (33) laudem huic familiae adhaesisse, censuram egit Fabius noster nobilissimam, propter quas urbanas laudes *Maximus* cognominatus est, vir alioquin bellicis operibus excellens, quinquies consulatu functus. Hanc Livianam [2] famam praefero, spernens quam Aurelius Victor [3] huius rei causam affert, cognomen ob virtutem Fabium habuisse, de qua tamen nil detraxerim; de censura infra [4] videbimus.

Alterum, quod agnomen potius dixeris, scrupulum movet, *Rullianum* volo, cuius prava lectio *Rutilianus*, aut *Rutilius* aut *Rullus*, ut bis apud Livium [5] sed constanter apud Graecos et apud Frontinum audit, potest abiici; ridicula est autem opinio Alexandri ab Alexandro [6] cogitantis *Rullum* hunc esse dictum Fabium, qui iuvenis appellatus fuerit *pullus*; Fasti enim docent formam *Rullianus* unice veram esse. Etymologia docet Rullianum adoptivum fuisse filium ex gente aut familia Rulla, nam adoptiva cognomina in *ianus* desinunt, non ut Ellendt [7] vult

---

1) III. 87 § 6. 2) IX. 46; Val. Max. II. 2. 9. 3) *V. I.* 32.
4) Cf. § 12 huius Capitis. 5) XXIV. 9, XXX. 26. 6) *Gen. Dier.* I. 73.
7) *De cogn. et agn. Rom.* p. 72.

in *anus* tantum; nec tamen ita fuisse equidem contendo. Primo enim constat Rulliani patrem duos (18 et 19) praeter hunc habuisse filios [1], cur iam ex alia gente adoptaret tertium? non perspicio causam, imo historia tradit patrem hunc filium prae ceteris insigni amore prosecutum esse. Tum nulla gens aut familia innotuit Rullorum ex illis temporibus, nam ex tota antiquitate nonnisi Rullus plebeius ille innotuit, in quem Cicero habuit *Orationes Agrarias*, eiusque pater, qui sicut unicum Plinii [2] docet testimonium, pertinuit ad gentem Serviliam, de qua autem utpote plebeia cogitare non licet. Denique non fuit re vera cognomen adoptivum, nam ex centum agnominibus Romanis, quae collegi, nonnisi 5 [3] ex cognomine nata sunt, et duo [4] tantum ex praenomine, quae invaluerunt sero tempore imperatorio; sunt autem rarae adoptiones stante republica, 11 [5] tantum per illud tempus numerantur. Quas ob causas iam eo adducor, ut hoc nomen non adoptivum fuisse credam, etiamsi aliunde explicari nequit. Nimium est autem si contra Fastorum testimonia *Rutilianum* dixeris nostrum, ut codices hic illic dant, et vel sic res nondum ad liquidum perducta erit, nam Rutilii plebeii erant praeter P. Rutilium Crassum tribunum militum 337; contra circa haec tempora occurrunt Rutili in gente Marcia et Nautia, ex his igitur noster prognatus esse posset, sed hoc nondum mihi possum persuadere.

§ 2. *Aedilis* 423 [6].

Aedilitate functus est noster anno 423, qui tristior fuit, nam multi tunc interierunt Romani sive veneno sive pestilentia. Livius tradit, primores civitatis quum haud pauci simillimo morbo absumti essent, de pestilenti aëre credu-

---

[1]) Fast. Cap. 439; Liv. IX. 36. [2]) *H. N.* VIII. 51. [3]) Bassianus, Florianus, Tuscianus, Maximianus, Varronianus. [4]) Tiberianus, Appianus. [5]) Aemilianus, Calpurnianus, Fulvianus, Gratidianus, Iunianus, Livianus, Mucianus, Octavianus, Plancianus, [Rullianus], Servilianus. [6]) Liv. VIII. 18; Val. Max. II. 5. 3; Oros. III. 10.

litatem fuisse, sed veneno ab uxoribus de medio illi sublati erant, cuius rei ancilla publica exstitit index, quae indemnitate praeposita indicavit matronarum fraudem ipsi Fabio nostro aedili.

Matronae venena coquentes manifesto deprehensae sunt, quarum ad viginti in foro populi iussu per sua venena interierunt.

Tunc primum de veneficiis fertur quaesitum esse, 170 damnatae sunt. Apud Orosium vero legimus 370 esse damnatas, sed hic numerus fidem superat, qui quum ex Livio fluxerit, rescribendum est procul dubio 170, nam Livianum CLXX a Valerio descriptum est »*c et* septuaginta", necnon ab Orosio, sed huius librarii dederunt »*ccc* septuaginta", hinc illae lacrimae.

Livius vellet rem falso esse traditam, quam negare non audet; sed minus verisimile videtur, quod scripsit tunc primum quaestionem fuisse de huius generis scelere, haud scio an adeo plumbei fuerint Romani, ut tam sero veneficium iis innotuisset, quum nobilissimus quisque a perfida coniuge hoc modo esset absumtus; extra ordinem quaesitum esse non negaverim, sed primum non credo. Neque Livianum illud accipio, prodigii loco habitum esse immane istud scelus, et propterea dictatorem clavi figundi causa dictum esse, nunc enim constat morem illum aliunde explicandum esse.

§ 3. *Magister equitum* 429 [1].

L. PAPIRIUS SP. F. L. N. CURSOR DICT. REI GER. C.
Q. FABIUS M. F. N. N. MAXIMUS RULLIANUS MAG. EQ.
COACTUS ABDICAVIT. IN EIUS L. F. EST
L. PAPIRIUS L. F. (L.) N. CRASSUS MAG. EQ.

Cadit hoc Rulliani munus in bellum Samniticum, quum adversus Vestinos quoque bellum suscipere senatus decre-

[1]) Liv. VIII. 29—35; Eutrop. II. 8; Val. Max. II. 7. 8, III. 2. 9; Front. *Strat.* IV. 1 § 39; Aur. Vict. *V. I.* 31, 32; Oros. III. 15; Dio Cass. fr. 36. 1—8; Zonar. VII. 26.

verat; Samnium evenit consuli L. Furio Camillo II, qui quum morbo implicitus bellum non posset gerere, dictator Papirius cum Fabio magistro ad exercitum profectus est, incertis, ut fama fert, auspiciis. Suspicor hoc postea excogitatum, nam Romani nimis religiosi erant id temporis, quam ut credamus eos dubiis auspiciis legem de imperio pertulisse; quidquid est, dictator Romam fertur reversus esse ad repetendum auspicium, quod haud scio an fecerit, nam requirebatur eius praesentia in castris.

Denique aberat, et magistrum in castris reliquerat, cui interdixerat se absente confligere cum hoste. Sprevit tamen nobilis iuvenis dictatoris imperium, sive a Samnitibus lacessitus fuerit, sive egregiam nactus occasionem ad impetum faciendum omnibus apud hostem solutis; denique ad Imbrinium, ubi prospere pugnavit, concitato agmine in hostes fugientes ruit frenis ab equis detractis, non vero Romanis cum Graecis permutatis, ut Niebuhr [1] strategema explicat. Magna strages consecuta est, quam tamen noli ad 2000 hostium evehere, sicut Romani fecerunt, qui famam de more adeo augent, ut vel bis illud accidisse scripserint nonnulli, dum in aliis contra annalibus tota res omissa erat; apud antiquissimos scriptores atqui apud Fabium Pictorem una tantum pugna memoratur. Iussit tunc magister equitum spolia in acervum congesta subdito igne concremari, quod aut ex voto fecit, aut quam Pictor [2] huius rei causam tradidit, quae verisimilior videtur, eum illud fecisse, ne suae gloriae fructum caperet dictator, id est, ne postea ad triumphum dictatoris ornandum spolia inservirent, nisi forte sic cavere voluerit, ne hostes praedam reciperent.

Felicissimae pugnae nuntius quum Romam ad Papirium allatus est, ira aut invidia exarsit dictator in contumacem magistrum de tota disciplina militari sollicitus;

---

1) *Vortr.* I. 486 ed. Isler. 2) Cf. Q. Pict. fragm. XXIX, p. 180.

iratus ad castra rediit, imperiumque suum in nobilem magistrum exercuit, ius vitae ac necis. Egregie Livius inducit duos illos causam dicentes et defendentes, in quibus nolo haerere; iussit Papirius Fabium spoliari ac virgas et secures expediri. Tunc militum fidem implorat miser ille, et sic magnae fiunt contentiones; non tamen caesus est, quod Valerii [1] locus annuit. Fabius iubetur postero die ad tribunal adesse, verum fideliter custoditus effugit ad Urbem.

Tunc dictator eum secutus est et Romam transtulit contentionem, iussitque arripi contumacem. Tunc octogenarius pater nobilissimus ille ter consularis atque dictatorius (13) pro filio senatus imploravit auxilium, precatus ne sibi orbitatem faceret dictator. Ex curia in comitium populi proripit, ubi multae altercationes de rostris auditae; nolebat impotens dictator nil quidquam remittere, tandem vero concessit ille, penes quem vita erat strenui bellatoris. Non enim credo penes populum neque curias erat decernere aliquid de eius vita, nonnisi per preces agi poterat, et sic Eutropii locum accipio: »ingenti favore militum et populi liberatus est", quod haud scio an, ita voluerit, nam non adeo callebat ille antiquitatem, quod in Livio itidem observasse mihi visus sum, qui sibi non constat in huius rei narratione, inducit nempe Fabium ad populum provocantem et rem ad comitium delatam, unde, non recte credo, deducitur tunc valuisse provocationem contra dictatorem; his enim cetera non conveniunt, solus nempe dictator precibus fatigatus magistrum liberasse narratur, non vero populus, qui ad deprecandum Papirium se commoverat, quem pene interfecisset, et sic intelliguntur Aurelii verba, ne tribunos quidem supplicem tueri potuisse. Denique Valerius scribens »Papirium testari se poenam illam non Fabio sed populo et tribuniciae potestati concedere", reddidit Livii verba »donatur populo Ro-

[1]) II. 7. 8.

mano, donatur tribuniciae potestati", sed ita contorta, ut perversa inde nascatur rerum descriptio.

Dimisit Papirius Fabium, quod exspectari poterat, vetuitque eum quidquam agere pro magistratu. Utrum alium dixerit magistrum disputant, quaestio est enim, utrum in loco Liviano [1] verba »magistro equitum" pertineant ad praecedens »praeposito in urbe L. Papirio Crasso" an ad sequens »Q. Fabio vetito quidquam pro magistratu agere." Rem equidem non dirimam, sed suspicor illud, quod novus in eius locum creatus fuerit, indicare Fabium esse dimissum a dictatore, et ob hanc causam liberatum, quod non amplius sub Papirio esset, sed privatus Romae maneret, sic enim verba »vetito quidquam pro magistratu agere" accipienda videntur.

Si famae credis, forte saepius accidit, ut quotiescunque dictator aberat, hostes in Samnio moverentur, sed maluit M. Valerius legatus memor exempli Rulliani frumentatores suos caedi sinere quam iis subvenire contra dictatoris imperium; sed quis non videt haec repetita esse et suppleta ex hac historia Rulliani?

Non poenitebit hoc loco inseruisse titulum [2], qui Fabii magistratum equitum testatur:

BELLO SAMNITIUM
CUM AUSPICII REPE
TENDI CAUSSA. ROMAM
REDISSET. ATQUE INTE
RIM. Q. FABIUS AMBUSTUS
MAXIMUS. MAGISTER
EQUITUM. INIUSSU
EIUS PROELIO. CON
FLIXISSET ....

Romae exstat fragmentum istud parvae tabellae, littera optima atque antiqua inscriptum, secundum eos, qui la-

---

[1]) VIII. 36. [2]) Grüt. *Corp. Inscr. Lat.* p. CCXCVIII, n. 4; Orell. *Inscr. Lat. Sel.* n. 540.

pidem viderunt, et testati sunt non antiquo tempore titulum esse conditum sed Augusti aevum olere. Ne magnam fidem huic habeamus frustulo, quod ad illustrandam historiam nil novi affert, contra ex historia est explicandum, sicut nummi et inscriptiones solent. A falsario ex historia hunc titulum esse conflatum facillimum demonstratu est; quis quaeso ex Rulliani posteris hoc nobilissimi proavi summae contumaciae documentum confici iussisset? Non sic colebant Romani proavos, contra seri nepotes Fabii Maximi inscripsissent, opinor, honorum seriem, bella egregie gesta, laudes domesticas, sed non istud, quod praepostere lapidarius ille sculpsit ex historiae scientia qualicunque; neque pro titulo pugnare videtur, quod est hicce unicus locus, ubi coniuncta leguntur cognomina »Ambustus et Maximus", dum Fasti contra habent »Maximus Rullianus".

Ab hac opinione me non deducit Zellii [1] explicatio contendentis elogium in Papirii honorem esse positum, quod quomodo serio defendat, equidem non intelligo, nam nil quidquam honoris aut gloriae inde in Papirium redundet; mittamus hanc explicationem, qua frustra suppositum monumentum defendas.

§ 4. *Consul* I. 432.

Q. FABIUS M. F. N. N. MAXIMUS RULLIANUS [2].
L. FULVIUS L. F. L. N. CURVUS.

Decimo anno post aedilitatem primo consulatu functus est noster, haud ita provectus aetate, nam vel 27 annis post eodem honore functus est; nec vero urgendum videtur Tullianum [3] dictum: »apud antiquos Rulli, Decii, Corvini multique alii admodum adolescentes consules facti", si enim consul fuit admodum adolescens, qua quaeso aetate aedilis fuisset decimo anno ante?

---

[1]) *Elog. Rom. Reliq.* p. 35. [2]) Liv. VIII. 38; Plin. *H. N.* VII. 43; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. [3]) *Phil.* V. 17 § 48.

Supra [1] iam hunc annum attigi, nunc Cornelii Cossi dictatoris laudem consulibus vindicatam enarrabo. Bellum [2] in Samnio et in Apulia erat gerendum; Samnites aggressi sunt Romanum exercitum, qui atrox et magnum proelium gesserunt per quinque horas, quo ancipiti Marte pugnatum est; Samnites in castra Romana se proripuerant, in quos diripientes Romanorum equitum acies invecta est, quae omnia caede replevit; nec meliore fortuna ab altera parte pugnarunt, ita ut ad indutias perventum est, in quarum fidem ducem Brutulum Papium postulavere Romani, cuius ossa, quum voluntaria morte se ignominiae subtraxisset, Romanos disiecisse tradit Zonaras [3].

Secundum aliam famam, quam respuit Livius, Fabius in Apuliam processit, atque inde magnas praedas egit. Hanc famam Fastorum auctores sequuntur, qui hos triumphos insculpserunt [4]:

L. FULVIUS L. F. L. N. CURVUS COS.	*ANN. CDXXXI.*
DE SAMNITIBUS	*III NON. MART.*
Q. FABIUS M. F. N. N. MAXIMUS RULLIANUS COS.	*ANN. CDXXXI.*
DE SAMNITIBUS ET APULEIS	*XII KAL. MART.*

Aurelius Victor [5] scripsit Fabium primo consulatu triumphasse de Apulis et Nucerinis, alii recte praeferunt *L*ucerinis; sed hoc non urgendum videtur, nam fama de Apulia suspecta est eamque respuit Livius. Constat quidem Luceriam anno 438 defecisse, sed Livius urbem illam a Fabio tertium consule captam esse scribit. Illi tempori melius mihi videtur convenire capta Luceria, non enim credo Romanos trans Samnium iam tunc pergere ausos esse, quum adhuc in Campania res esset. Niebuhrius [6] traxit huc locum Appiani [7], secundum quem Romani, dum Samnites Fregellanum agrum devastabant, vicos 81 Samnitium et Dauniorum ceperunt interfectis 21 hominum

---

1) Cf. Lib. II. Cap. IX § 2, p. 128. 2) Liv. VIII. 38—40. 3) VII. 26
4) Fast. tri. h. a. 5) *V. I.* 32. 6) *R. G.* III. 233. 7) *Samn.* 4.

millibus. Equidem hunc Fabii triumphum nonnihil auctum suspicor propter ceteras res, quas in Samnio et Apulia postea gessit. Denique eo melius sperni potest Victoris testimonium, quippe qui in secundo Fabii triumpho non verum tradiderit.

§ 5. *Interrex* 433/434 [1].

Non tamen multum lucrati sunt Romani duplici illo triumpho, nam insecutus est tristissimus ille annus Caudinae cladis. Quem locum sic tantum attingam, ut causam fuisse eam dixerim huic, de quo dicam, Rulliani honori. Comitiorum habendorum causa supra [2] vidimus dictatorem Q. Fabium Ambustum (21) esse dictum, qui vitio creatus se abdicavit, ut M. Aemilius Papus itidem dictator cum magistro L. Valerio Flacco. Tum placuit recurrere ad alterum remedium, interrex nempe ut proderetur, quo munere Rullianus noster per quinque dies functus est, sed religio obstabat, quominus praeesset comitiis, quibus alter demum praefuit interrex M. Valerius Corvus.

§ 6. *Dictator* I. 439 [3].

Q. FABIUS M. F. N. N. MAXIMUS RULLIANUS DICT. R. G. C.
Q. AULIUS Q. F. AM. N. CERRETANUS MAG. EQ.
IN PROELIO OCCISUS EST. IN EIUS L. F. EST
C. FABIUS M. F. N. N. AMBUSTUS MAG. EQ.

Nobilissima dictatura Rullianus functus est anno 439, cui tamen haud pauca abiudicavit Niebuhrius. Respublica ad summum redacta erat periculum; praecedente anno L. Aemilius Mamercinus dictator bellum in Samnio et in Apulia gesserat, sed malo successu, nam Plistiam, ubi Romanum erat praesidium, Samnites obsessam tenuerunt eamque ceperunt; tum Sora defecerat necatis Romanorum

---

1) Liv. IX. 7. 2) Cf. Lib. II. Cap. VIII § 3, p. 127. 3) Fast. Cap. h. a.; Liv. IX. 22, 23; Diod. Sic. XIX. 72.

colonis, quod fraudi Atilii Calatini tributum esse mox [1] videbimus; Saticula potiti sunt Romani nonnisi post atrociorem pugnam. Summovit nunc Samnites Aulius magister equitum, qui in ferociore pugna hostili cuspide exanimis equo praecipitatus est. Hac calamitate incensi Romani trucidarunt Samnitium ducem, victoresque ex hac pugna feruntur discessisse, atque Saticulam cepisse, quam Samnites missam fecerant ad Plistiam obsidendam reversi.

Caute tamen haec fama accipienda est, nam Livius ingenue fatetur se miscuisse hanc pugnam cum altera ad Lautulas commissa, de qua statim videbimus. Hinc ipso Livio auctore, nec adversante Diodoro, conficio non adfuisse in ea pugna Aulium magistrum, quem tunc nondum magistratum iniisse suspicor. Non sine atroci pugna Romanos Saticula potitos esse, eosque haud paucas circumiacentes urbes cepisse nolo dubitare. Ubi vero multae urbes in Apulia contra Romanos agere coepissent, omnesque aetate militari Samnites in delectum conscripti essent, tunc placuit Romanorum senatui novum dictatorem Fabium nostrum mittere cum Q. Aulio in Samnium; ab his susceptus est exercitus Aemilii, et de more Appia via iter factum est in Campaniam; neque aliter poterant, nam Soram et Fregellas tenebant Samnites, qui quum suspicarentur hoc Romanorum iter, audax inierunt consilium intercludendi Romanos, qui erant in Campania, ab Urbe; pergunt igitur occidentem versus ad viam Appiam, ubi ad Lautulas cum Fabii copiis manus conseruerunt, qui locus medius est in via illa inter Terracinam et Fundos.

Fertur pugnatum esse ancipiti proelio, donec nox dimicantes diremerit, alii vero adversam fuisse pugnam tradebant atque in ea cecidisse Q. Aulium. Hanc famam Diodorus servavit scribens totum exercitum in turpem fugam esse versum, cui quum Aulius superesse noluerit,

---

1) Cf. Cap. III § 1 huius Libri.

mortem sibi conscivit. Livius contra, qui sibi egregie placet in victoriis enarrandis, miscuit hanc pugnam cum proelio ad Saticulam, in quo infesta cuspide Aulium tradit interiisse. Quum vero in historia Romana optandum est inter cladem et victoriam, noli dubitare, quin clades accepta sit; sed Livius qui numquam dictatorem scripsit victum esse, maluit Fabio victoriam tribuere.

Quod autem respuit Livius, verum esse contendo propter Diodori testimonium necnon propter ea, quae Livius, dormitanter fere dixerim, subiungit: per aliquot dies post pugnam dictatorem retinuisse milites intra vallum, quod non fecisset, si superiores fuissent Romani, qui de more victos diripuissent et persecuti essent; tum quod post hanc demum pugnam novus magister equitum traditur ab eo Roma submissus esse, C. Fabius (19) cum subsidiaria legione; deinde dictatorem inducit bis fatentem »circa omnia defecerunt", quod omnino respondet victoriae Samnitium non vero de Samnitibus; denique scribit [1] consules mox bellum intulisse Ausonibus, omnia enim mota esse adventu Samnitium, quum apud Lautulas dimicatum esset, coniurationesque in tota Campania factae essent.

Sic Livium per ipsius verba atque argumenta in viam reduxisse iuvat, et demonstrasse eum fortasse nolentem magnam cladem celasse, quae Niebuhrio Cannensi haud multo minor fuisse videtur. Cohaerent autem cum tali clade coloniae deductae; sic Luceria [2] hoc vel sequenti anno in Apulia condita est, Suessa iterum deducta anno 441, quam tamen iam ante tenuerant Romani; imperii firmandi causa coloniae condebantur, quippe quae semper militares erant non sine valido militum praesidio.

Et tamen victrix res Romana evasit; huius successus in novum magistrum C. Fabium (19) maior pars redundet [3], qui

---

1) IX. 25. 2) Liv. IX. 26; Diod. Sic. XIX. 72. 3) Cf. Lib. II. Cap. x § 1, p. 129.

novas copias adducebat, quam Livius nobis descripsit; huic enim si credas, dictator oratione milites ita incendit, ut Samnites circumvenerint eorumque castra diripuerint. Sin autem tam laeta fuit victoria, cur non duxit triumphum dictator? Contrarium accidisse legimus, nam successor Fabio missus est C. Maenius dictator II, exercitusque novis consulibus Poetelio et Sulpicio traditus. Non multum laudis Rulliano vindicare ausim, nam quod erexerit se res Romana non tam huius virtuti et constantiae debebatur, quam novo magistro qui tempore advenit, sine cuius auxiliis peiora accidissent, opinor. Solus dictator novarum, quas adduxerat magister copias, certior factus erat, quod celavit milites, et sic aliquantisper occultus substitit ille, donec signo dato hostes ab utraque parte Romani aggressi sint, quo modo circumventi sunt et mox in fugam versi per diversa, tunc multis caesis castra capta sunt et direpta.

§ 7. [*Dictator* 441 [1]].

Anno 440 vertit Samnitium fortuna, ex clade ad Lautulas nil profecerunt, Campania deinceps subacta est, Sora tradita, Nola capta et Atina ac Calatia. Harum rerum laus diversis tributa est magistratibus, nam dictator hoc anno in Fastis legebatur; Iunius consul ab his fertur Nolam cepisse, dictator Poetelius ab illis; verum quod supra [2] vidimus, hoc quoque anno accidisse apparet, dictatorem nempe clavi figundi causa dictum esse, quod ipsi Livio excidit, ad quem res bellicae tractae sunt.

Sed nunc aliud volo; dictaturam 441 falso Fabio tribuit Diodorus, qui ab eo Fregellas captas esse scripsit, multosque excellentes agros cum incolis in eius venisse potestatem, quorum ducentos Romam secum duxit et in foro de more securi percussit, denique Nolam ab eo captam.

---

1) Diod. Sic. XIX. 101. 2) Cf. pag. 236.

Niebuhrius [1] hoc loco urget opinionem suam, ex qua Diodorus Fabii Pictoris descripsisset annales, et tribuit hanc dictaturam vanitati nostrae gentis. Non ita ego, nam habemus Livium testem quoties fama diversa fertur, habemus indicia eum circa hos annos Pictoris annales adhibuisse, in quibus si haec dictatura esset descripta, aliquam saltem eius fecisset mentionem, quod quum non fecerit, aliter illa res explicanda esse videtur. Contendo equidem Diodorum verum quidem factum retulisse, sed miscuisse nomina; consentiunt nempe ceteri historici [2] et antiquitatis monumenta in eo, quod dictator Fregellas ceperit, sed non Fabius fuit, verum C. Poetelius; et sic Rulliano abiudicatum sit munus.

§ 8. *Consul* II. 444.

Q. FABIUS M. F. N. N. MAXIMUS RULLIANUS II [3].
C. MARCIUS C. F. L. N. RUTILUS
QUI POSTEA CENSORINUS APPELLATUS EST.

Videamus de consulatu [4], quem re vera gessit Rullianus, etiamsi dubiis non vacant, quae de his praesertim annis tradita sunt; verissime enim Niebuhrius observavit posteros perpauca de huiusce rebus gestis novisse, hinc plures ei tributos honores tum propter Maximi cognomen tum propter gravissima, quae tunc instabant, bella Samnitica. Diserte Livius [5] testatur Pisonem non memorasse consules anni 447 et 448, sed ignorabat, utrum fugisset Pisoni memoria in annalibus digerendis an consulto binos omisisset consules, eos falsos esse ratus; hinc explicandum est, quod in Fastis Capitolinis diu post compositis anno 445 dictatura sine consulibus legatur. Ego vero malim cum Pisone res horum annorum in brevius contrahere, dictaturamque illam eodem anno pono ac Fabii consulatum,

---

1) *R. G.* III. 176. 2) Liv. VIII. 22. 3) Fast. Cap. h. a.; Liv. IX. 33; Diod. Sic. XX. 27; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 4) Liv. IX. 33—40; Flor. I. 17; Diod. Sic. XX. 35. 5) IX. 44.

sicut Livius quoque fecit; nec sine lacunis historia Romana sero post conscripta, ad nos pervenit.

Bellum et in Samnio et in Etruria erat gerendum, nam quum iamiam Samnitibus superiores fierent Romani, contra Etruscos Sutrium obsidentes agi poterat. Fabius suscepit copias Q. Aemilii, triumphandi causa ex Etruria reversi, dum collegae bellum Samniticum obvenerat. Hic statim profectus est Allifas obsidione exemturus, nec frustra nam vi urbem sociosque liberavit, multaque postea cepit castella, dum P. Cornelius qui praeerat classi Romanae ad Pompeios appulit agrumque Nucerinum populatus est, unde tamen latius progressi vix ad naves redierunt.

Quo tempore Fabius in Etruriam profectus est, Galli plures tenebant Tuscorum urbes, quam ob rem mirum mihi accidit, quod nomen eorum in hac historiae parte non occurrat. Sutrium ab Etruscis obsidebatur, ad quam urbem quo modo pugnaverint Fabii legiones Livius [1] nobis tradidit: Tusci suorum numero freti citius omnia sua tela emiserant cominus pugnaturi, sed turbati sunt a Romanis, qui ex loco altiore magnam vim lapidum ingesserunt in eos; mox fugientes inciderunt in Romanos equites, et sic Romani castra eorum depopulati hostem trans silvam Ciminiam persecuti sunt. Sic Livius, quocum consentit Diodorus scribens Tuscos esse victos a Romanis.

Apparet hanc pugnam ad Sutrium locum habuisse, sed vel sic tamen non potuerunt obsidione liberare illam urbem, hanc ob causam, non vero quod vellent hostem persequi, Romani Ciminium saltum intrarunt. Sutrium obsessum tenebant Etrusci, quae quum claustra Etruriae sint, iter Romanis in Etruriam clausum erat; si iam Fabius, urbem liberasset, non opus fuisset per deviam silvam in Etruriam pergere, neque vero tunc obsidione urbem liberatam esse scripsit Livius. Tusci contra ad Sutrium manserunt et

---

[1]) IX. 35; Front. *Strat.* II. 5 § 2.

adversam pugnam ulturi socios ab omni parte imperaverant, quorum hostium numerum Fabius non audebat aggredi, nam malo successu idem fecerat anno ante Aemilius, qui atrocissimum proelium inierat, ex quo si victor rediisset atque triumphum reportasset, haud scio an per sequentem annum hostes hanc urbem obsessam tenuissent; sed hoc obiter. Fabius meliora et audaciora conaturus magnum parat facinus, transgredi silvam Ciminiam, quae Sutrium inter et mare Tyrrhenum iacet, ut sic Etruscos includeret ab iis qui Sutrium obsidebant, quos sic ab utraque parte aggredi possent Romani, antequam plures copiae cum illis se iunxissent.

Silva illa erat invia et horrenda, nec ad eum diem mercatores eam adierant; hoc Livianum dictum Niebuhrius [1] nimis urgere videtur, nam diu ante Romanos cum Tuscis mercaturam fecisse necnon bellasse, non obloquor, sed nil quidquam probat illud de silva ista, per quam deviam exercitus nunc erat ducendus, vulgo enim per alia loca necnon per Sutrium iter faciebant. Haakhio videtur procul dubio ex Pictore fluxisse haec narratio, non mihi, nam primus ille annalium auctor non adeo elaboravit historiam, contra seriores demum in minutioribus istis augendis admodum sibi placent; his opus esse videbatur ornata fama, quo melius audax facinus Fabii describeretur. Pugnat deinde pro hac mea explicatione, quod Fabius miserit speculatores ad longinquiores urbes Tuscas, quibuscum societas erat ineunda, ne inimicitias gererent, dum consul a Sutrio Etruscos repelleret.

Speculatores pastorali habitu induti penetrarunt ad Camertes Umbros, qui Romanis auxilia commeatumque polliciti sunt. Idem retulit Florus [2], qui quam negligenter in historia scribenda versatus fuerit, luce clarius apparet ex hoc loco, nam huic trans Ciminium saltum itineri subiun-

[1]) *R. G.* III. 326. [2]) I. 17 § 4, 5.

git quae Fabius quintum consul in Etruria gessit. Speculatores quinam fuerint dubitat Livius, alii consulis fratrem M. Fabium, Kaesonem alii [1] tradebant, quidam C. Claudium matre eadem qua consul genitus erat; ex his incertis indiciis nil aliud equidem conficere audeo, quam Rulliano fratrem fuisse Marcum (18), eundem credo magistrum equitum 432; affinitati isti Fabiorum et Claudiorum nondum fidem habeo, nam duae illae gentes haud fideli concordia utebantur.

Gravior quaestio est quinam Camertes intelligendi sint; Livius Camertes Umbros sedulo dicit; hoc equidem aliunde explicandum credo, nam propter saltus Ciminii situm Camertes Tuscos intelligendos censeo, ut ipse Livius nominatim addit in Etruria eos degisse per totam, opinor, expeditionem. Diodorus rem non dirimit, nam sic scribit: ἔλαθε τοὺς πολεμίους διὰ τῆς τῶν ὁμόρων χώρας ἐμβαλὼν εἰς τὴν ἀνωτέρω Τυρρηνίαν, ubi Niebuhr pro ὁμόρων legendum censuit Ὄμβρων. Suspicor Camertes Tuscos intelligendos, nam Camars olim fuisse, quod postea Clusium dictum est, nobis auctor est Livius [2], qui veram videtur servasse famam, antiquius nomen ex antiquo fonte describens; quod quum ipsi lateret, cogitans de Camerino in Umbria dixit Camertes Umbros.

Contra hanc opinionem attulit nonnulla Lepsius [3], qui de industria hanc quaestionem tractavit. Credit ille Romanos in Etruria mansisse, non Camerinum ergo intelligendum esse, neque vero Clusium, quod Camers dicebatur antequam Tyrrheni Pelasgi advenissent, cuius incolae postea Camertes Umbri non potuerunt appellari; Clusini porro mox [4] occurrunt hostes Romanorum inter ceteros Etruriae populos. At ultimum illud respuo, nam postea tum Clusini tum Perusini defecerunt, ab hostibus Romanorum a Gallis fortasse incitati aut coacti; noli inde confi-

---

[1]) Front. *Strat.* I. 2 § 2. [2]) X. 24. [3]) *Die Tyrrhen. Pelasg.* 33. [4]) Liv. X. 30.

cere paulo ante non potuisse Romanos sibi socios illos adscivisse, quod de Perusinis saltem procul dubio constat, nec mirum videbitur propter ea, quae cladi Alliensi antecesserant, aliquid societatis fuisse cum Romanis et Clusinis; tum non video cur antiquius nomen non potuerit haerere in huius expeditionis fama, denique iter faciebant versus illum locum, nec tam longe a Roma distat Clusium, ut historia legationis Clusinae docet. Lepsius vero aliter opinatur, et sibi sumit ruricolas quosdam antiquos Umbros ad Clusium mansisse. Haec explicatio non admodum placet, hinc Haakhius rem aliter expedire conatus est, et credit Clusinos novos intelligendos esse, quos Plinius [1] a Clusinis veteribus distinguit; hos olim defecisse opinatur et liberam coloniam, cui antiquum nomen Camers adhaeserit, condidisse inter Clusium et Perusiam sed versus meridiem, hos Camertes Umbros dixit Livius et Diodorus, nam Umbri etiam cis Tiberim habitasse videntur.

Haec omnia et alia quaedam de lingua Camertina, quae equidem urgere nolo propterea, quod haec historicis tribuerim non vero historiae, haec omnia, inquam docte et ingeniose composita an vera sint, non meum est diiudicare; verum aliud est, quod omnino perperam ad hos Camertes viri docti mihi videntur traxisse, locum volo de foedere, quod Romani cum Camertibus fecerunt. Niebuhr [2] nempe scribit speculatores a Fabio missos foedus iniisse cum Camertinis, quod illis maioris commodi fuit, et perduravit donec omnes Italici cives Romani facti sunt. At Livius nil aliud tradit, quam speculatores benigne acceptos, eos egisse de societate et rediisse Romanis nuntiantes commeatum praesto fore, si locum intrasset exercitus; de foedere nil habet igitur, neque poterat ici, ni fallor, a speculatoribus, vel consulis fratribus; si iam tunc aliquid huiuscemodi factum est, paulo post acciderit ne-

---

[1]) *H. N.* III. 5. [2]) *R. G.* III. 329.

cesse est, postquam Etruriam devicissent Romani, verum omnino non quum Camertes sollicitarent praestare auxilium adversus Tusci nominis populos, qui Sutrium tenebant obsessum. Nec credo foedus ante duo saecula et dimidium ictum Romanis adeo in promptu fuisse, ut quum Cicero verbo illud tangeret, iudices illud intellexissent. Quas ob causas loco Tulliano aliud quoddam foedus intelligendum esse perhibeo, neque ad quaestionem de Camertibus locos de civitate illorum esse trahendos.

Quidquid est, constat Fabium in Etruriam venisse, quo tempore quinque legati cum duobus tribunis venerant ex senatus consulto eum vetituri ne procederet, nec saltum transiret Ciminium, metu ne intercluderetur ipse exercitus a Tuscis Umbrisque, quos intercluderet ille. Huius nuntii fama convenit audaci Fabii facinori, quale modo proposui. Livius huic expeditioni iungit victoriae famam, sicut exspectari poterat, acsi non sine proelio Romani Ciminium saltum vincere potuissent; cui nil aliud subesse suspicor quam auctam famam de populationibus in vicinia, quas refert Diodorus nec ignorabat Livius, qui eas respuit etiamsi admodum probabile est Romanos facile latissime populatos esse partem illam Etruriae, quam necopinato intraverant post iter trans silvam Ciminiam feliciter peractum.

Tunc Livius enarrat alteram famam male arreptam de pugna ad Sutrium, quo exercitus quantus numquam antea convenerat; aggressus est eos consul paulo ante lucem, ita ut eo facilius semisomnos oppresserit, caesa sunt aut capta hostium millia ad sexaginta, castraque ceperunt. Eam tam claram pugnam trans Ciminiam silvam ad Perusiam pugnatam, quidam auctores sunt, addit Livius; et longe melius illi, ut nobis auctor est Diodorus, et belli cursus demonstrat.

Neque locorum situs huic rei obstat, nam utravis fuerit urbs Camers, multo propius Perusiam adiacet quam Sutrium,

ubi vero ad Perusiam erat pugnatum, tria Etruriae capita Perusia, Cortona et Arretium pacem foedusque fecerunt cum Romanis, indutiasque in 30 annos impetraverunt, qui successus omnino non ex Sutrina victoria secutus esset, contra cum Perusia arcte cohaeret, nam convenerant illic copiae ex Etruriae parte orientali omnes, quibus devictis demum Etruriaque fracta pax impetrata est, neque de ea cogitassent Etrusci si Sutrium tantum redditum esset.

Hinc satis miratus sum Niebuhrium [1] contra opinatum esse, qui ceteroquin simpliciorem Diodori praefert narrationem, hic vero Perusianam suspectam abiicit et Sutrinam famam elaborat.

Quo autem modo pugnatum sit ad Perusiam ignoramus, fieri potest ut omnia quae Livius ad Sutrium accidisse narrat, huc trahenda sint; nec ex iis multum lucramur, nam pleraque communia omnes pugnae habent, multa ex historicorum ingeniis suppleta adduntur. Suspicor Livium de hoc proelio in annalibus invenisse Fabium summo mane conseruisse manus cum Etruscis somno sopitis, quae Livius sic exornat, ut consulem describat iubentem cibaria in aliquot dies afferri, milites armatos dormire, eosque quarta vigilia hostes invasisse atque fugasse.

Sed ubicunque pugnatum est, Romanos vicisse constat; Perusia, Cortona et Arretium foedus cum populo Romano fecerunt. Idem illud apud Diodorum quoque legimus, dummodo absurdum sustuleris vitium, quod illius editores geographiae imposuerunt aequo animo ferentes Κρότωνα, quae urbs apud Livium, Plinium et Plutarchum audit *Cortona*, quo nomine vel hodie gaudet; itaque Diodorum scripsisse Κόρτωνα quis unquam dubitabit? Librarii Graeci geographiam Italiae qui non bene tenebant, de notissima Milonis patria Crotone cogitantes turbas dederunt; quam maculam vel novissimos editores non abstersisse miror.

---

1) *R. G.* III. 331.

Sic in errorem inducunt geographos, Sprunerus v. c. duplex nomen de hac urbe apud classicos qui invenerat, iam duplici nomine eandem ornavit. Foedum in modum Graecos librarios impegisse in describendis nominibus Romanis noli mirari; analogiam linguae Latinae non callebant, neque litterae accurate Graece verti possunt, constans est difficultas per *v*. At haec omnia non impediunt, quominus ea nomina, quae aliunde adeo constant, ut de iis dubitari nequeat, ab editoribus emendanda sint, ut quam proxime iis, quae auctores scripto mandarunt, accedat lectio. Sic editores possunt atque debent Latini sermonis scientia instructi Fastorumque fragmentis nisi, tollere turpia librariorum negligentiae aut ignorantiae documenta: cuius generis perpauca annotare sufficiat, ut appareat quid velim, nec arrogantior haec dixisse videar: *οἱ Δομέτιοι* consules (422) qui Dom*i*tii fuerunt; Πλαύτιος (407) qui contra (396) Πλώτιος; cognomen T. Quinctii (283) Καπιτώλιος quod Dionysius et nemo non Καπιτωλῖνος dixit; a. 283 pro Romano quidem nomine Μινούκιος alterum illud Νουμίκιος legendum docent Livius et Dionysius; neque a. 292 Diodorus scribere potuit Λουκράτινον, Dorice, si Musis placet, quem a. 361 Λουκρήτιον dixit; neque a. 301 Σέξτος Κόϊντος consulatu functus est, nam Fasti dant Sex. Quin*tilius*, nec aliter Livius et Dionysius; neque unus ex Xviris fuit Ῥωμύλος, ni fallor, sed Ῥωμίλιος; denique Livii editores ad a. 302 dant P. Se*x*tius, etiamsi mox veram lectionem servaverat Se*s*tius cum Dionysio, Diodoro, Fastis et denariis, dummodo non Goltzianis. Idem illud apud Appianum accidisse contendo, ergo Wynnius [1] non recte huius rei causam tribuit Appiano, »qui in describendis nominibus negligentia admodum culpanda versatus est"; quum vero Livium ante oculos haberet, necnon Sallustium fortasse, cet., nolim Appiano sed librariis

---

[1]) *De fide et auct. App. in Bell. Civ.* p. 111 n. 3.

vitio vertere eas saltem nominum discrepantias, quas ille affert, contra de locis, quos attulit Hulleman [1] lis adhuc sub iudice est.

Fabius deinde oppugnavit Καστόλαν, castellum suspicor, quod obsessum effecit teste Diodoro, ut finis imponeretur oppugnationi Sutriensi; apparet ergo Castolam Sutrium inter et Perusiam sitam fuisse, et hostes Etruriam in Romanorum potestatem venturam videntes expertos esse frustra Sutrium obsideri. Quod Niebuhrius de urbibus Etruriae occidentalibus quae erant in armis, subiicit, non assequor.

Recte respuit ille Livianam historiam de Rulliano ad lacum Vadimonis pugnante, quippe quae male repetita ex anno 471, quum contra Gallos Senones et Etruscos pugnatum esse nobis auctor est Polybius [2]; neque Diodorus huius pugnae mentionem facit, nisi illud ipsum sit, quod Castolae oppugnatae nomine tradidit ille. Hanc suspicionem equidem non mittam, nam nondum actum esse poterat de Etruria, nisi copias ex parte meridionali quae convenerant, fudisset; Haakhius illud ad Vadimonis lacum accidisse opinatur, sed hanc difficultatem mea tollit explicatio, ni fallor.

Sequitur, ut verbo moneam de dictatura [3] Papirii, quae interea locum habuit. Dum Fabius nempe Ciminium saltum transgressus in media versabatur Etruria, C. Marcius eius collega cum Marsis et Pelignis ancipiti proelio pugnavit et ipse vulnere afflictus est. Interea Romae frequens erat terror, ne ab Etruscis Fabius intercluderetur, et alter exercitus a Samnitibus deleretur, consule vulnerato imo fortasse mortuo; placet ergo patribus dictatorem dicere, et magnum circumspiciunt virum, qui quassatam erigeret rempublicam. De L. Papirio Cursore omnes cogitabant, sed non sine causa metuebant, ut a Fabio consule non diceretur, quocum paulo ante summas exercuerat

1) *De Paulo qui fertur Claudio* in *Mnem.* V. 308 n. 1. 2) II. 20 § 2.
3) Liv. IX. 38; Dio Cass. fr. 36. 26.

inimicitias; verum alter consul vulnere afflictus impediebatur hunc extraordinarium dicere magistratum. Mittit ergo senatus, ut fama fert, legatos ad Fabium deprecandum privatas mitteret inimicitias, ubi de reipublicae salute quaerebatur. Tum consul audito senatus consulto nil respondisse fertur, verum proxima nocte silentio surrexisse atque Papirium dictatorem dixisse, qui C. Iunium Bubulcum magistrum sibi adscivit.

Quo autem cursum direxerit dictator Papirius, non satis apparet ex Livio; ad Longulam receptis Marcii militibus pugnavit, sed situs est locus ille in Volscorum agro inter Ardeam et Satricum, ubi copias Marcii fuisse non est quod credam. Vagabatur fama Fabii rerum in Etruria gestarum, necnon Papirii adversus Samnites, sed nesciebat Livius quid unicuique tribueret, hinc miscuit tempora et res gestas, quae turbatio augetur proelio ad Vadimonis lacum huc tracto. Acerrime in illo pugnatum est, caesis antesignanis ex secunda acie prima facta est, equites ad peditum ordines devenerunt, sed etiamsi ancipiti Marte pugnatum est, de more vicerunt Romani castraque diripuerunt. Pari rei discrimine et successu pugnatum est in Samnio; magister equitum cum sinistro cornu prior invasit hostilem aciem, mox ipse dictator vicit cum altero, sic Samnites ab utraque parte circumventi devicti sunt.

Quod exspectari licet, dictator tertio triumphavit idibus octobribus, qua in pompa aurata duxit scuta, quae dominis argentariarum ad forum ornandum divisa sunt, unde mos natus esse fertur ornandi fori ab aedilibus. Habemus tamen iterum reos confitentes Romanos, non ita rem potuisse accidere; nam si scuta illa Samnitium Romanis adeo ignota fuissent, ut Livius [1] tradit, quo tempore de Samnitibus debellatum erat, Romanos antea coecos fuisse statuas, quippe qui non vidissent scuta ista in proelio.

---

[1]) IX. 40.

Quod quum nobis sumere non liceat, videtur Livii descriptio scutorum et armaturae Samnitium in malum locum aberrasse, cuius rei causa in promptu est, nam cohaeret fama fori tum demum ornati cum Papirii summo triumpho id est tertio. Quas ob causas Papirii dictaturam in dubium vocarem, atque repetitam ex priore, quem re vera duxit, quum Romanum exercitum post cladem ad Lautulas salvum reduxit, tunc enim nova Romanis fuerunt scuta illa, quae iam tunc in triumpho Romam cum ceteris spoliis advecta atque domibus praefixa ab unoquoque visa sunt; nisi forte nunc demum alius populus e Samnitibus devictus sit, quod tamen non traditur, nam Marsi sequenti demum anno cum Romanis bellarunt.

§ 9. *Pro consule* 445 [1].

Legimus denique Rullianum triumphasse:

*Q. FABIUS M.F.N.N.MAXIMUS RULLIAN*US *II PRO COS. AN.CDXLIV.*
DE ETRUSCEIS. IDIBUS NOV.

Cadit hic triumphus secundum Livium [2], postquam ad Perusiam, quae indutiarum fidem ruperat, pugnasset cum reliquis Etruscorum. Tunc oppidum captum esset, ni sponte se dedisset, praesidium ergo illi imposuit, et reversus praestantiore quam dictator victoria triumphans Urbem est invectus, et proximis comitiis consul declaratus est praemii loco ob egregie perdomitam Etruriam. Quod Aurelius Victor [3] tradit nostrum secundo triumphasse de Samnitibus, verum esse nequit, longe meliora dedit Livius, quae mirum in modum miscuit iste. Fasti docent hunc tertium Rulliani consulatum cadere in annum 446, praecedentem enim sine consulibus fuisse. Livius annum 445 omittit fere; facile intelligitur tamen Fabio honorem esse prorogatum, cuius rei multa exstant exempla, et sic aliquantisper suppleri potest huic anno, quem cereroquin non possumus ad liquidum perducere.

---

1) Fast. tri. h. a. 2) IX. 40. 3) *V. I.* 32.

Aliud est, quod mihi non tam facile possum persuadere, defectionem Perusiae volo, non quod credam omnes urbes lubenter tulisse iugum Romanum, multum abest, admodum frequentes sunt defectiones in historia Romana, sed suspecta videtur haec defectio. Tradit nempe Livius unicus huius rei testis Perusiam se dedidisse, postquam cum reliquis Etruscis ad Perusiam pugnatum esset; at pugna ad Perusiam paulo ante acciderat, postquam saltum Ciminium transiissent, hoc proelium ad Sutrianum transtulerat Livius, ut modo vidimus, sed de more duplici famae fidem habens utramque tradit, et sic nobis narrat versus finem belli ad Perusiam pugnatum, quod iam antea acciderat. Nec credo Perusiam defecisse, nam post priorem pugnam tria capita Etruriae in Romanorum venerant potestatem, qui iam tunc de more praesidium imposuerunt, opinor. Contra Umbri defecerunt sequenti anno, ut statim videbimus; ex his omnibus apparet famam esse repetitam, quae iam ad veriora retulisse mihi videor. Ad Perusiam recuperandam Fabius inducitur acerrime pugnasse, sed hoc supplendum erat ex falsa fama natum, ut deditio urbis sequeretur.

Sic denique Rulliani secundum consulatum missum faciam, cui nonnulla etiamsi abiudicaverim, nil quidquam detraham ab eius laude bellica, summus enim bellator felicissimo successu expeditionem suscepit, quae periculis non vacabat, et sic post atrocissimas pugnas cum strenuis hostibus subegit Etruriam, ob quae egregie facta magnam virtutem eius praedicabit historia.

§ 10. *Consul* III. 446.

Q. FABIUS M. F. N. N. MAXIMUS RULLIANUS III[1].
P. DECIUS P. F. Q. N. MUS II.

Antequam de hoc Rulliani consulatu dicam, verbo errorem Pighianum redarguam, qui ex hoc Fastorum fragmento

[1]) Fast. Cap. h. a.; Liv. IX. 41; Diod. Sic. XX. 37; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic.

aliter descripto confecerat dictatorem III fuisse nostrum anno 467. At non attenderat Campensis Fastos Capitolinos sic esse inscriptos, ut collegarum nomina iuxta se legantur, atqui in fragmento illo, quod in antiquo impresso invenerat, trium versuum partem dimidiatam ad annos 445, 446, 447 referendam esse, ita ut dictator ille rei gerundae causa sine consulibus L. Papirius fuerit, non vero Q. Fabius M. f. N. n. Maximus Rullianus III, ad cuius tertium consulatum spectat, denique L. Volumnius Claudii collega anno sequenti. Non opus est igitur recurrere ad honorem tertium, qui aliter in Fastis insculpi solet, quam Pighius proposuit; nec vero convenit dictatura rei gerundae causa cum anno 467, de quo cogitavit ille, eum suffectum ponens Hortensio mortuo; at hic seditionis causa dictus erat, nulla res tunc erat gerenda in media pace.

Contra leges annales Rullianus hoc consulatu [1] functus est, sive ei hic honos fuerit continuatus, sicut Livius vult, sive ex proconsulatu iterum creatus. Etruria Decio evenit, Samnium Fabio. Samnites socios sibi adsciverant Marsos et Pelignos, quae societas videtur cohaerere cum audaciore consilio aggrediendi Romanos ab omni parte, nam a Tuscorum bellis Samnites haud alieni fuerunt. Versabatur igitur respublica in magno discrimine, ex quo non evasisset sine claris illis ducibus, de quibus iam videamus. Fabius statim in medium Samnium transiit oppugnaturus Nuceriam Alfaternam Campaniae urbem, quam ad deditionem coëgit, nam secundum Diodorum [2] defecerat a Romanis anno 438. Fama huius urbis captae videtur ansam dedisse auctae illi famae, quam Aurelius Victor tradit, ut modo vidimus; secundum hunc enim Nuceriam iam cepisset Fabius in primo consulatu, id est Apuliae urbem quam alii Luceriam dicunt, coniungit enim cum

---

[1]) Liv. IX. 41; Diod. Sic. XX. 44. [2]) XIX. 65.

his famam depopulatae Apuliae illo anno, quod haudquaquam verisimile est, nam vel hoc anno in media Campania erat pugnandum.

Necnon acie pugnavit contra Samnites Marsosque, quod proelium ea tantum de re memorabile est, quod contra Marsos tunc primum pugnatum sit. Diodorus quidem contrarium tradidit, sed longe verisimilius est Samnites socios sibi comparasse Marsos et Pelignos adversus Romam, ut anno ante Etruriam et mox Hernicos ad defectionem permoverunt. Suspicor Diodorum in errorem esse inductum quod alicubi invenerit »Marsos cum Romanis" pugnasse, ut Livius scribit, sed non intellexit Siculus ille eos adversus Romanos arma sumsisse. Fieri potest, ut ambo consules coniunctis copiis pugnaverint contra coniunctos hostes, ut Diodorus rem enarrat, cui famae melius convenit victoria de triplici hoste quam Liviana narratio deinceps Marsos, tum Pelignos denique Samnites victos a Fabio, dum in Etruria degebat. Fracta igitur in praesenti statu Samnitium societate, expeditio adversus Tuscos est suscepta a Romanis agrum Umbrorum transgressis, quae postea causa fuit rebellandi. Decius Tarquiniensibus frumentum imperavit, Volsiniensium castella aliquot cepit, quorum unius tantum nomen servavit Diodorus τὸ Κάπριον φρούριον nempe; et sic postquam satis terroris circum se fecerat, foedus in 40 annos impetrarunt Tusci, quod Tarquiniensibus concessum scribit Diodorus, dum ceteris annuae sunt concessae indutiae, stipendium exercitui, ab hoste pensum in hunc annum et binae tunicae in militem exactae.

Tunc Umbri defecerunt, quos taederet Romanorum iter per suam terram in Etruriam, nisi forte Samnitium incitamento, qui quum Etruscos quoque ad defectionem permoverent, magno exercitu composito noluerunt Decium in Etruria morari statim ad oppugnandam Romam se profecturos iactantes; procul dubio huic narrationi subest

expeditio quaedam, qua Decium ab Urbe seiungere conarentur. Nec mirum placuisse senatui Fabium ex Samnio revocare, dum Decius magnis itineribus ad Urbem pergeret. In agri Pupiniensi consul consedit, quem vero non eum fuisse credo, qui secundum Livium [1] prope Tusculum et Gabios erat nomenque Pupinianae tribui dedit, nam ad septentrionem Urbs erat tuenda. Fabius ex Samnio statim duxit legiones in Umbriam, pervenitque Mevaniam, quae urbs interiacet Spoletium et Perusiam; adeo celeriter eo pervenit, ut Umbri a proposito absterriti in urbes redierint; pars eorum fortunam experturi in plaga Materina pugnam ineunt, dum consul castra muniebat. Confestim certatum est, sed absque ordine, ita ut pugna cominus fuerit atrocissime gesta; plures capti sunt quam caesi, ut Livius fert, ita ut mox se dediderint, quod exemplum ceteri Umbri secuti sunt, Ocriculani autem nominatim in amicitiam accepti feruntur, unde deduxerim eos non defecisse.

§ 11. *Pro consule* 447 [2].

Nondum ad finem bellum erat redactum, quum iam magistratus annus praeterlapsus erat, atqui Fabio senatus imperium prorogavit adversante App. Claudio, ut ferunt, qui tunc ad consulatum pervenerat. Appio non potuisse placere Rulliani magistratum iterum prorogatum, facile inventu erat, nam Fabius restiterat Appio, quum contra legem Aemiliam nollet censuram deponere; videtur nunc demum hoc munere se abdicasse, forte ea conditione, ut prorogato Rulliani imperio ipse in Urbe maneret, ibique operibus praeesset, quae modo ante censor locaverat. Denique alter consul adversus Sallentinos duxit legiones, et Fabius contra Samnites. Negat Niebuhrius [3] senatum prorogare potuisse Fabio imperium sine populi consensu ante

1) XXVI. 9. 2) Liv. IX. 42. 3) *R. G.* III. 215.

legem Semproniam nempe, quod si ita fuit, populus permisit, ut Rullianus hoc quoque anno reipublicae praeesset.

Pugnavit noster ad Allifas ex Umbria reversus in medio Samnio inter Venafrum et Beneventum, fudit hostem et in castra repulit, postero die Samnites se dediderunt, quibus sub iugum missis venia data salvis vestimentis abire, socii vero ad numerum 7000 sub corona venierunt, inter quos Hernici nominis qui reperti sunt Romam missi ad senatum, qui quaereret an voluntarii pro Samnitibus arma sumsissent. Mox concilio habito Anagninis in circo Hernici nominis, praeter Alatrinatem, Ferentinatem et Verulanum Romanis bellum indixerunt, unde sequi videtur eos a Samnitibus compulsos esse, ut deficerent a Romanis.

Mirum videtur, quod Rullianus nullum egerit triumphum ex tertio consulatu; huius rei causa fuisse videtur, quod expeditiones Rulliani non caruerint adversa quoque fortuna, necnon quod Appius Claudius, qui tribuum rationem mutaverat et comitia perdiderat, Fabio haudquaquam amicus esset; haec saltem effecisse videntur, ut censuram peteret Rullianus, de qua nunc dicendum est.

§ 12. *Censor* 450 [1].

Q. FABIUS M. F. *N. N. MAXIMUS RULLIANUS.*
P. DECIUS P. F. Q. N. MUS. L. F. XXVIII.

Haec nobilissima censura quo melius intelligatur, pauca praecipiam necesse est de Appii Claudii censura anni 442. Nolo eius aquam et viam, nisi quod hae dictae sint a Claudii praenomine, dum ceterae omnes ab ipso censoris nomine suum traxerint, cuius rei non aliam causam perspicio, nisi quod haec antiquissima fuerint opera, a quibus ut recentiora dignoscerentur ab alio Claudio facta, alter appellandi modus invaluerit, et sic Claudia aqua dicta est, quod exemplum postea in ceteris secuti sunt.

---

1) Fast. Cap. h. a; Liv. IX. 46; Val. Max. II. 2. 9; Aur. Vict. *V. I.* 32.

Appius [1] vir popularis libertinorum filios allegit in senatum, quod quum superbi patres ferre non possent, lectionem ratam habere noluerunt. At quo iure poterat illud prohiberi, dum censoris munus haud imminutum vigebat? Opinor non senatum verum Appii collegam impedivisse, quominus rata fieret lectio, a patriciis incitatum ut rescinderet hoc tantum, ceteris vero non adversaretur; Livius nominatim illud testatur, ubi scribit, ob infamem et invidiosam senatus lectionem verecundia victum collegam Appii se magistratu abdicasse.

Hanc ob causam Appius iratus usus est potestate sua, ut tribus mutaret, id est humilibus per omnes tribus divisis, forum et campum corrupisse audit; ex quo tempore in duas partes discessit civitas, ut Livius arištocraticorum fautor indignabundus scripsit. Idem retulit Diodorus et Plutarchus, praeterquam quod hic paulo negligentius ipsis libertinis concessum fuisse scripsit, quod eorum filiis demum datum est, liberum ius suffragii per omnes tribus, ἐξουσίαν ὅποι προαιροῖντο τιμήσεσθαι, id est, ut Diodori lector in margine, opinor, explicat ἐν ὁποίᾳ τις βούλεται φυλῇ τάττεσθαι, quod tandem novissimum Diodori editorem expunxisse nunc video; perperam tamen Plutarchus ᾗ βούλοιτο φρατρίᾳ scripsit, cogitavit recte quidem de centuriatis comitiis sed male de centuriis.

Quod Appius mutavit hoc praesertim fuit: erant 31 tribus, per quas in comitiis centuriatis populus erat divisus ratione habita fundorum quos civis possidebat. Erat igitur respublica penes nobiliores atque ditiores omnes, qui agros possidebant, qui vero non habebant agrum nec unde emerent, non ferebant suffragium, libertini humilioresque. Quibus ut maior fieret potestas in republica gerenda, sustulit Appius id, quod divisionis istius esset fundamentum, ἔγκτησιν.

---

[1]) Liv. IX. 29, 46; Diod. Sic. XX. 36; Plut. *Popl.* 7.

Bene multas hinc ortas esse contentiones non est quod dicam, nimium tribuit ille humilioribus istis, qui iam tunc ingenti numero Romam confluxerant.

Non diu tamen duravit nova ista ratio, unde procul dubio longe maius commodum civitati nasceretur, quam Livio videbatur, qui nobilium fautor aliquantisper contorte rem enarrat; qui quum princeps huius rei nobis auctor sit, multis Appii institutum peius videbitur quam re vera fuit aut saltem mox fieret. Supervenit Appii inimicus, adversae factionis caput, Fabius noster [1], ex ungue patricius, qui reduxit curam administrandae reipublicae ad eos penes quos esse oportet, res nobilissima attamen gravissima, ad quam perficiendam summi viri requirebatur auctoritas patricii vere Romani. Concordiam Romae reddidit, unde meritissimum ei adhaesit cognomen *Maximi*.

Coniecit ille turbam istam forensem in quatuor tribus, quas urbanas tum demum appellavit. Libertinos non tribubus movit, ut Aurelius Victor scribit, voluit illud quidem, sed non potuit perficere, attamen ex novo instituto longe minus pollebant novi isti cives, quibus talis locus erat assignandus, ut suffragium quidem ferrent ceterisque civitatis iuribus uterentur, sed ita, ut non penes istos reipublicae administrandae esset potestas, quod ex Claudii instituto mox ortum esset. Quae tunc exstabant 31 tribus, nomine tantum inter se discrepabant, nam sublata erat ἐγκτήσεως necessitas; hoc restituit Fabius, sed ita, ut libertini iique omnes, qui nullum agrum possidentes antea ad nullam pertinuerant tribum, in posterum ad unam ex quatuor urbanis referrentur, quae et ordine et nomine a ceteris distinguerentur. Quibus reliquis antiquam restitutam esse rationem, nobis auctor est Mommsen [2], qui vellem explicasset, quid fecerit de iis civibus, qui

---

[1]) Liv. IX. 46; Val. Max. II. 2. 9; Aur. Vict. *V. I.* 32. [2]) *Die Tribus in administr. Bezieh.* 153.

ad quatuor istas permutatas tribus pertinuerant; fieri potest, ut hoc ita intelligendum sit: quatuor illae tribus quam agri partem continebant, aedificiis totam repletam fuisse, ita ut de agri possessione sermo non esset, quod si est, sine ullius detrimento libertinis concessae fuerunt.

Sequitur, ut de alia quadam tribuum mutatione dicam, tribuum ordines bipartitos volo iuniorum seniorumque. Niebuhrius [1] nempe multis allatis argumentis demonstravit novam allam rationem Fabio deberi, quae qualis fuerit non opus est multis verbis dicam. Huius opinionis prae ceteris strenuus defensor nuper exstitit Kiehl [2], cuius doctissimam disputationem nondum mihi persuadere potuisse, multi fortasse mirabuntur, sed non talis Fabiorum sospitator sum, qui omnia iis vindicaverim, postpositis iis, quae contra eos afferri possunt. Praestat, opinor, non tamquam iudicem pronunciare in re difficillima, quae adhuc sub iudicio est virorum doctissimorum, qui in antiquitate Romana habitant, ut dicunt. Apparuit ex illorum disquisitione ipsos classicos ignorasse quando nova invaluerit bipartita ratio, ita ut pro diversis opinionibus alii alia argumenta veterumque testimonia protulerint. Non lubet repetere levissima ista, quae contra Niebuhrii sententiam postea allata sunt, nec vero quae pro ea recte proponi possunt, sufficiat enim ad Marquardtum [3] ablegare, qui accurate ut solet diversas enumerat sententias allatis integris locis.

Ex his autem hoc tantum sequi crediderim rem nondum confici posse, ita ut donec nova fortasse classicorum testimonia eruta erint, aequo Marte certare poterit Ritter et Haakh pro App. Claudii C. Plautii censura 442, Niebuhrius, Peter, Nitsch et Kiehl pro Q. Fabii Maximi P. Decii Muris 450, Mommsen, Haltaus, Huschke pro anno 513 expleto 35 tribuum numero, Gerlach, Göttling, Rein et

---

[1]) *R. G.* III. 403. [2]) *De herziening der Rom. kieswet* in *Mnemosyne*, III. 426—478. [3]) *Röm. Alt.* II. III. 30.

Schmidt pro L. Aemilii Papi C. Flaminii 534, et Wachsmuth pro M. Aemilii Lepidi M. Fulvii Nobilioris 595.

Quod ad Rullianum attinet, plurima minoris momenti attulerunt huius opinionis fautores, quae propter illius censurae laudem et concordiam ab eo restitutam rectissime explicari possunt ex eo, quod libertinos in quatuor urbanas tribus reduxerit, nec omnino opus est, ut propterea de altera illa mutatione cogitemus. Denique Rulliani censurae uberrimus fons, Livium dico, ignorabat utrum alterum illud quoque Fabio vindicandum esset, iam quid nos quaeso conficiamus? Multa supplendo possumus quidem privatam quamdam opinionem tueri et defendere, sed huic ista persuadent, non illi.

Verbo de altera mutatione, quae equites spectat, quorum transvectionem annuam instituit Rullianus [1] idibus quinctilibus, quum trabeati equis insidentes ab aede Honoris in Capitolium transirent. Non tamen videtur ab hoc tempore invaluisse ut equo publico stipendia facerent, dum antea privato meruissent, nam convenit publici magistratus inspectio cum cura publici equi, quae equitum probatio iam antea invaluit, et probe distinguenda est a transvectione [2].

Quidquid est, ornatissimum cognomen Maximi traxit Rullianus, quod non pepererat ex tot victoriis, verum ex ordinum temperatione, quod noli mirari, nam maiores res gestae illius acciderunt post censuram, gesserat quidem satis prospere contra Etruscos, sed haud pauca ex serioribus aucta ei abnegavimus. Facile mihi possum persuadere populum vel potius patricios propter tribuum rationem egregie mutatam discordiamque sublatam Fabio dedisse cognomen honorificentissimum; quae enim populo secundum antiquum institutum erant congrua et idonea servavit, et ea

---

[1]) Liv. IX. 46; Val. Max. II. 2. 9; Aur. Vict. *V. I.* 32; Plin. *H. N.* XV. 4; Suet. *Aug.* 33; Plut. *Pomp.* 22. [2]) Becker, *Röm. Alt.* II. I. 260.

tantum mutavit, quae reipublicae exitium attulissent, denique ordines temperavit. Probe tenendum est tamen Livium hanc urgere causam, qui patriciis admodum studet, dum Fabii aequales ex ordine plebeio eodem eum ornare potuerunt cognomine propter virtutem militarem, denique utraque res multum huic cognomini favebat.

§ 13. [*Dictator* II. 453 [1].]

Q. FABIUS *M. F. N. N. MA*XIMUS RULLIANUS II DICT. REI GER. C.
M. AEM*ILIUS L. F. L.* N. PAULLUS MAG. EQ.

Inter hunc annum tertiumque Rulliani consulatum septem anni praeterlapsi sunt. Cuinam rei tribuendum sit, quod princeps ille tamdiu a republica abstinuerit, certant viri docti; vera causa latet, nec vero abhorret suspicio Rulliano bellicae gloriae laxationem placuisse, censuram quum peteret; quod munus quum anno 450 gesserit, diutius aliquantisper in re civili degit, ut ea ordinaret opinor, quae ex tribuum mutatione sequerentur.

Belli historiam non lubet percurrere, neque opus est ad hunc Rulliani honorem probe intelligendum, nam haec quoque dictatura Fabio abiudicanda est. Fasti enim unici huius muneris testes sunt, dum Livius [2] ad hunc annum refert dictaturam rei gerundae causa M. Valerii Maximi Corvi, cui P. Sempronius magister equitum fuit; subiungit autem alteram quamdam famam, secundum quam Q. Fabius Maximus magister ille fuisset, sed recte hunc honorem illi denegavit, cui tum Fabii aetas et honores obstant, tum illud ipsum, quod magister iste absente dictatore fecisse traditur. Fastorum auctores contra, ut iam supra passim vidimus, auctam famam arripuerunt, quae ab aliis ita elaborata videtur, ut hoc anno nullos consules fuisse legamus in marmore, verum dictatorem Rullianum deinde Valerium. Anonymus Norisii duorum illorum cognomina

---

1) Fast. Cap. h. a. 2) X. 3—5.

tamquam consules fuissent, in fastos suos recepit; non multum tamen huic levissimae auctoritati tribuam, non negaverim non abhorrere a posterorum arrogantia, si duo illi consules tantum fuissent, atque propter rerum gestarum gloriam honores illi in dictaturas crevissent, sed alio modo hunc locum administrabo.

Fastos hac in re non sequor, quorum testimonium equidem non tanti facere possum, contra Livianam narrationem arripio, simplex illius historia ut plerumque solet veritatem propior est. In Livii fontibus nonnisi quaestio erat de magistratu equitum, de quo propter Liviana argumenta dubitari nequit; iam cur veriorem esse credamus auctam famam dictaturae, de qua Livius ne verbum habet? Facile tamen intelligitur, unde ille honos natus sit, ex Maximi cognomine, quo Rullianus et Valerius erat ornatus. Denique Valerii dictaturam illam nolo explodere; potest quidem haec quoque aliunde repetita esse, quod si ita est, statuendum esset hunc annum sine consulibus fuisse, id est hoc loco lacunam in historia Romana elucere, sed nondum audeo Valeriorum gloriam in brevius contrahere aut huius Valerii res gestas ad filium retrahere. Ultimum illud satis probabile fieri posset, ni fallor, nam consentiunt historici [1] eum primo consulatu 406 functum esse anno aetatis 23, atqui nunc annum agens 70, imo consul sextum 72, strenue res gessisset totus in armis; at utrumque offendit, et quo serior primum gessisset eo provectior ultimo fungeretur; facile credam eius filium aut M. Valerium consularem 442, de quo Livius hoc loco cogitavit, intelligendum esse; sed haec obiter. Neque obloquar, si apparuerit Valerium dictatorem fuisse comitiorum, ludorum, aut senatus legendi causa.

Haakhius credit non tantum cognominum similitudinem effecisse, ut dictatores illi nascerentur, verum Rulliani

---

[1]) Liv. VII. 26; Val. Max. VIII. 15. 5; Eutrop. II. 6.

dictaturae opinatur in annalibus Pictoris vestigium quoddam fuisse; tum suspicatur duplici dictaturae subesse indicium, quod uterque honorem petivisset, verum Valerius creatus esset, et mox communi consensu omnes centuriae consulem in annum 456 dixissent Rullianum, ut Livius [1] narrat, quod munus in annum bellicosiorem differre maluit secundum Licinium et Tuberonem, et eo anno maiori se usui reipublicae fore, urbano gestu magistratu; tunc aedilem curulem eum factum esse secundum illos, dum Piso contra alios aediles curules tradebat; at hic quoque Carvilii cognomen Maximus turbas dedit.

Non ita ego crediderim, nam facile mihi possum persuadere utroque loco duplicem famam natam esse ex eo, quod in annalibus de Maximo tantum dictatore et aedili sermo fieret; nec mihi persuadere possum auctam istam famam Pictori deberi, nam Piso vetustior auctor rem simplicius tradidit, quam recentiores male intellectam aliter ferebant; iam si Pictor illud tradidisset, Livius procul dubio eius mentionem fecisset et ad eius auctoritatem provocasset; sed illud ipsum non potuit tradere Pictor, nam quo modo vir consularis imo censorius aedilis fieri posset? Hoc unico argumento tota fama cadit, sin vero de Q. Fabio Maximo sermo esset, Rulliani filius intelligendus fuisset. Et ut vere dicam, non satis illa tempora innotuerant vel ipsis Romanis, ut ex levissimis indiciis tanta deducamus.

Etiamsi persuasum mihi est Rullianum non fuisse dictatorem hoc anno, nolo missum facere quae accidisse feruntur, tum propter Fastos, tum propterea, quod hoc loco lubet demonstrare quo modo aucta sit historia Romana, ubi vel omnia erant supplenda.

Hic quoque simplicior fama unice vera esse videtur, nempe sine ullo memorabili proelio pacatam esse a dictatore Etruriam seditionibus Arretinorum compositis et Cilnio

---

[1]) X. 9.

genere cum plebe in gratiam reducto. Quam simplicissimam historiam videamus quam ornata fuerit, expleta et illustrata ab aliis.

In Etruria seditio orta erat Arretii, quod est praesidium Romanum Gallos proximum, a quorum incitamentis non aliena fuisse videtur defectio; Cilnium genus praepotens divitiarum invidia pulsum erat ab altera factione, et sic Romanorum auxilium summo iure a Cilniis invocatum est. In Marsis idem acciderat, in quorum agrum Carseoli deducta colonia, quatuor millibus hominum scriptis, ut Livius tradit, quae tamen res paulo aliter accipienda videtur, nam colonia Carseolos postea deducta est anno 456; perperam ergo fama illa huc pedem intulit; sed bonum factum quod numerum illum servaverint, hic enim nobis indicium est verae famae, quippe qui accurate respondet legionis numero; denique legio scripta est, quae Marsos coerceret ab omni hostili impetu, nam inierant societatem cum Romanis tertio anno ante, quod praesidium quum Marsis non admodum placeret, inde bellum natum esse videtur. Placuit autem propter tumultus illos dictatorem dicere; at cur non consules missi? nulli hoc anno fuisse feruntur, cuius rei causam quum nondum perspexerim, turbatam statuerem chronologiam et dictatoris famam natam ex illis tumultibus.

Quo duce exercitus contra Marsos profectus sit, ne moremur; fama est Romanos, legionem illam opinor, fudisse Marsos uno proelio, eosque compulisse in urbes munitas, Milioniam, Plestinam et Fresiliam, quibus captis Marsisque agri parte multatis foedus restitutum est.

Tum in Etruscos bellum versum est, adversus quos ut rite pugnaretur, auspiciorum repetendorum causa dictator Romam fertur profectus, et magister equitum pabulatum egressus ex insidiis circumventus esse signis amissis et foeda caede ac fuga in castra compulsus esse. Haec omnia statim abiicienda censeo; nam tota quanta repetita sunt ex

Fabii nostri et Papirii historia, quam arripuerunt, ut supplerent aliquid saltem simplicissimae illi famae antiquiori; nolebant eam relinquere intactam, hinc antiquum obtinent, repetunt quae aliis temporibus accidisse meminerant, et sic evadit dictator Romam profectus auspiciorum causa, iam agnoscas Papirium, quo absente magister equitum pugnam committit, sed non ausus ille sine dictatore pugnare victus esse fertur bonus magister equitum. Quae omnia cur ita acciderint, auspiciorum ratio affertur ab historiolae fictore, sed fallitur iste in ea re, imponit nobis auspicia esse repetenda, si bellum ex bello serebatur, id est si uno populo devicto ad alterum se verteret exercitus. Vide quam caute accipienda sint antiquitatis indicia; male hoc positum esse nemo nescit, continuo sexcenta bella ex bellis gessisse Romanos historici tradunt, cuius rei unum exemplum huic simillimum afferre iuvat ex eiusdem Rulliani historia: tertium consul in Samnium profectus est, ubi Marsos et Pelignos qui defecerant deinceps subegit, cum Samnitibus acie dimicavit, tunc vero nuntio accepto Umbrorum defectionis, iussu senatus »propere in Umbriam exercitum duxit", magnisque itineribus ad Mevaniam perrexit, ubi repente advenit; de itinere Romam nil tradunt, etiamsi diversum bellum erat suscipiendum.

Ex uno vide quam facile alterum mendacium sequatur; cladis nuntius quum Romae advenit, magnus fertur terror ortus esse, imo iustitium indictum est ab historicis nempe, acsi hostes ad portas starent, in quibus custodiae et vigiliae vicatim exactae traduntur, arma et tela in muros congesta, omnes iuniores sacramento adiguntur et ad exercitum mittuntur; quae omnia de more et constanti analogia facile poterant suppleri, ubi semel scripserant ad dictatorem perventum esse. Attamen trepidatio ista et vigiliae in portis fidem habere possunt in antiquiore historia, nunc vero haud ita accidere potuit, nam in Etruria res erat gerenda, ut ipsi illi tradunt. In agrum Rusellanum nempe Romani

profecti sunt, qui Clusiano adiacet ad Orientem; cur autem in maritimum illum abierint, non perspicio, nam iter Arretium multum distat. Quomodo insidiarum certiores facti sint Romani Livio relinquo enarrandum, sufficiat notasse grave proelium gestum esse, ex quo victores Romani abierunt in fugatos Etruscos, quorum castra direpta sunt. Pacto annuo stipendio et duum mensium frumento de pace egit senatus, qua negata indutiae biennii datae; dictator Valerius triumphans rediit ante diem X kal. dec.

§ 14. *Consul* IV. 457.

Q. FABIUS M. F. N. N. MAXIMUS RULLIANUS IV [1].
P. DECIUS P. F. Q. N. MUS III.

Inter hunc [2] Rulliani eiusque praecedentem honorem nil quidquam foris gestum est memorabile. Anno 456 bellum Samniticum iterum motum est, ex quo Fulvius triumphavit. Maior tamen terror instare videbatur, quum comitia consularia haberentur, nam populus Rullianum iterum consulem creare cupiebat, etiamsi 25 anno post primum consulatum aetate provectior erat. Frustra Rullianus recusasse fertur, denique cum censurae collega P. Decio creatur.

Habemus tamen hic quoque Livium antiquitatis rationis pravum auctorem, quippe qui inducit Fabium afferentem legem annalem, ex qua intra decem annos eundem consulem reficere non liceret; miscuit, opinor, legem longe recentiorem, nam saepius neglecta fuisset ista lex quam observata. Violata esset saltem anno 466, quum Rullianus iterum consul creatus est, duobus annis post praecedentem; verum nil quidquam lex illa poterat impedire, quominus hoc anno de novo consul crearetur, nam vel 11 anni praeterlapsi erant inde a tertio consulatu; ita ut vel male

---

1) Fast. Cap. 439; Liv. X. 14; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 2) Liv. X. 13—15, 17.

sani esset hoc impedimentum afferre contra honorem in Fabium delatum. Nec melius se habet alterum argumentum, Rulliani aetatem dico, nam vel tertio anno post gessit consulatum totus in armis. Quis quaeso non agnoscet haec suppleta esse et ornata a posteris minus feliciter?

Bellum Etruscum nunc non movebatur, ab Sutrio enim et Nepete et Faleriis legati de pace venerunt, ita ut in Samnites tota belli moles averti posset. Adversus hos Decius profectus est per Sidicinum agrum Maleventum petiturus, Fabius Soranum agrum traiecit, hostemque in occulta valle invenit ad Tifernum, ad quorum latebras quadrato agmine accedit, ubi tamen in apertum discrimen res adducta est. Magnus hostium numerus convenerat, Fabius in equitum turmis bonam salutis partem posuerat, parum autem nocuerunt a Samnitibus repulsi; Fabius iusserat [1] legatum suum Scipionem cum hastatis primae legionis hostem circumducere, qui quum a tergo aggressus esset hostes, in fugam dissipati sunt, 3400 caesi, 838 capti signaque 23. Fortasse tunc acciderat, quod Frontinus [2] a Rulliano factum esse tradit, ex duabus legionibus, quae loco cesserant, vicenos sorte ductos in conspectu militum securi esse percussos. Interea Decius Apulos ad Maleventum detinuerat, ne Samnitibus se iungerent, quibus victis fugatisque in Samnium duxit legiones, quam regionem totam vastavit cum Fabio crebris expeditionibus, ita ut Decius deinceps in 45 locis castra habuerit, Fabius in 86, qui urbem Cimetram cepit et tunc Romam reversus est propter comitia. Tunc iterum fertur cum populo certasse, qui de novo vellet in eum conferre honorem, non tamen creatus est, quia App. Claudius consularis candidatus erat admodum popularis, nec duos patricios plebs facile creasset.

---

[1]) Front. *Strat.* II. 4 § 2. [2]) *Strat.* IV. 1. § 35.

§ 15. *Pro consule* 458 [1].

Veteres consules iussi sunt in Samnio bellum gerere prorogato in sex menses imperio. Haakhius non credit imperium iis esse prorogatum, nec fidem habet Livianae narrationi, Fabium nunc quoque certasse, ne consul fieret. Haec a Livio aucta esse nonnihil et ex ingenio suppleta haud abnuerim, verum eam ipsam ob causam nullam tribuo fidem Aurelio Victori, ad quem provocat ille; hic tradit Fabium noluisse iterum censorem fieri, quippe quod non ex usu reipublicae esset. Sed haec ab isto auctore mixta esse videntur ut cetera omnia, quae apud eundem de Rulliano legimus. Miror igitur Haakhium opinatum haec et huiuscemodi plura ex Pictore fluxisse, nam quod Victor alicubi de consulatu legerat ad censuram retulit, ut triumphos quoque mirum in modum confudit.

Si opus est, ut nobis sumamus populum aliquid concedentem Fabio, cuius adversarius consul erat factus, non recurrendum esse videtur ad ficta ista ab historicis, nam ad manum est prorogatio, quam bis Rulliani fautores illi concesserunt, quum Appius consulatu fungeretur. Quod deinde Haakhius attulit ad proconsulum expeditiones refellendas, rem non conficit, ni fallor; urget nempe Appium Claudium cum legione prima et quarta in Etruriam profectum esse, collegam cum secunda et tertia in Samnium, nec habuisse proconsules alias legiones praeter illas. At haud scio an talia re vera scripto mandata fuerint, ita ut haec quoque historicis tribuerim, non vero eas legiones profectas credam, denique suppleta videntur ista ab iis, qui scripserant consules illas suscepisse expeditiones, quas alia fama proconsulibus tribuebat, ut Livius diserte testatur.

Decius Murgantiam Romuleamque cepisse fertur, dum alii contra auctores ad Fabium trahebant Ferentinum Ro-

---

[1]) Liv. X. 17, 18.

muleamque oppugnatas, nisi forte haec quoque novis consulibus vindicanda sint. Quid igitur re vera his annis et quibusnam ducibus acciderit, vix dignosces. Quidquid est, constat in Etruria et Samnio satis prospere rem esse gestam; tum alii Fabio tribuunt Lucanorum seditiones sedatas. In Etruria Gellius Egnatius ex Samnitibus et Tuscis exercitum collegerat non sine Gallorum auxiliis mercede conductis; adversus hos omnes copiae eductae sunt, quae hic quoque superiores fuisse feruntur; sed non est huius loci haec omnia persequi, nam sex menses per quos imperium esset prorogatum, iam tunc praeteriisse videntur.

§ 16. *Consul* V. 459.

Q. FABIUS M. F. N. N. MAXI*MUS* *RULL*IANUS V [1].
P. DECIUS P. F. Q. N. MUS IV QUI IN HOC MAG. *SE DEVOVIT*.

Pervenimus ad ultimum Rulliani consulatum [2], qui nobilissimus fuit, nam summi imperatoris virtutem tunc exposuit et rem Romanam labentem stabilivit. In hoc loco enarrando antiquum obtinent historici; triplex fama de his Livio innotuit, quarum una altera longe ornatior; bonum factum quod diversas illas nobis tradiderit, nam apparebit simplicissimam veritati proxime accedere, quod vel ipse Livius arguit.

Rullianus iterum consulatum fertur recusasse, quum omnium consensu ad hunc honorem destinaretur, et eandem habuisse orationem, quam biennio ante. At supra [3] ostendimus absurda esse nonnihil argumenta, quae tunc attulisse creditur; quis credet sapientem illum hominem eadem dixisse, quae olim frustra et praepostere protulis-

---

1) Fast. Cap. 439; Liv. X. 22, 24; Vell. Pat. I. 14 § 6; Flor. I. 17 § 7; Front. *Strat.* I. 8 § 3; Aur. Vict. *V. I.* 32; Oros. III. 21; Zonar. VIII. 1; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 2) Liv. X. 22—31; Flor. I. 17 § 7; Aur. Vict. *V. I.* 32; Oros. III. 21; Polyb. II. 19 § 5, 6; Zonar. VIII. 1. 3) Cf. pag. 271.

set; nunc quoque irrita fuissent eius verba, nam penes populum erat etiam tunc Fabium legibus solvere, si vel opus esset, denique historicis ista reddamus.

Omnium consensu victus honorem se suscepturum dixit, dummodo Decium haberet collegam, cuius mores in censura et consulatu praecedenti expertus erat, nil enim concordi collegio firmius esse ad rempublicam tuendam. Nec aliter accidit, Fabius cum Decio creatus est. Sed non recte perspicio, quo modo Livius totus esse potuerit in fideli concordia horum consulum per totum caput celebranda, et mox descripserit summas fuisse contentiones de provinciis, in quas abirent; addit quidem senatum et plebeios eas effecisse, sed si adeo concordes fuerint, suo iure uti potuissent et ad sortem recurrere, aut si senatus et populus extra ordinem Fabio decrevisset bellum Etruscum, Decius non invidisset collegae, ut nunc inducitur, neque Fabius tam invidiosas querelas iactasset. Apparet, ni fallor, Livium composuisse diversas famas, unde mixtum aliquid natum est, quod non possumus concoquere.

Addit Livius Fabium et Decium consules creatos, Appium praetorem, omnes absentes. At neque Fabius neque Decius aberat, in sex menses tantum consulatus iis erat prorogatus, imo inducuntur ab eodem Livio verba facientes, quum praerogativa et primo vocatae centuriae omnes Fabium consulem dixissent, atqui in comitiis aderant, opinor. Suspicor Livium hic quoque invitum esse lapsum, quum antiquiorem auctorem describeret, qui eos contra leges creatos esse tradiderat, recte quod ad annos attinet, intra quos denuo crearentur, non vero quod ad eorum absentiam, solus enim Claudius absens praetor creatus est.

Sine dubio nuntius, quod Galli novi hostes instarent, causa fuit, cur Fabius etiamsi aetate provectus crearetur; ad summum discrimen respublica hoc anno redacta est, et parum abfuit, quin quatuor populi, qui contra Romanum nomen se iunxerant, delevissent totam gentem. Per

hiemem uterque consul cum binis legionibus prorogato imperio manserat in agro hostili, exspectari poterat maior expeditio, respiciebant ergo principes bellatores, quorum praestantem virtutem experti erant. Hunc rerum statum indicaverant prodigia maiora, nec mirum, solent enim plura memorari, quo tristior et gravior reipublicae fuerit conditio; utrum postea prodigia memoriae mandata fuerint a religioso pontifice, an re vera bellum quadruplex praesagierint, nunc non attinet inquirere. Ut fieri solebat supplicatum iverunt omnes Romani; insignem supplicationem fecit certamen inter matronas »in sacello Pudicitiae Patriciae, *quod* in Foro Boario est," quo Liviano loco facile coniicitur quibusnam debeamus lepidam scripturam »sacello Pudicitiae, *quae* in foro est," toti illi in pudicitia istam vel in foro reperiri credebant.

Post contentiones, de quibus dicebam et epistolas Claudii ex Etruria acceptas, extra sortem haec provincia Fabio decrevit senatus populusque. Mox profectus est cum una legione ad oppidum Aharnam, ubi Appius degebat in castris bene circumvallatis. Duas eius legiones statim suscepit, quae in hibernis adhuc se tenebant; nec procul aberat hostes, ut Livius tradit, ita ut Fabius metu liberaverit Romanos, nisi obsidione quoque, ut facile suspicari licet, nam cur media hieme citissimo cursu novus consul profectus erat? Quidquid est, Appium Romam dimisit et statim eam pugnandi rationem instituit, quam anno ante in Samnio felicissimo successu expertus erat, nempe habere nulla stativa sed itineribus ac mutatione locorum mobiliorem exercitum fore ratus. Hinc sequitur Romanos non diutius ad Aharnam stetisse, nec certam esse viam, quam Haakhius Romanos usos esse scribit in Sentinum agrum profecturos. Contra per aliquod temporis in Etruria et Umbria vagabantur, et sic facile intelligitur, Romanos adeo in Umbriam perrexisse imo Gallorum agrum intrasse ut statim videbimus.

Vere primo unam legionem sub L. Scipione propraetore ad Clusium, quod Camars olim appellabant, reliquit, ipse Romam profectus ad consulendum de bello; ubi vero ceteras copias disposuerit, non memoratur, quam difficultatem statim alio modo tollam. Fabii adversarius App. Claudius Romam reversus nonnulla in senatu fertur movisse, perfecturus ut Decius quoque illuc mitteretur, non enim sufficere contendens legiones, quae in Etruria starent; attamen senatus Fabio omnium rerum arbitrium permisit, qui cum Decio mox in Etruriam rediit.

Haec Livius, sed statim subiungit: »invenio apud quosdam extemplo profectos in Etruriam Fabium Deciumque, sine ulla mentione sortis provinciarum certaminumque inter collegas." Simpliciorem illam antiquiorem et longe verisimiliorem duco, obstat enim alteri primum concordia collegarum, quae constat ex censurae historia et secundum quam nunc omnia collegae permisisset, dummodo ante eidem adversatus esset scilicet, et ad populum quaestionem de provinciis retulisset; si iam Fabius solus in Etruriam esset profectus, Decio Samnium obvenisset, at nunc hic describitur Romae degisse. Tum adversatur Fabii iter illud Romam, quod aliunde pedem intulit: nam absente consule Scipio clade fertur affectus esse, quod aliquanto post accidisse evincam; nec boni imperatoris erat exercitum relinquere adstante hoste; affertur quidem itineris causa, quod rediisset de bello acturus in senatu; at consul suo Marte rem gerebat, habebat imperium et auspicia, non opus erat patrum consiliis, et si forte ad collegae auxilia recurrendum esset, non ipse illa arcessivisset sed per legatum, opinor, nam hostes optimo quoque tempore impetum facere poterant. Denique admodum probabile est sine duplici illa contentione Etruriam ambobus consulibus decretam esse; Romae nuntius allatus erat Samnites se iunxisse cum Umbris et Tuscis necnon Gallos socios adscitos esse, adversus hos omnes ambo consules cum

quatuor legionibus et magno equitatu, Campanisque mille equitibus delectis et cum maiore exercitu sociorum nominisque Latini profecti sunt, dum Volumnius imperium cui erat prorogatum, in Samnio rem gereret, cuius res gestas persequi non est huius loci.

Nec tamen huic opinioni obstat Fabium statim subvenisse Claudio, dum Decius ceteros exercitus scriberet; Livius saltem tale quid annuere videtur, et sic erui potest id, quod cum Appii Fabiique inimicitiis ansam dedit fingendis contentionibus istis. Hae autem facile erant inventu Annalium auctoribus et iis historicis, qui oratorie historiam excolebant; quibus in inimicitiis enarrandis quam ingenio suo indulserint, vel Livius agnovit: »sunt, inquit indignabundus, quibus ne haec quidem certamina exponere satis fuerit; adiecerunt et Appii criminationes de Fabio absente et pertinaciam eiusdem adversus consulem, necnon aliam inter collegas contentionem; constare res incipit ex eo tempore, quo profecti ambo consules ad bellum sunt."

Redeamus ad pugnam, qua Scipionis legio deleta est ἐν τῇ Καμερτίων χώρᾳ, ut Polybius habet, aut ad Clusium, quod olim Camars appellabant, ut Livius scripsit. Viri docti in diversa discesserunt quod ad locum huius proelii attinet, Niebuhrius [1] Polybium sequitur Liviumque errasse statuit opinatus in Umbria pugnatum esse; Haakhius contra illius opinionem refellit perhibens intelligendum esse Clusium sive alterum illud oppidum Camars, quod in Etruria a colonis Clusinis conditum credit, ut supra [2] vidimus. Equidem Polybium sequor, nam convenit eius testimonium cum Livio, qui mentionem Camertum quum non concoqueret cum expeditione Tusca, ad antiquam appellationem videtur provocasse; haec Tuscorum et Clusii mentio unde pedem intulerit, facile explicari potest, nam de Gallis

---

[1]) *R. G.* III. 441 n. 637. [2]) Cf. pag. 250.

Senonibus scribenti nulli non historia Brenni et Clusina expeditio in mentem veniebat. Liviana narratio pugnat pro Clusio, quae spernenda est, si in Umbria pugnatum esse constat. Haakhius ponit Fabium reliquisse legionem istam in Etruria, quae reditum eius tueretur; tum credit agmen Gallorum Senonum per saltum Ariminum intrasse Etruriam, dum alterum agmen esset in agro Sentino, sed non opus est ut duplex agmen illud nobis sumamus. Constat nempe pugnam illam non accidisse, quum Fabius adhuc Romae degeret, verum haud ita diu ante secundum proelium, ut Polybius diserte testatur; si enim diu ante accidisset, alio modo adversus hostem illum superiorem exercitus educti essent, nec in hostilem terram processissent. Cum Niebuhrio autem facile crediderim in Umbria stetisse illam legionem, quae prohiberet ne Galli se cum Samnitibus iungerent; hac enim ratione Romani conati sunt, ut quadruplicem hostem seiungerent, quemadmodum alii exercitus Etruriam lacesserent. Attamen non arripienda videtur Liviana fama haudquaquam verisimilis, consules nempe imperasse Volumnio ut ex Samnio accederet, nimis longe aberat ille, ad Tifernum opinor, lacessebat quidem Samnites in suo agro, sed non poterat cum legionibus in Umbriam pervenire. Non credo Fabii alteram legionem et quas ab Appio susceperat, stetisse in vicinia ad Nuceriam, nam cur non subvenissent, aut cur non eos aggressi essent Galli victores, quo modo hi ad Sentinum perrexissent?

Paulo aliter res sese habuisse videtur, dum consules frequenter castra mutantes in Gallorum agrum venissent hostem agressuri, unam legionem orientem versus ad saltum illum locaverant, quem Samnites ut se cum Gallis iungerent, transire debebant. Hic Galli Senones necopinato aggressi sunt Scipionem, vix terminum suum, Aesin fluvium nempe, transgressi; loca ista non adeo distant, ut ista opinioni nostrae obstare videantur, nec opus est igitur ut ad alterum Gallorum agmen recurramus, quod per

quatuor legionibus et magno equitatu, Campanisque mille equitibus delectis et cum maiore exercitu sociorum nominisque Latini profecti sunt, dum Volumnius imperium cui erat prorogatum, in Samnio rem gereret, cuius res gestas persequi non est huius loci.

Nec tamen huic opinioni obstat Fabium statim subvenisse Claudio, dum Decius ceteros exercitus scriberet; Livius saltem tale quid annuere videtur, et sic erui potest id, quod cum Appii Fabiique inimicitiis ansam dedit fingendis contentionibus istis. Hae autem facile erant inventu Annalium auctoribus et iis historicis, qui oratorie historiam excolebant; quibus in inimicitiis enarrandis quam ingenio suo indulserint, vel Livius agnovit: »sunt, inquit indignabundus, quibus ne haec quidem certamina exponere satis fuerit; adiecerunt et Appii criminationes de Fabio absente et pertinaciam eiusdem adversus consulem, necnon aliam inter collegas contentionem; constare res incipit ex eo tempore, quo profecti ambo consules ad bellum sunt."

Redeamus ad pugnam, qua Scipionis legio deleta est ἐν τῇ Καμερτίων χώρᾳ, ut Polybius habet, aut ad Clusium, quod olim Camars appellabant, ut Livius scripsit. Viri docti in diversa discesserunt quod ad locum huius proelii attinet, Niebuhrius [1] Polybium sequitur Liviumque errasse statuit opinatus in Umbria pugnatum esse; Haakhius contra illius opinionem refellit perhibens intelligendum esse Clusium sive alterum illud oppidum Camars, quod in Etruria a colonis Clusinis conditum credit, ut supra [2] vidimus. Equidem Polybium sequor, nam convenit eius testimonium cum Livio, qui mentionem Camertum quum non concoqueret cum expeditione Tusca, ad antiquam appellationem videtur provocasse; haec Tuscorum et Clusii mentio unde pedem intulerit, facile explicari potest, nam de Gallis

---

[1]) *R. G.* III. 441 n. 637. [2]) Cf. pag. 250.

Senonibus scribenti nulli non historia Brenni et Clusina expeditio in mentem veniebat. Liviana narratio pugnat pro Clusio, quae spernenda est, si in Umbria pugnatum esse constat. Haakhius ponit Fabium reliquisse legionem istam in Etruria, quae reditum eius tueretur; tum credit agmen Gallorum Senonum per saltum Ariminum intrasse Etruriam, dum alterum agmen esset in agro Sentino, sed non opus est ut duplex agmen illud nobis sumamus. Constat nempe pugnam illam non accidisse, quum Fabius adhuc Romae degeret, verum haud ita diu ante secundum proelium, ut Polybius diserte testatur; si enim diu ante accidisset, alio modo adversus hostem illum superiorem exercitus educti essent, nec in hostilem terram processissent. Cum Niebuhrio autem facile crediderim in Umbria stetisse illam legionem, quae prohiberet ne Galli se cum Samnitibus iungerent; hac enim ratione Romani conati sunt, ut quadruplicem hostem seiungerent, quemadmodum alii exercitus Etruriam lacesserent. Attamen non arripienda videtur Liviana fama haudquaquam verisimilis, consules nempe imperasse Volumnio ut ex Samnio accederet, nimis longe aberat ille, ad Tifernum opinor, lacēssebat quidem Samnites in suo agro, sed non poterat cum legionibus in Umbriam pervenire. Non credo Fabii alteram legionem et quas ab Appio susceperat, stetisse in vicinia ad Nuceriam, nam cur non subvenissent, aut cur non eos aggressi essent Galli victores, quo modo hi ad Sentinum perrexissent?

Paulo aliter res sese habuisse videtur, dum consules frequenter castra mutantes in Gallorum agrum venissent hostem agressuri, unam legionem orientem versus ad saltum illum locaverant, quem Samnites ut se cum Gallis iungerent, transire debebant. Hic Galli Senones necopinato aggressi sunt Scipionem, vix terminum suum, Aesin fluvium nempe, transgressi; loca ista non adeo distant, ut ista opinioni nostrae obstare videantur, nec opus est igitur ut ad alterum Gallorum agmen recurramus, quod per

Ariminum Etruriam intrasset, ut Haakhius opinatur, nec provocandum est ad hypotheticum oppidum eiusdem Camars, quod coloni Clusini condidissent.

Non tantum quod ad locum pugnae attinet, Polybium sequor, verum cetera quoque arripienda videntur; Samnites et Gallos coniunctim aggressos esse Romanam legionem, quae, ut est apud Livium a tergo atque in medio caesa, denique tota circumventa est et deleta, ita ut ne cladis nuntius superesset, cuius Romani tandem certiores facti sunt, quum Gallorum equites lanceis capita caesorum infixa gestantes appropinquarent. Verum haec fama aliquantisper aucta est, nam vel Scipionis historia impedit, quominus vera sint ista. Alii, addit Livius, Umbros fuisse non Gallos tradunt, nec tantum cladis acceptum, pabulatores tantum circumventos, quibus Scipio subvenit, qui Umbros istos vicit iisque praedam ademit; hic quoque »mutato nomine fabula narratur," ut est apud poëtam.

Recte Livius hoc respuit, et vere omnino subiungit: »similius vero est, a Gallo hoste quam Umbro cladem acceptam, quum eo anno Gallici tumultus praecipuus terror civitatem tenuit." Equidem propter hoc et Polybianum testimonium contendo a Gallis Scipionem hac clade esse affectum, quibuscum procul dubio Umbri erant iuncti, in quorum terra illud accidit, necnon Samnites, qui circa haec tempora in Etruria et Umbria degisse traduntur, quorum monitu saltem Galli arma contra Romanos susceperant. Pabulatores tantum circumventos esse non credo, nam ista fama in hunc modum distorta est, quo cladis dedecus minueretur et quo facilius traderetur Scipionis milites eos devicisse et praeda potitos esse. Gallorum virtus Samnitiumque societas, necnon tempora omnia mihi persuadent, ut credam illam legionem illic stetisse, tum ad reditum consulum tuendum, si opus esset, tum ad Samnites a Gallis seiungendos; consules saltem haud procul abfuisse traduntur. Hi copiarum motus facillime in-

telligi possunt, quibuscum cohaeret alia fama, duos nempe subsidiarios exercitus, quorum unus in Falisco agro et alter in Vaticano stabat, a consulibus iussos esse Etruriam intrare et populando movere Tuscos ad fines suos tuendos. Haakhius hoc argumento utitur ad suam de Clusio opinionem tuendam, ut subvenissent illi Scipionis legioni; fieri potest, sed equidem crediderim omnia simul esse acta, id est consules quidem primos eduxisse suos exercitus, verum eodem fere tempore ad Camerinum pugnatum esse quo iam consules in agrum Sentinum perrexerant, nam aliter non potest explicari eos ausos esse, dum paulo ante Galli superiores fuissent, tamen in eorum agrum pergere; denique subveniebant interea duo novi illi exercitus et Clusium appropinquabant. Hanc urbem Livius nominat, quod cohaeret sine dubio cum illius narratione in Etruria ad Clusium esse pugnatum; apud Frontinum [1] idem nomen legendum est, nam illud in Livio, quem describit, invenerat; scio quidem Niebuhrium [2] eruisse ex Frontini scriptura *Assisium* atque hoc nomen Livio reddendum videri, sed nondum mihi persuasum est hanc opinionem arripiendam esse, nam *Clusium* convenit cum Livii narratione. Quidquid est, absurdum esset credere Romanos exspectare voluisse subsidiorum adventum, dum ipsi iam in agro Sentino starent; nec opus erat, nam ex pugnae enarratione apparet Etruscos non in acie adfuisse, hinc procul dubio successit propraetoribus illis Tuscos abstrahere eorum agrum lacessendo.

Gravissimum proelium in agro Sentinate locum habuit, sive hostibus victoria Camertina elatis, sive quod Romanis placuerit in certamen descendere, antequam hostes se iunxissent, quorum consiliorum certiores facti erant a transfugis, ut fieri assolet. Cum quatuor legionibus et magno equitatu descendunt Romani in campum; Fabius cum

---

1) *Strat.* I. 8 § 3. 2) *R. G.* III. 443 n. 640.

prima et tertia legione stetit in dextro cornu adversus Samnites, Decius cum quinta et sexta in sinistro contra Gallos. Qui quum essent instructi, supervenit cerva fugiens lupum, quae ad Gallos cursu deflexo necata est ab his, dum Romani, quibus nefas videretur Martium lupum interficere, viam ei dederunt inter ordines, laeti omen accipientes. Proelium tunc acerrime gestum est, praesertim ab equitibus; Fabius vero arcebat magis bellum quam inferebat, nam diem malebat »cunctando" extrahere, (non est quod quaeramus unde hoc irrepserit), probe enim sciebat Gallorum animos residere longiore certamine [1], vel potius eos non assuefactos esse aestu pugnare, quod eorum vires non adeo sinebant quam Samnitium quorum patria paulo magis ad meridiem est. Non ita fecerat Decius, quem taedebat pedestris lentioris pugnae, itaque tristi successu equitum turmas tunc in hostem concitavit, nam quum frustra illi impetum dedissent, novum pugnae genus Romanos conterruit, ruit nempe essedis carrisque superstans armatus hostes et ingenti clamore armorumque sonitu turbat Romanorum aciem. Tunc consul Decius paterni facinoris memor se devovit pro populo Romano Quiritium, adhibito pontifice M. Livio, quem ab se digredi vetuerat. Non verum est igitur, quod Zonaras [2] scribit, eum consilium suum communicasse *μή τινι*, ubi forte *μηδενί* erit rescribendum; irrita fuisset devotio nisi pontifice carmen praefante, ut Romanis saltem videbatur.

Romanorum animos nobili morte admodum incensos fuisse, facile credimus, sed plus effecerunt, ni fallor, subsidia quae sub Scipione et Marcio Fabius submisit; his contigit belli fortunam mutare per illud aciei genus, quod cuneus dicitur. In altero cornu quum satis diem Fabius extraxisset arcendo bellum et defendendo, iussit equites circumvenire hostem, qui motus successu non

[1]) Front. *Strat.* II., 1 § 8. [2]) VIII. 1.

caruit; tunc enim omnibus copiis collectis impetum dedit in hostem, quem Samnites non sustinuerunt, contra Galli testudine facta pedem non moverunt, donec a Campanorum ala circumventi sunt. Denique Gellius Egnatius dux Samnitium cecidit, quum Romani castra aggressi erant; hic finis fuit atrocissimi proelii, Galli partim caesi sunt, partim in suam patriam se receperunt sive per Ariminum saltum, ut Haakhius vult, sive per alium.

Ideo summi momenti fuit haec pugna, quod Egnatius cecidisset, strenue ille virtutis militaris haudquaquam expers patriam defenderat sociosque submoverat contra parvum illum populum, qui deinceps totam devinceret Italiam; hoc duce caeso fracta erat vis Samnitium et soluta societas cum Gallis et Tuscis, et sic facilius Romani eos devincere potuerunt. Huic rei tribuo, quod Samnites domum redeuntes partim a Pelignis in itinere impediti partim a Claudio et Volumnio itidem superati sint in atrocissimo proelio, quum ex Romanorum exercitu 2700 caesi sunt ac ex hostili acie 16300 et 2700 capti.

Fabius funere collegae rite celebrato spolia Iovi Victori cremavit, quod sic videtur accipiendum esse, Romanos non potuisse spolia secum ferre, sive ab hostibus impediti fuerint, sive nimia clade ipsi affecti. Non abhorret suspicio eandem causam Rulliano fuisse, quum magister equitum spolia omnia concremavit [1], nisi forte ex hac vera fama altera sit repetita etiamsi apud Pictorem [2] legeretur.

Interea propraetore Cn. Fulvius Etruscos devicit, nempe cum Perusinis et Clusinis pugnavit. Sed varia et incerta fama fuit, quibusnam haec et illa tribueretur victoria, quod solemne est in historia Romana; et recte omnino subiungit Livius quosdam augendo fidem superasse, qui Umbros et Tuscos quoque pugnasse tradunt in agro Sentinate, ita ut 40,330 pedites, 6000 equites et mille car-

---

[1] Cf. § 3 huius Capitis, p. 237. [2]) Cf. Q. Pict. fragm. XXIX, p. 189.

penta fuissent, de quibus numeris conferatur omnino Niebuhrii [1] opinio, aut 100,000 secundum Duridem apud Diodorum [2]; alii tradebant Volumnium quoque in consulum acie adfuisse sed equidem non dubito, quin veriorem famam Livius elegerit, nam sic contra quatuor hostes longe facilior pugna fiebat, dum Volumnius in ipso Samnio, Fulvius in Etruria hostes detineret, et iam satis est si ex Decii exercitu 7000 et ex Fabii 1700 ceciderunt verum ex hostibus 25000 et 8000 capta.

Denique Rullianus triumphum iustissimum duxit ex hoc bello, militibus dedit ex praeda octogenos binos aeris sagamque et tunicam, et unus optime meritus Urbem intravit.

Q. FABIVS M. F. N. N. MAXIMVS RVLLIANVS III COS. V AN. CDLIIX. DE SAMNITIBVS ET ETRVSCEIS GALLEIS PRID. NON. SEPT.

Aurelius Victor hic quoque falsa tradit, ubi quartum populum his addit Marsos nempe, de quibus per totum hoc bellum nulla fit mentio.

Si vera retulit Livius, consul post triumphum rediit in Etruriam rebellantem, quod non verisimile est; nam aut peregit illa nondum Romam reversus, aut Decianus exercitus secundum quosdam relictus res illas confecit; Perusinorum ingens numerus a Fabio fertur occisus esse, sed fluxit haec fama ex alia victoria, nec fidem merentur numeri caesorum captorumque. Facile crediderim partem huius expeditionis Tuscae Fulvio esse vindicandam, et Livium illud legisse apud eos, qui tradebant omnes copias in agro Sentinate pugnasse, unde fama Perusinae defectionis aliorumque in Fabium transiit.

Sed haec de nobilissimo Rulliani consulatu sufficiunt, ne quem pigeat longinquitatis legendo, ut Livius non iniuria verebatur. Optime Fabium de patria esse meritum, non est quod dicam, triplicem hostem delevit, et sic summo iure ob huius quoque expeditionis bellicam

---

[1]) *R. G.* III. 451 n. 647. [2]) XXI. 13.

virtutem insigni cognomine esset ornatus; posteri huius honoris historiam non auxerunt, verum nonnihil ex eo in praecedentes transtulerunt.

§ 17. *Princeps Senatus* 455 [1].

Vidimus hoc quoque genti Fabiae ornamentum esse habitum, quod ex illa tres continui principes senatus exstiterint, Rullianus noster eiusque pater (13) et filius (23). Adeptus est hunc honorem post censuram, ergo sequenti lustro, id est anno 455. Quoties princeps lectus fuerit, nescimus, sed male coniiciunt septies illud accidisse; bis vel ter crediderim, anno 462 saltem vixit adhuc, nec vero eius filius statim in nostri locum successit, ut supra [2] dictum est.

§ 18. *Mors.*

In Rulliani filii consulatu dicam [3], quo modo pater praesto fuerit illi, quum male pugnaverat; superest tantum, ut de eius morte moneam. Ignoramus quo anno acciderit, et innotuit nonnisi quod populus fertur [4] tantum aeris contulisse, ut inde filius viscerationem et epulas publice daret. Attamen haud scio an levissima Victoris auctoritas praeferri possit prae Plutarcho, qui in Q. Fabii Maximi Cunctatoris vita describenda finem [5] faciens eandem rem tradidit, populum sponte contulisse tamquam ad patrem sepeliendum; obstat quidem huic testimonio, quod Livius ne verbum habet de hac re, ubi Cunctatoris mortem describit [6]. Hanc quaestionem non dirimit Valerii Maximi locus [7], nam quod subiungit Q. Fabium Maximum illum quinque consulatibus salutariter reipublicae administratis decessisse, cadit in utrumque Fabium, et certant viri docti utri ille locus tribuatur. Equidem Plutarchi testimonium,

---

[1]) Plin. *H. N.* VII. 41. [2]) Cf. Lib. II. Cap. v § 8, p. 118. [3]) Cf. Cap. II § 3 huius Libri, p. 289. [4]) Aur. Vict. *V. I.* 32. [5]) Cap. 27. [6]) XXX. 26. [7]) V. 2. 3.

quod Valerius annuit potius quam refellit, vel tacente Livio praefero prae Victoris loco, nam temporibus belli Punici melius convenit illud quam Rulliani; tunc potuit mos invaluisse maiore pompa nobilissimi cuiusque cadaver in publico funere deducere in forum, et ludos celebrare lautiores, inter quos visceratio quoque suum locum postulabat.

CAPUT II.

QUINTUS FABIUS Q. F. M. N. MAXIMUS GURGES (23).

§ 1. *Agnomen* [1].

Rullianus habuit filium Q. Fabium, qui Gurges dictus est, quippe qui patrimonium devoraverat, sed haec vitia ineuntis aetatis insignibus virtutibus compensavit. Agnomen ignominiosum adhaesit tamen, nec est quod miremur ex depravatis moribus Romanis cognomina esse nata, ignominia et invidia enim generi humano iam olim insita erat, nec aliud significat notissimum Romanum agnomen Nepos.

§ 2. *Aedilis* 459 [2].

Duplex fama erat de Gurgitis aedilitate, ad hunc enim retrahendam crediderim famam, quam Livius [3] recte spernit. Scribit nempe anno 455 »civitatem annonae caritate sollicitam fuisse, ventumque ad inopiae ultimum foret, ut scripsere quibus aedilem fuisse eo anno Fabium Maximum placet, ni eius cura, qualis in bellicis rebus multis tempestatibus fuerat, talis domi tum in annonae dispensatione, praeparando ac convehendo frumento, fuisset." Rullianum ergo intelligebant, sed non convenit ille honos cum viro censorio et consulari; contra ab eius filii aetate non

---

[1]) Macrob. *Sat.* X. 11. [2]) Liv. X. 31. [3]) X. 11.

abhorret, hinc suspicatus sum historicos Gurgiti tribuisse, ut Pighius illud postea fecit, aedilitatem anni 455, qui anno 462 consulatu functus est; nisi forte re vera annonae caritas fuerit, quam princeps tunc in republica Rullianus mitigaverit frumentum convehendo, cuius rei fama in aedilitatem praepostere excrevit.

Gurges anno 459 aedilitatem gessit, quarto anno ante consulatum, cuius rei simile exemplum exstat in Ti. Gracchi historia, qui aedilis fuit anno 538, consul anno sequenti. Innotuit hic magistratus propterea, quod matronas nonnullas stupri damnatas ad populum pecunia multavit, ex quo multatitio aere Veneris aedem, quae prope Circum fuit, faciendam curavit. Stuprorum iudicium penes aediles esse, docet historia [1].

Satis verisimilis Haakhii suspicio matronas istas a Gurgite in ius vocatas esse propter inimicitias, quas gerebat ille cum nobilissimis istis, quippe qui ipse moribus solutis fuerit.

Cohaeret cum fama templi Veneris sine dubio id quod de Gurgite legimus apud Virgilii commentatores in codice Fuldensi [2]: Fabium nostrum vovisse aedem Veneri Obsequenti post bellum Samniticum, quod sibi fuerit obsecuta. Cui rei si fides haberi potest, militavit Gurges in bello illo iam ante aedilitatem, quod equidem urgere noluerim.

§ 3. *Consul* I. 462.

Q. FABIUS Q. F. M. N. MAXIMUS GURGES [3].
D. IUNIUS D. F. BRUTUS SCAEVA.

Quum comitia consularia in hunc annum [4] instarent, et Gurges inter candidatos peteret, frustra pater obnisus esse

---

1) Liv. VIII. 22, XXV. 2; Val. Max. VI. 1. 7. 2) *Ad Aen.* I. 720. 3) Fast. tri. 574; Liv. X. 47; Val. Max. IV. 1. 5; Eutrop. II. 9; Oros. III. 22; Dion. Hal. XVI. 16; Dio Cass. fr. 36. 30; Plut. *Fab.* 24; Zonar. VIII. 1; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 4) Liv. X. 47, Epit. XI; Val. Max. IV. 1. 5, V. 7. 1; Eutrop. II. 9; Oros. III. 22; Dio Cass. fr. 36. 30; Plut. *Fab.* 24; Zonar. VIII. 1; Suid. v. *Φάβιος Μάξιμος*.

fertur, ut tandem vacatio huius honoris Fabiae genti daretur, non quod virtutibus filii diffideret, sed ne maximum imperium in una familia continuaretur. Equidem hanc Rulliani moderationem summopere in dubium voco, nam non sic solebant Romani, qui in multis honoribus in una eademque gente continuatis magnam laudem inesse contendebant nec iniuria. Alia causa erat, cur honorem abnueret et resisteret pater, non satis filii virtuti fidebat ille, hinc potius recusasset munus; convenit saltem illud cum moribus Gurgitis et cum adversa fortuna, quam mox consul perpessus est. Posteri, qui mentionem invenerant Rulliani honorem dissuadentis, non poterant concoquere illud cum ceteris Gurgitis consulatibus, ergo pater filii virtutibus diffidere non poterat, ut istis videbatur, qui mox moderationem Rulliani afferunt, quam laudibus persequuntur. Haec simplicissima rei explicatio verisimilior videtur, ni fallor, quam Haakhii suspicio, Rullianum nempe summopere contendisse ut filius consul crearetur, cui App. Claudius restitisset, quod Zonaras annuere videtur dicens consules non ex virtute creatos esse. At Papirii virtus bellica constat, nec Zonarae testimonium urgendum est, nam non vera assecutus est ille in iis, quae statim de Fabii expeditione subiicit; denique famam Rulliani non sic invertere audeo cum Haakhio, nec opus esse videtur.

Gravis pestilentia hoc anno supervenit, ad quam sedandam Xviri libros adierunt, in quibus inventum est Aesculapium Epidauro Romam esse arcessendum; propter belli molem fieri non poterat illud, Aesculapio supplicatio unius diei sufficere videbatur; frustra, nam per tres annos pestilentia duravit, donec anno 463 anguis Aesculapii signum Epidauro Romam translatum fuerit, cui deo aedes consecrata est in insula Tiberina [1].

---

[1]) Liv. Epit. XI; Val. Max. I. 8. 2.

Samnitium quidam Pentri nempe necnon Falisci hac pestilentia usi Romanos infestabant; Gurges in Samnium profectus est, sed sicut iam diximus, adversa pugnavit fortuna; amisit exercitum, tria millia caesa sunt, et totus victus ex hostili terra rediit, imo Romam traditur esse revocatus, additque Suidas eum a magistratu esse remotum, sed hoc verum omnino non est, ut ipsa historia docet. Eum Romam fugisse, quod Orosius vult, non credo; contra senatus ira incensus in consulis imperitiam deliberavit de removendo illo ab exercitu. Ne hoc in summum familiae dedecus fieret, venerandus pater septuagenarius senatum deprecatus est, se ultro filio legatum offerens, ut ignominia depelleretur bellique fortuna verteretur.

Zonaras rem aliter enarrat, nec tamen recte, ni fallor; tradit senatui placuisse, quum consules non ex virtute creati essent, Fabio patrem proconsule submittere; huius adventus tum hostes tum Gurges certior factus erat, hic enim, ne in patrem expeditionis laus redundaret, antequam adesset absque ordine impetu facto, in confertos hostes delapsus clade affectus est, hostes vero metuentes Fabii patris adventum sponte recesserunt scilicet. Propter huius pugnae exitum quum senatus consulem revocaret, pater effecit, ut ipse ad eum profectus illum adiuvaret. At quis non videt alteram famam longe verisimiliorem esse, Rullianus enim aetate provectus non legati munere functus esset, nisi postquam filius adversa fortuna pugnasset, et ne ignominiose revocaretur, ipse senex pollicitus esset se cladem ulturum esse.

Non frustra Rullianus senatorum iram mitigavit, quippe qui impetrata venia statim ad filium profectus est, non sine nova legione, opinor. Experientia patris nisus aciem struxit, mox proelium conseritur contra Samnites, qui sub C. Pontio adstabant. Senex exemplo suo movet milites, auget eorum animos, etiamsi non crediderim, quod Orosius addit, eum equo vectum se in medium agmen in-

gessisse, quum filium infestis hostium telis conclusum videret; nil aliud est quam ornata fama, quod filium adiuverit in proelio. Denique auxiliis et consiliis Gurgiti adfuit, cui sic contigit Samnites superare, quos devictos castris exuunt, eorumque ducem cum quatuor millibus suorum captivum abducunt, dum viginti millia caesa sunt. Gravissimum illud proelium propter hunc exitum multum effecit ad Samniticis bellis finem imponendum, ut facile intelligitur.

§ 4. *Pro consule* 463 [1].

Non statim Gurges ex hoc successu Romam rediit, sed bellum persecutus Pentrorum agrum circa Bovianum subegit rebellantesque Samnites terra atque praeda multavit. Quum iam bellum ad optatum finem facilius perduci posse videbatur duce occiso, placuit patribus Gurgiti imperium prorogare, attamen in sex menses, ut triumphi dies annuit. Pater proconsuli quoque adfuit, sub quo libenter socii militasse traduntur, et Samnitium urbes cepisse [2]; etiam tunc filium ita adiuvavit, ut hic omnia gerere videretur.

Cominium obsessit, sed quum parum abesset, quin eam caperet, consul L. Postumius Megellus Fabii inimicus non ferebat Gurgitis prorogatum imperium, ita ut eum provincia decedere iuberet. Senatus legatos misit ad consulem contumacem, sed ignominiose eos suscepit et armis coegit Fabium relinquere provinciam suam.

Cum Samnitibus quum de pace ageret, huic colloquio Rullianus quoque interfuit secundum Valerium Maximum [3], qui nobis auctor est filium invitasse patrem, ut pone proximum lictorem praecederet, ne forte hostium turba elideretur, sed noluit pater hoc frui honore, qui imperatoris tantum erat. Dubitatum est, an hoc negati honoris documentum

---

1) Dion. Hal. XVI. 16; Zonar. VIII. 1. 2) Eutrop. II. 9. 3) II. 2. 4.

ad Rullianum esset referendum propter simile Fabii Maximi cuiusdam exemplum, quod ad eundem Fabium pertinere ipse addit, sed quod de Cunctatore referunt alii [1]. Valerius autem duo exempla in unum Fabium contulisse videtur propterea, quod uterque quinquies consul fuerit et legatione functus sit in re simillima; apparet tamen Valerium sibi voluisse Rullianum, nam hic iam quinque consulatus gesserat quum legatus esset, necnon aetate provectus erat, denique cum Samnitibus pacem componebat, dum neutrum cadit in Cunctatorem.

Vel obstante Postumio non Romam statim rediit Gurges, ubi pro consule reversus est, quod miror Fastorum editores nondum supplevisse:

Q. FABIUS Q. F. M. N. MA*XIMUS* GURGES PRO COS. *AN. CDLXIII.*
DE SAMNITIBUS *K. SEXT.*

Quo in triumpho difficile dictu erat, utrum pater an filius civitati magis acceptus fuerit, bello Samnitico post 49 annos tandem confecto. Senex Rullianus in triumpho equo insidens sequebatur filii triumphantis currum; tunc quoque ei tribuit gloriam rei quam ipse administraverat, ut ab illo videretur peracta. Pontium Samnitium nobilem ducem postquam inservisset ad ornandum triumphum, more Romano imperator securi percuti iussit.

§ 5. *Censor* 474 [2].

Q. FABIUS Q. F. M. N. MAXIMUS GURGES.
CN. *DOMITIUS CN. F. CN. N. CALVINUS MAX*IMUS
POSTEAQU*AM DICTATURA ABIIT.* *L. F. XXXII.*

Quum Gurges noster a Plinio [3] fertur senatus princeps fuisse, censorius fuit. Hinc Pighius ei hunc honorem tribuit anni 474; at prorsus eodem iure censura 465 ei tribui potest, cuius lustri uterque censor ignoratur.

---

1) Liv. XXIV. 44; Gell. II. 2; Plut. *Fab.* 24; cf. Cap. v § 13 huius Libri.
2) Fast. Cap. h. a. 3) *H. N.* VII. 41.

§ 6. *Consul* II. 478.

Q. FABIUS Q. F. M. N. MAXIMUS GURGES [1].
C. GENUCIUS CLEPSINA.

Unicus Orosius [2] atque Fasti triumphales nobis de hoc Gurgitis honore auctores supersunt. Gravissima pestilentia accidit hoc anno, sic bellorum intercapedo non vero malorum fuit, nam de coelo ira introrsum agitata est, quum et in Urbe et in vicinis agris mulieres atque pecudes pesti absumerentur, foetus cum matribus peribant, mox proles defutura credebatur. Mirum mihi accidit, quod secundo quoque Gurgitis consulatu pestilentiae mentio facta sit, sicut de primo vidimus, hinc suspicio nata est famam pestilentiae, quae consule Gurgite accidisset, male in annalibus repetitam ad utrumque consulatum; cohaeret autem cum hoc metu prolis deficientis fama aedis Veneris Obsequentis, quam Gurges aedificavit. Hinc facile crediderim secundo tantum consulatu civitatem pestilentia affectam esse, cui opinioni respondet Servii [3] fama Fabium nempe in bello Samnitico aedem illam vovisse.

Sive pestilentia hoc anno fuerit sive priore consulatu, in neutrum cadit quod Orosius scripsit bellorum fuisse intercapedinem, siquidem neutro anno belli requies fuerit, quod Fasti triumphales evincunt:

Q. FABIUS Q. F. M. N. MAXIMUS GURGES II COS. II AN. CDLXXVII. DE SAMNITIBUS LUCANEIS BRUTTIEIS QUIRINALIBUS.

Qui triplex triumphus non sine bello ductus esse potuit, circumspiciamus itaque quo modo intercapedo ista accipienda sit. Versamur circa hos annos in bellis atrocissimis, quae contra Pyrrhum Romani gesserunt. Qui quo modo anno 474 ad Heracleam Romanos vicerit et fuderit non enarrabo, neque anni 475 alteram victoriam ad Asculum, etiamsi historici eas miserum in modum miscuerunt. Anno interiecto Fabricius missus est contra Pyrrhum, quocum

[1]) Fast. tri. h. a.; Oros. IV. 2; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. [2]) IV. 2; Aug. *de Civ. Dei* III. 17. [3]) *Ad. Aen.* I. 720.

tamen manus non conseruit, nam autumno anni 476 Pyrrhus Italiam reliquit a Syracusanis arcessitus, et sic per tres annos Romanis requies fuit belli cum Pyrrho.

Nec tamen otium illud pacatum fuit, Pyrrho enim absente Romanis subigenda erat bona pars Italiae, quae ab iis defecerat, simulac summus ille belli dux in Magnam Graeciam traiecerat affulgente spe libertatis. Pervenerat ille populabundus iam ad Praeneste, id est ad XX lapidem, unde facile intelligitur ambos consules contra novum hostem missos esse, quem etiamsi vincere non potuerint, toti fuerunt in subigendis Italiae populis; de Fabricio praeter Fastos Eutropius [1] et Valerius [2] docent, C. Iunii triumphus de Lucanis et Bruttiis anno 477 et Gurgitis nostri de Samnitibus, Lucanis et Bruttiis a solis Fastis traduntur, nec ideo iis fidem denegamus in summa classicorum penuria, nam ubi semel Pyrrhus solum verterat, difficillimum erat Romanis legionibus in pristinam formam redigere illos populos, qui spe libertatis duce nobilissimo defecerant.

§ 7. *Legatus Alexandriam* 481 [3].

Gurgitem interfuisse legationi, quam Romani hoc anno ad Ptolemaeum miserunt Alexandriam, supra [4] in vita Numerii Pictoris (27) diximus. Ex eo quod princeps ille senatus legationi quoque princeps fuerit [5], apparet Romanis munus illud momenti haud expers esse visum.

§ 8. *Consul* III. 489.

Q. FABIUS Q. F. M. N. MAXIMUS GURGES III [6].
L. MAMILIUS Q. F. M. N. VITULUS.

Innotuit tertius et ultimus Gurgitis consulatus nobilissima censura Cn. Cornelii Blasionis et C. Marcii Rutili II,

---

[1]) II. 14. [2]) I. 8. 6. [3]) Dion. Hal. XX. 4; Dio Cass. fr. 41; Zonar. VIII. 6; Val. Max. IV. 3. 9. [4]) Cf. Lib. V. Cap. III § 1, p. 147. [5]) Nieb. *R. G.* III. 641. [6]) Fast. tri. 478; Zonar. VIII. 7; Flor. I. 21 An. Nor.; Fast. Sic.

qua quum hic altera vice fungeretur, tulit utilissimam Marciam legem, qua in posterum censorio non liceret censuram petere [1].

Videamus de bello Volsiniensi [2], sive ut vera huius nominis scriptura videtur *Vulsiniensi*, quam Fasti triumphales habent, ut et optimi Flori codices, p. 3 et 26 ed. Iahn, qui tamen negligentius hic formam per *o*, illic per *u* scripsit. Habitabant illi Etruriae partem circum lacum Vulsiniensem, cui adiacet ad Orientem Umbriae infima pars; quae civitas et potentia et situ fortissima bonisque legibus fruens, non facile a Romanis devicta est; neque tamen constare suspicor, fuerintne illi Romanis subacti, nam utpote civitas foederata suis fruebatur legibus atque institutis, nec extrinsecus bella movebat. Ex otio autem mox desidia orta est, nam servis Vulsinienses commiserunt non tantum quae isti hominum generi sunt relinquenda, verum etiam difficiliora quaedam, rem militarem nempe publicamque. Non mirum inde secutum esse, quod exspectari poterat, servos in dominorum locum subvenisse, atque eos regere qui regendi erant. Operae pretium est de hac mutata hominum condicione inspexisse Orosium, qui praeter consulum nomina idem narrat. Hunc locum non ex Orosio descripsit Freculphus, qui totum fere Orosium in suos Annales transtulit, sed ea ratione, ut ea quae taederet, omitteret et ad nova quaeque transiret per solemne suum »Igitur", quo diversissima quaeque iungit. Freculphus [3] autem Florum aut Iornandem potius descripsit, quo duce obiter emendandus est hic locus »libertatem a dominis data contra ipsos *se* erexerunt", ubi cum Floro rescribendum »libertatem a dominis data*m* contra ipsos erexerunt."

Huius rerum status quum tandem principes pertaesum esset, clam Romanorum auxilium circumspexerunt. Missi

---

1) Liv. Epit. XVI; Eutrop. II. 18; Val. Max. IV. 1. 3; Plut. *Cor.* 1.
2) Flor. I. 21; Oros. IV. 5; Zonar. VIII. 7. 3) II. IV. 28.

sunt Romam, qui de libertate Vulsiniensibus restituenda agerent, quod quum Samnis quidam aperuisset, iratus populus in nobilissimum quemque Vulsiniensem saeviit. Quae caedes incitarunt patres conscriptos ad hunc quoque populum subigendum, qui solus in Italia non audiebat Romanis.

Missus est Gurges ad Vulsinienses de dominatione servorum liberandos sed re vera populo Romano subigendos; qui quum pugnam iniisset, eos fugatos in urbem reiecit, quam coepit oppugnare nec tamen perfecit, vulnere afflictus diem supremum mox obiit. Vulsinienses illa morte elati erupuerunt, frustra tamen, nam in urbem iterum repulsi sunt, qua diruta in superbos servos saevitum est, ceteris in alium locum urbem condere concesserunt Romani. Quae omnia sequenti demum anno accidisse videntur, etiamsi Zonaras non addidit illud, nam M. Fulvius Flaccus de iis triumphavit kalendis novembribus sequentis anni. Et sic tota Italia quum in Romanorum venerat potestatem, bellum Punicum instabat.

§ 9. *Nummus* [1].

GURGES; Caput Romae galeatum.

*Q. MAX*imus *Q*uinti *F*ilius *EX* *S*enatus *C*onsulto; triremis imperatoria, in imo *ROMA*.

Goltzius hoc suo nummo Gurgitem nostrum celebravit, sed ita, ut simul suam ignorantiam in numismatica celebraverit. De more enim ex genuinis nummis novum conflavit, verum non satis distinxerat tempora, ita ut typum longe recentiorem Gurgiti obtruserit. Vaillantius recte illud perspexit, qui propter istum posuit fuisse alterum Gurgitem nostri filium nempe, qui anno 493 quaestor fuit et 498 aedilis. Nil falsius, nam apparet Gurgitis filium Maximum tantum esse appellatum, et agnomen ignomi-

[1]) Vaill. N°. 7; Mor. XVI. 5.

niosum patri reliquisse; quod quum ita sit, aut ad Gurgitem nostrum aut quod equidem malo inter Goltzianos suspectae fidei referatur.

CAPUT III.

FABIA UXOR ATILII CALATINI (24).

§ 1. *Sorae proditio* 439 [1].

Valerius Maximus nobis servavit Q. Fabii Maximi dictum memorabile, unde nobis innotuit Maximi filiam nuptam fuisse Atilio Calatino, patri fortasse A. Atilii Calatini A. f. C. n. consulis 496. Niebuhrius [2] extra dubium illud posuit, sed obstat quod consul anni 496 non ante 453 natus fuerit atqui 15 annos post Sorae proditionem, quum pater eius iam duxerat Fabiam: attamen non audeo cogitare de C. Calatino illius consulis avo.

De ipsa Fabia nil monendum habeo, nolo tamen hunc locum missum facere, priusquam de Sorae proditione verbo monuerim. Videtur Sorae praefuisse Atilius, quod quum oppidum ad hostem defecisset, ab Atilio proditum esse videbatur, accusatus est igitur ille nec tamen damnatus, nam socer Q. Fabius Maximus eum ex periculo subtraxit paucis verbis affirmans: »si in eo crimine sontem illum ipse comperisset, diremturum se fuisse affinitatem." Cui testimonio fidem habuit populus, credens ei, cui in difficillimis reipublicae temporibus exercitus se crediderat.

Alii, inter quos novissimus Valerii editor Kempf, opinantur Fabii Cunctatoris esse dictum, et quum bello Punico II Hannibal tamdiu in Italia degit, Sorae deditionem accidisse atqui M. Atilium intelligendum, filium consulis 496. At huius rei quum illius temporis testes locupletissimi nullam faciant mentionem, nam nonnisi nomen eius oc-

[1]) Val. Max. VIII. 1. 9. [2]) *R. G.* III. 266 n. 398.

currit inter 12 illas colonias, quae milites suppeditare abnuerunt anno 545 [1], malo cum aliis trahere Fabii dictum ad Sorae deditionem, quam Livius [2] et Diodorus [3] tradiderunt. Nec opus est alteram fingere, siquidem Atilii accusatio temporibus belli Samnitici recte potest iungi; Samnites enim quum socios sibi adsciverant Nucerios, ceperunt Plistiam necato praesidio Romano, moliebantur nempe tunc, quod parum abfuit quin iis contigerit, Romanos ex Campania pellere, aut viam occupare, quae Roma in Campaniam ducebat; Sora igitur pellendi erant, quod quo facilius fieret, egerunt cum Soranis, nec frustra, nam nil quidquam potuit praesidium contra Samnites vix subactos, quibus laeta spes libertatis affulgebat.

Penes Rullianum illis temporibus summa rerum potestas erat [4], quippe qui dictator, in cuius historiam haec recte cadunt. Iratus populus, quod tradita Sora nunc devia esset iter faciendum in Samnium et Campaniam, Atilio traditionem vitio vertit; qui quum in iudicium vocatus esset, dictator qui probe tenebat nil quidquam posse praesidium in seditiosa urbe iamiam defectura, ostendit vanas esse populi criminationes, atque testatus est se generum suum ferre non posse diutius, qui dedisset hostibus urbem. Sic populus rei certior factus Atilium absolvit. Accidit illud, quum Romam rediisset dictator ex pugna ad Lautulas. Quum ergo haec facillime ita explicari possunt, non possum alteram sententiam amplecti; concedo quidem in bello Punico secundo multas urbes defecisse et Soram inter duodecim colonias occurrere, quae milites et pecuniam non amplius suppeditare poterant nec volebant, sed nonnisi oratorie Livius auxit concionem illam, ubi colonias istas deficere scribit, si enim re vera omnes illae defecissent, alius rerum eventus fuisset, ni fallor.

---

[1]) Liv. XXVII. 9, XXIX. 15. [2]) IX. 23. [3]) XIX. 72.
[4]) Cf. Cap. I § 6 huius Libri, p. 243.

Ex hoc Rulliani dicto sequitur Fabiam in manu patris fuisse, atqui nonnisi per usum nuptam Atilio; cuius tamen rei exemplum iam id temporis miror; hinc malo Valerio ista verba tribuere aut illius fonti, nam Fabium sic esse locutum, nondum persuasum mihi est, nisi usus ille ex ordine plebeio, ad quem Calatini pertinebant, explicandus sit.

CAPUT IV.

QUINTUS FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS (29).

§ 1. *Genealogia.*

Pervenimus ad eum Fabium, quem medium inter Gurgitem (23) et Cunctatorem (33) censeo inserendum; contra Livius [1] aliique posuerunt Cunctatorem Rulliani nepotem, Gurgitis filium, dum Plutarchus [2] unum genus inserit, recte omnino, nam Cunctator honoribus functus est 521—545, qui non filius sed nepos fuisse apparet Gurgitis, qui honores gessit inter annos 462 et 489, intersunt enim 60 anni qui rem conficiunt.

Si iam Cunctatori *πρόπαππον* Rullianum posuimus, medium inter Gurgitem et Cunctatorem iure mihi videor revocasse Q. Fabium illum, qui anno 487 aedilitius fuisse fertur. Ergo nisi contra legatos Apolloniates publice deliquisset, functus esset sexto anno post consulatu i. e. 493, qui annus medius inter 462 et 521 patris filiique consulatum. Concedo autem in iis locis, ubi memoratur noster, non additum esse Maximi cognomen, sed equidem non dubito, quin Gurges hoc ei tradiderit.

§ 2. *Aedilis* 487 [3].

Versamur circa ea tempora, quum post finitum bellum Tarentinum degebant Romani in ultimis Magnae Graeciae

---

1) XXX. 26. 2) *Fab.* 24. 3) Liv. Epit. XV; Val. Max. VI. 6. 5; Dio Cass. fr. 42; Zonar. VIII. 7.

terris subigendis et coloniis firmandis. Tradit Zonaras inter 485 et 489 ipsius Graeciae incolas aegre vidisse ingentem numerum coloniarum Romanarum, ex quibus haud vanus terror iis nascebatur; nec dubito, quin Romani traiecissent in Graeciam, nisi cum Poenis res gerenda fuisset. Apolloniates tunc miserunt Romam legatos de re Romana excrescente questuros, nam Apollonia et Brundisium brevissimo quae distant spatio primum metuebant impetum. Qui legati in senatu auditi sunt, sed Q. Fabius et Cn. Apronius aediles orta contentione eos pulsarunt, ut Valerius tradit.

Ius gentium violatum videbatur et hercle erat, nec mirum quod ubi senatus rem compertus est, iusserit continuo Fabium et Apronium per fetiales dedi ex constanti more. Qui ne in itinere a cognatis istorum iniuriam acciperent, quaestor iussus est istos Brundisium comitari. Apolloniam legati cum deditis rediere, sed non placuit Apolloniatibus deditos recipere, nec mirum, nam belli causam inde duxissent Romani. Reversi sunt itaque illi quidem, iure postliminii capitis diminutionem non perpessi sunt, sed viam ad honores altiores sibi intercluserant.

Dubitatur, utrum Fabius solus deditus fuerit, an alter quoque, Zonaras illius tantum fecit mentionem. Neque constat fuerintne illi aediles an aedilitii, quo nomine variant codices; neque analogia rem conficit, praetoris [1] enim munus fuisse fertur hospitium publicum praebere legatis exterarum nationum. Dio et Zonaras Fabium senatorem dixit, contra Livii epitomator quosdam iuvenes pulsasse legatos scripsit; denique non urgendum videtur Livianum illud et cum Valerio eum aedilem posuerim, cui rei anni non obstant.

---

[1]) Liv. X. 45, XXX. 17, XXXIV. 57, XLV. 44.

CAPUT V.

QUINTUS FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS VERRUCOSUS CUNCTATOR OVICULA (33).

§ 1. *Agnomina.*

Pervenimus ad Quintum illum Fabium qui summo iure *Maximus* est cognominatus, etiamsi hoc nomen iam tunc hereditarium [1] fuit. Scio quidem Polybium [2] nobis esse auctorem alius opinionis, secundum quam bellicae laudis causa noster primus sic esset dictus, sed fallitur hac in re; non opus est, ut multis errorem evincam, aut cum Perizonio [3] eum redarguam; tenendum est tamen ut modo dicebam, non constare an pater eius hoc quoque cognomine ornatus fuerit; quo si gaudebat, fieri potest, ut propter virtutem suam antiquum nomen de novo illi adhaeserit, quod equidem non crediderim. Quidquid est, Polyaeni [4] sperni potest colloquium Fabium inter, qui Maximus cognominatus esset et Scipionem, qui Magnus audiebat, actum sit de sermone, cuius argumentum cecidit.

Verrucosi ornatus est agnomine ex vitio corporis, cuius rei plura exempla in Romanis feruntur, unde apparet haud ita excultum fuisse populum; eodem modo dicti sunt Balbus, Blaesus, Caecus, Claudus, Crassipes, Crispus, Curvus, Flaccus, Luscus, Mutilus, Paetus, Plancus, Plautus, Scaurus, Silus, Strabo, Vatia, et qui nostro similiores sunt Tubero et Tubertus. Habuit autem [5] *ἀκροχορδόνα μικρὰν ἐπάνω τοῦ χείλους ἐπιπεφυκυῖαν*, verrucam in labris [6], unde agnomen ei adhaesisse cecinit Q. Serenus Sammonicus [7]:

»Interdum existit turpi verruca papilla,
»hinc quondam Fabio verum cognomen adhaesit,
»qui solus patriae cunctando restituit rem."

---

1) Cf. Cap. I § 1 huius Libri, p. 234. 2) III. 87 § 6. 3) *Anim. hist.* 37. 4) VIII. 14 § 2. 5) Plut. *Fab.* 1. 6) Cic. *Brut.* 14 § 57; Plin. *H. N.* XXXIV. 7; Sen. *de ben.* II. 7; Aur. Vict. *V. I.* 43; An. Nor. 521, 526, 540, 545. 7) *De medicina* c. 64, *de verrucis tollendis* 1100.

Quaestio est de scriptura huius nominis, nam in Fastis »Verrucossus" legitur, ut Plutarchus Βερούκωσσος habet, contra Dio [1] per unam σ; at analogia adiectivorum in *-osus* obstat, quominus illam scripturam sequamur, suspicor priscam eam esse.

Porro adhaesit Fabio puero *Oviculae* agnomen a clementia morum [2], τὸ προβάτιον ut ait Plutarchus [3]; unde si aliquid deducas, non strenui Romani nobis inducimus imaginem, sed languidioris iuvenis, nam *διὰ τὸ ἡσύχιον καὶ σιωπηλὸν καὶ μετὰ πολλῆς εὐλαβείας τῶν παιδικῶν ἀπτομένων ἡδονῶν βραδέως δὲ καὶ διαπόνως δεχόμενον τὰς μαθήσεις εὔκολον δὲ πρὸς τοὺς συνήθεις κατήκοον, ἀβελτερίας τινὸς καὶ νωθρότητος ὑπόνοιαν εἶχε παρὰ τοῖς ἐκτός.* Ovile ingenium convenire videtur cum cunctationis laude, sed aliquantulum Plutarchus de suo causam illius nominis videtur ornasse, et auxisse quod apud alios [4] invenerat. Praeter Aurelium unicus est huius rei testis, quam unde habuerit vix invenies. Livium de more Graece vertit, quod ad Fabii quoque vitam attinet praeter duo prima capita et paucos quosdam locos, quos hic nolo adscribere.

Denique fuit noster *Cunctator* ille, de quo Ennianum [5] illud nemo nescit:

»Unus homo nobis cunctando restituit rem;
»non ponebat enim rumores ante salutem;
»ergo postque magisque viri nunc gloria claret."

Quo modo intelligenda sit illa cunctatio admodum celebrata, suo loco [6] videbimus, nam hoc quoque nomine sibi nimis indulsisse videntur Romani tum propter belli eventum, quod Fabii auspiciis gestum est tum propter venerandae antiquitatis Ennianum testimonium. Notan-

---

1) Fr. 47. 2) Aur. Vict. *V. I.* 43. 3) *Fab.* 1. 4) Liv. XXX. 26; Sen. *de ira* I. 11, *de ben.* IV. 27. 5) *Ann.* XII apud Cic. *de Off.* I. 24 § 84, *Cato* 4 § 10, *ad Att.* II. 19 § 2, apud Liv. XXX. 26, apud Macrob. *Sat.* VI. 1, apud. Serv. *ad Aen.* VI. 848; Virg. *Aen.* VI. 848, Ovid. *Fast.* II. 242; Sil. Ital. VI. 639, VII. 10; Flor. II. 6 § 27; Front. *Strat.* I. 3 § 3; Aur. Vict. *V. I.* 43. 6) Cf. § 8 huius Capitis.

dum est autem, quod a recentioribus tantum hoc nomine vulgo compellatur, ut apud Florum, Frontinum, Quinctilianum, Victorem, non vero ab antiquioribus, sic Cicero ut exemplum afferam, Q. Maximum eum dicere solet.

§ 2. *Aedilis.*

Antequam ad Cunctatoris consulatus transeamus, haerendum est in uno saltem ex minoribus, quos gessit magistratus, de quibus nil quidquam, ut vere dicam, innotuit; quod paucis demonstrare lubet in aedilitate nostri, quam testimonia quaedam annuere videntur, unde ex mea opinione nulla lux affulget.

Inscriptio [1] haecce minores honores Fabii testatur:

Q. FABIUS MAXIMUS
DICTATOR BIS. COS. V. CENSOR.
INTERREX. II. AED. CUR. Q. II.
TR. MIL. II. PONTIFEX. AUGUR
PRIMO CONSULATU LIGURES SUBEGIT.
EX IEIS TRIUMPHAVIT. TERTIO ET QUARTO
HANNIBALEM COMPLURIBUS VICTORIS FERO
CEM SUBSEQUENDO COHERCUIT. DICTATOR
MAGISTRO EQUITUM MINUCIO. QUOIUS
POPULUS IMPERIUM CUM DICTATORIS
IMPERIO AEQUAVERAT. ET EXERCITUI
PROFLIGATO SUBVENIT. ET EO NOMINE AB
EXERCITU MINUCIANO. PATER. APPELLATUS
EST. CONSUL V. TARENTUM CEPIT. TRIUMPHAVIT
DUX AETATIS SUAE CAUTISSIMUS ET REI MILI
TARIS PERITISSIMUS HABITUS EST. PRINCEPS IN
SENATUM. DUOBUS LUSTRIS LECTUS EST.

Inventus est hicce titulus, subiungit Grüterus, Florentiae in ruinis theatri rursusque a fastidioso et ignorante

---

[1]) Grüt. *Corp. Inscr. Lat.* p. CCCCVI, n. 7; Orell. *Inscr. Lat. Sel.* n. 541; Zell, *Elog. Rom. Reliq.* p. 16.

aedium domino sepulta; clamat tamen stilus aevi Fabii non esse, littera elegantissima, qua perscripta est, vel sola ostendit non esse opus eius aevi, cuius nomen prae se fert. In haec verba iurare invitus cogor, sed iam satis debellatum est ab iis, qui suis oculis titulum viderunt. Nil novi docemur, quae enim auctor in illud insculpsit, habuit ex Livio et Fastis, tute hac carere possumus inscriptione, quae ex historia explicanda est. Contra Zellio videtur, qui hunc titulum notis illustravit et recepit in collectionem suam, in qua primum obtinet locum Romuli scilicet elogium necnon Coriolani! acsi talibus fides haberetur. Non possum quin pauca urgeam, quibus auctor se reum confiteatur, non sciebat ille Romanos triumphasse *de* populis verum *ex* regionibus [1], atqui Fabius non ex Liguribus triumphavit; nec intelligimus cur cetera clarissima Fabii cognomina omiserit, aut cur *cum* imperio magistri aequaretur potestas, ubi dativi locus est, nec habet, quo defendat inversum verborum ordinem »Minucius, quoius populus imperium", nec honorum seriem absque ordine sive tempus sive munera respicias; porro aedilitas non per *ae* sed per *ai* scribendum esset, necnon Ligur*ei*s cum Fastis, et Max*u*mus vel Max*su*mus non vero Max*i*mus.

Redeamus ad minores Fabii magistratus, missis duabus quaesturis, quippe quae nonnihil suspectae, videamus de aedilitate, quam sine dubio gessit ante consulatum. Affertur nempe ad hunc locum illustrandum Senecae [2] dictum, ubi sui temporis balnea eorumque curam cum antiquis comparat, et iuvare scribit intrare illa balnea obscura, quae scires Catonem tibi aedilem, aut Fabium Maximum, aut ex Corneliis aliquem manu sua temperasse. At haud scio an urgeri possit haec sententia, nam nonnisi exempli causa antiquum aedilem unum e Fabiis laudat, de quo

---

[1]) Cf. Fast. tri. passim; obstat unicum exemplum anni 526. [2]) *Epist.* 86 § 7.

dubitari licet, an noster intelligendus sit. Denique huc trahitur fragmentum saxi [1] Tiburtini venerandae antiquitatis e fornice Cloacae Maximae in foro Romano inventi:

Q. FABIUS Q. F. MAXSUMUS AED. CUR. RES

Q. FABIU F. MAXSU CUR RE

At recte Haakhius observat fragmenta ista ad Cunctatoris nepotes pertinere, sed non ad eum ipsum, cuius tempore scribebatur aedilis per *ai*. Quae quum ita sint, non credo me nimium dixisse nos de aedilitate Cunctatoris proprie nil scire.

§ 3. *Consul* I. 521.

Q. FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS VERRUCOSSUS [2].
M' POMPONIUS M' F. M' N. MATHO.

Novimus ex Cicerone [3] primo consulatu esse functum Fabium nostrum anno post natum Catonem id est 521; de quo honore perpauca tantum nobis servata sunt propter Livianae decadis secundae interitum. Suspicor tamen haud ita multa gessisse nostrum, nam Plutarchus nonnisi eius triumphum de Liguribus tradidit, ut Aurelius Victor et Fasti, attamen Plutarcho ad manum erat Livii secunda decas, ex cuius libro ultimo hausit procul dubio quae in vita Marcelli [4] accuratissime scripsit de huius expeditione contra Gallos Insubres.

Zonaras pauca plura habet, unde haecce lubet delibare. Post finem belli Punici clausae quidem erant Iani portae, quod semel tantum post Numam acciderat, sed dicis causa illud factum crediderim, nam sine bello non poterat bellicosus populus Quiritium vivere. Perdurabant nempe bella contra Sardes et Gallos Transalpinos, cum quibus ab anno 516 bellatum est nec malo successu,

---

[1]) Grut. *Corp. Inscr. Lat.* p. CLXXXIV, n. 4. [2]) Fast. Cap. h. a.; Cic. *Cato* 4 § 10; Plut. *Fab.* 2; Zonar. VIII. 18; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. [3]) *Cato* 4 § 10; Aur. Vict. *V. I.* 43; Plut. *Fab.* 2; Zonar. VIII. 18. [4]) Cap. 6—8.

nam P. Cornelius Lentulus de Liguribus egit triumphum 518, de Sardis sequenti anno T. Manlius Torquatus, sed contra eosdem anno 520 missi sunt exercitus; mox idem iterum accidit, vix solum verterant Romani ex agro nondum subacto, quin statim rebellatum est. Sic consul noster anno 521 contra Ligures, collega contra Sardos missus est, uterque re bene gesta rediit in triumpho:

Q. FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS VERRUCOSSUS COS.	*ANNO DXX.*
DE LIGURIBUS	*K. FEBR.*
M' POMPONIUS M' F. M' N. MATHO COS.	*ANN. DXX.*
DE SARDEIS	*IDIBUS MART.*

Mox tamen Sardi iterum defecerunt, adversus quos sequenti anno ambo consules missi; Ligustinum bellum anno 524 de novo agitatum est.

Bello Ligustino Fabium dedicasse templum Virtutis et Honoris Cicero [1] nobis auctor est, quo tamen loco non satis perspicuum est, quid sibi velit »Marcellum renovasse templum quod multis ante annis erat bello Ligustino a Fabio dedicatum;" cohaerere videtur tamen illa fama cum Livio [2] scribente, pontifices dedicationem impedivisse, quoniam non duobus diis simul res divinae fieri poterant, tum Marcellus duobus illis simulacra posuit, separatis aedibus [3], aut ut Beckerus [4] opinatur, renovavit tantum Honoris templum, quod iam tunc stabat, in eum modum, quo novum Virtutis templum aedificavit.

Videbamus bellum contra Ligures et Sardos quotannis de novo instare, nec mirum, nam Carthaginienses eos adversus Romanos incitabant. Nec tamen Romanos latere potuit illud, hinc Q. Fabius imperator [5] epistolam dedit ad Poenos, qua satis pro imperio hostes eos indicaret et iussit insulis cedere, quae Romanorum erant, in cuius rei documentum hastam et caduceum ad eos mittebat, aut

---

1) *De nat. deor.* II. 23 § 61. 2) XXVII. 25. 3) Val. Max. I 1. 8.
4) *Röm. Alt.* I. I. 510. 5) Gell. X. 27; Zonar. VIII. 18.

secundum Varronem duas tesserulas, in quibus caducei et hastae simulacra erant incisa; ex quibus pacis bellique signis utrum vellent eligerent, quod elegissent id unum ut esse missum existimaretur. Carthaginienses responderunt neutrum sese eligere, sed posse qui attulissent utrum mallent relinquere, id sibi pro electo futurum. Nec tamen Romani quidquam elegerunt, quibus tempus novi belli suscipiendi nondum adesse videbatur.

Non possum quin hoc loco Gronovii suspicionem redarguam, qui epistolam Fabii consulis per fas et nefas ad legationem eiusdem referre volebat, et certe sibi contigisse videbatur »ut hic locus Gellii sit versus ex auctore Graeco, qui scripserat ἀντοκράτωρ πρεσβευτής, qui perperam Latine spectatus dederit *imperatorem*". At Zonarae testimonii ignarus nesciebat ille Fabium in primo consulatu, contra Ligures quum rem gerebat, summo iure illud scripsisse imperator dum erat, atqui non recurrendum est ad αὐτοκράτορα, cuius munus ceteroquin cum legatione haudquaquam coniungi potest.

§ 4. *Censor* 524.

Q. FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS VERRUCOSSUS.
M. SEMPRONIUS C. F. M. N. TUDITANUS. *L. F. XLI.*

His nil addendum habeo, nam Fasti unici testes nobis sunt huius Fabii honoris, unde hoc tantum sequitur eum censorium senatus principem dici posse, quod lustro XLIV accidisse fertur anno 545 [1] et sequenti anno 550.

§ 5. *Consul* II. 526.

Q. FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS VERRUCOSSUS II [2].
SP. CARVILIUS SP. F. C. N. MAXIMUS II.

De iis, quae altero consulatu [3] fecit Fabius, unius tantum rei memoria ad nos pervenit, quod legi Flaminiae

---

[1]) Cf. § 14 huius Capitis. [2]) Fast. Cap. h. a.; Cic. *Cato* 4 § 11; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. [3]) Cic. *Cato* 4 § 11.

agrariae nempe restiterit teste Cicerone, qui inducit Catonem dicentem: »nec in armis Fabius praestantior, quam in toga, consul iterum Sp. Carvilio collega quiescente, C. Flaminio tribuno plebis quoad potuit, restitit agrum Picentem et Gallicum viritim contra senatus auctoritatem dividenti." Adversatur tamen huic Catonis dicto Polybius [1], qui docet consule M. Aemilio Lepido id est anno 522 Flaminium divisisse agrum. Potest utraque fama sic coniungi, ut cum Fischero statuas consule Lepido legem esse latam quidem sed anno 526 demum perlatam et tunc Fabium quam maxime potuerit, restitisse Flaminio agrum dividenti. Attamen hanc contortam sperno explicationem, et statim post Verrucosi victoriam atque triumphum Flaminium suam legem tulisse atque pertulisse crediderim; recte enim ille perspectum habebat, tum demum bello Ligustino finem fore, quum ager esset divisus, quod et eventus docuit; ita ut Tullianum dictum respiciat tantum agrorum divisionem, quae ex illa lege sequebatur.

De Fabii consulatu pauca attingere lubet, quo melius horum temporum appareat ratio. Cum Hasdrubale qui in Hispania felici successu bellum gerebat, foedus [2] ictum est, ne fluvium Iberum belli causa transiret. Navalem egit triumphum de Illyriis proconsul Cn. Fulvius [3], quibus bellum illatum erat anno ante.

Sequitur ut dicam de loco Dionis [4], quem editores minus recte ad primum Fabii consulatum retulerunt. Hoc nempe anno oraculi averruncandi causa, quod portenderat Romanis fore ut Graeci et Galli Urbem tenerent, Romani in Foro Boario vivos defosserunt Graecum ac Graecam et Gallum ac Gallam, miseros captivos, opinor, qui sic Urbem tenerent, ut fatis satisfieret. Dio tradit tantum hoc accidisse ἐπὶ Φαβίου Μαξίμου Βερουκώσου ἤτοι ἀκροχορδο-

1) II. 21 § 7. 2) Polyb. II. 13 § 7. 3) Fast. tri. h. a.; Eutrop. III. 4.
4) Fr. 47.

νώδους, unde editores primum consulatum sive annum 521 intelligebant. Minus recte, ni fallor; Gallos bene multos e Liguribus captivos tenebant, non obloquor, verum unde habebant Graecos? denique nullus Graecorum metus erat. Quae quum ita sint, equidem secundum Fabii consulatum intelligo, nam tunc praeter Ligures Illyrii bene multi ad manum erant; contra istos Graecos anno ante strenue pugnaverant, ita ut in hoc tempus cadat metus, oraculo ne satisfieret. Hanc meam sententiam tuentur Orosius et Zonaras [1]; hic enim consulem quidem non memorat, sub quo accidit, ut Tzetzes fecit, sed tradit illud eodem capite, quo enarrat Romanos cum rebus Graeciae se immiscuisse, quod aliunde constat secundo Fabii consulatu locum habuisse. Orosius [2] vero tempus non accurate definit, sed ante annum 528 rem enarrat; Plutarchus [3] denique scribit de eadem re ante annum 532.

Haec quod ad tempus huius rei attinet; non consentiunt auctores de miseris, quos defosserunt Romani, nec diversa tradiderunt, ni fallor, quippe qui ex eodem fonte illud hausisse videntur. Equidem apud Orosium revocaverim *Graecum* fugitivum, nam procul dubio ille quoque defossus est. Tzetzes vero Dionis locum male videtur excerpsisse, nam Zonaras scripsit ex eodem Dione, Γαλάται δύο καὶ Ἕλληνες ἕτεροι ἔκ τε τοῦ ἄρρενος καὶ τοῦ θήλεος γένους ζῶντες, ille contra Ἑλληνικὸν καὶ Γαλατικὸν ἀνδρόγυνον memorat; perperam omnino, nam praeter consentiens aliorum testimonium constat ex prodigiis, quae Livius [4] memoriae tradidit, androgynos non solere vivos defodi, verum in mare deiici.

Constat ex Plinio [5] tristis piaculi Romae exstitisse documentum, qui locus saxo conseptus erat; Plutarchus nobis auctor est mense novembri Graecis Gallisque solemnia sed

1) VIII. 19. 2) IV. 13. 3) *Marc.* 3. 4) XXVII. 37; Iul. Obseq. 81, 86, 92, 94. 5) *H. N.* XXVIII. 2.

horrenda sacra fieri solitum esse, unde deducendum videtur, miseros istos illius mensis die nescio quo defossos esse.

Livius [1] denique hunc annum sibi voluit, ubi scribit inter alia extraordinaria sacra post cladem Cannensem Graecum et Graecam, Gallum ac Gallam in Foro Boario sub terra vivos demissos esse in locum iam *ante* hostiis humanis, minime Romano sacro imbutum.

§ 6. [*Dictator* 533.]

Sequitur ut dicam de honore, quem Fabius non gessisse videtur, quatuor enim vel gravissima testimonia ita sese habent, ut deinceps explodenda sint.

Contendunt viri docti, quorum Pighius agmen ducit, Fabium nostrum ante annum 537 functum esse priore dictatura, siquidem in Fastis Capitolinis legimus eum tunc altera vice fuisse dictatorem. Convenit cum hoc testimonio inscriptio de qua modo vidimus. Tum apud Livium [2] ubi de altera nobilissima dictatura dicere incipit, legimus »Q. Fabius Maximus dictator iterum, quo die magistratum iniit, vocato senatu ab diis orsus est." Denique Valerius [3] nobis auctor est occentum soricis Fabio Maximo dictaturam, C. Flaminio magisterium equitum deponendi causam praebuisse.

At hoc ultimum Plutarchus [4] testatur accidisse Minucio dictatori et Flaminio magistro; huic maiorem fidem tribuo, qui illud in Livii libro XX invenisse videtur, ubi Marcelli vitam descripsit, Valerius autem facile errare potuit, quippe qui dicta et facta memorabilia undique collecta in novum ordinem redegerit; tum accedit, quod Haakhius rectissime observat, omnino non verisimile esse Fabium sibi magistrum elegisse Flaminium, quocum gereret inimicitias. Livius autem an re vera scripserit Fabium dictatorem *iterum*

---

[1]) XXII. 57. [2]) XXII. 9. [3]) I. 1. 5. [4]) *Marc.* 5.

fuisse, valde dubito, nam nonnisi editores hoc vocabulum contra codices intruserunt quod summo iure sibi licere credebant propter Fastos atque illam inscriptionem. At de fide tituli actum est, ni fallor, ex Fastis enim hoc apparet fluxisse. Iam superest ergo, ut Fastis fidem abiudicem, quod eo facilius faciam, quod iam hic et illic vidimus illorum auctores minus accurate versatos esse in tabulis istis componendis; sed aliud habeo, contendo nempe Fabium teste Livio [1] fuisse pro dictatore (537), at illis dictatura magis placebat; tum rei gerendae causa dictus est, at illis interregni causa creatus videbatur; denique in altera huius anni dictatura non adscripserunt vitio creatos Veturium et Pomponium se abdicasse, quod Livius [2] diserte testatur.

Quae omnia si reputaverimus, haud scio an Pighii sententiam amplecti placeat, qui dubitatam Fabii dictaturam anno 533 posuit. Hanc enim historici non annuunt, Polybius nempe horum temporum accuratissimus auctor nil habet de ea re, neque Livius, qui copiosius quam assolet de Fabii dictatura monuit ex certa antiquitatis scientia et acri de titulis iudicio, de priore ne verbum quidem habet, quam sine dubio attigisset illo loco.

§ 7. *Legatus Carthaginem* 536 [3].

Anno 535 quum Poeni Saguntum oppugnare coepissent, socii illi Romam miserunt legatos auxilium petitu, non tamen placuit auxilia submittere, contra legationem, quae frustra Hannibalem obsessioni finem imponere iussit [4]. Quum vero post octavum mensem Saguntum in Poenorum potestatem venit, Romae deliberatum est, an iam statim foedere tam turpe violato, Carthaginienses in Hispania

---

1) XXII. 31. 2) XXII. 33. 3) Polyb. III. 20, 21, 33; Dio Cass. fr. 55, 56; Zonar. VIII. 22; Liv. XXI. 18—20; Flor. II. 6 § 7; Front. *Strat.* I. 11 § 4; Sil. Ital. I. 691 sqq., II. 1. sqq. 4) Polyb. III. 15 § 2; App. *Han.* 2; Zonar. VIII. 21; Liv. XXI. 6, 11; Flor. II. 6 § 5; Eutrop. III. 7.

aggrederentur, ut Lentulus cupiebat, an ex Q. Fabii sententia primum mitteretur legatio ad percunctandos Poenos; denique utraque sententia vicit, nam et bellum paratum est et legatio Carthaginem missa.

Q. Fabius noster princeps erat legationis, cuius ipse auctor exstiterat; cum M. Livio consulari anni praecedentis, L. Aemilio, C. Licinio et Q. Baebio profectus est Carthaginem ad percunctandos Poenos publicone consilio Hannibal Saguntum oppugnasset, quod si esset, bellum erat indicendum aut Hannibal deditione tradendus. Verbo sufficiat Silii attigisse errorem, quem fugerat prior legatio Romana Saguntum, ita ut Fabium decantaverit iam tunc profectum esse auditis Saguntinorum querelis.

Non multis disputare attinebat de Sagunto, quod interea iam captum erat, nec tempus erat hariolandi, iam bellum instabat. Denique dux legationis Fabius noster sinu ex toga facto »hic vobis, inquit, bellum et pacem portamus, utrum placet sumite;" sub hanc vocem haud minus ferociter »daret, utrum vellet," succlamatum est; tunc excusso in media curia togae sinu non sine horrore, quasi plano sinu bellum ferret, effudit et se bellum dare dixit; quod Poeni accipere se omnes responderunt, et quibus acciperent animis, iisdem se gesturos.

Idem Florus retulit, in cuius locum irrepsit interpretamentum in verbis: »tergiversantibus Poenis *dux legationis*, »quae" inquit, »mora est?" *Fabius* »in hoc ego sinu bellum pacemque porto"". Verissime iam Graevius vidit in absonum locum migrasse ducis nomen, nec est ergo, cur novissimus Flori editor tergiversaretur utrum vocabulum esset delendum, acsi priore deleto alterum suo loco legeretur.

In Dionis excerpto necnon apud Zonaram ridiculus error legitur, noli enim credere hunc scripsisse ὁ Μάρκος ὁ Φάβιος τὰς χεῖρας ὑπὸ τὸ ἱμάτιον ὑποβαλὼν κτέ., nam modo eundem dixerat Κόϊντον Φάβιον Μάξιμον, quod

cognomen procul dubio latet in vitiosa scriptura; videtur pervetus vitium esse, siquidem in excerptis itidem legitur, sed Dio omnino non hoc ita scripsit.

Bello indicto, sicut patres imperaverant, legati profecti sunt ad Hispanorum animos tentandos. Benigne eos exceperunt Bargusii, quos taedebat imperii Punici, sicut mox Romani taederet, nam vicissim debellarunt illi eos Hispanienses, quos neuter populus bene regere poterat. Alios quoque populos trans Iberum sibi conciliarunt Romani, Volcianis vero maior erat vetus fides erga Poenos, atqui aspernati sunt legatorum preces eosque statim abire iusserunt, quod ceteri Hispaniae populi exemplum secuti sunt. Tunc ad Gallos iter flectunt, a quibus petivisse feruntur, ne sinerent Poenorum iter trans suos agros, si forte Italiae bellum inferrent; Gallis contra stolida et impudens postulatio esse videbatur, denique respondent neque pro Romanis neque adversus Poenos arma se sumturos; nec hospitale quidquam pacatumve audierunt apud Gallos, nec mirum, priusquam ad Massilienses pervenissent, hi enim variis temporibus amicitiae erga Romanos plura dederunt testimonia, et tunc quoque auxilia polliciti sunt. Tum demum legati Romam redierunt, quum P. Cornelius Scipio et T. Sempronius Longus iam in provincias erant profecti.

§ 8. *Dictator* 537 [1].

Q. FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS VERRUCOSSUS II DICT. INTERREGNI CAUSSA.
M. MINUCIUS L. F. C. N. RUFUS MAG. EQ.

Pervenimus ad notissimam nobilissimamque Fabii nostri dictaturam, quam gessit 26 annis post primum consulatum, aetate provectior quidem sed non senex, ut Plutar-

---

1) Polyb. III. 87—94, 100—105; Liv. XXII. 8—18, 23—31; Sil. Ital. VII; Flor. II. 6 § 28; Eutrop. III. 9; Oros. IV. 15; Plut. *Fab.* 3—13; App. *Han.* 11—16; Dio Cass. fr. 57. 7—22; Zonar. VIII. 25, 26.

chus [1] habet et Silius [2] passim decantat, quae senectus cunctationi melius convenire iis videbatur. Civitatem triplici atrocissima clade affectam servavit, et iamiam labentem restituit, optime enim perspectum habebat ille Romanos Hannibale non esse superiores atqui potius non esse pugnandum cum Poenis, contra defendendo patriam arcendoque bellum optime meruit. Hinc sequitur, eum virtute et laude militari non esse ornandum, et nimium celebrasse posteros cunctationem nostri. Sic Livius, qui praecipuus fons est historiae Cunctatoris, et plura habet et uberiora quam Polybius quem sequitur, necnon quam ceteri omnes, qui ex Livio sua videntur hausisse, Livius inquam, sibi indulsit, quod ad nostrum attinet, cui valde studet, dum Flaminii causam male descripsit.

Paucis hanc sententiam explicare lubet: Livius [3] Flaminio vitio vertit, quod noluerit haerere in prodigiis procurandis, quae post duas clades ex tota Italia religiose nuntiabantur, at tempus non erat haerendo hercle! rectissime perspectum habebat statim esse agendum, iussit igitur per edictum, ut legiones quae Placentiae fuerant, idibus martiis Arimini adessent in castris, ubi consulatum erat initurus, ut statim Hannibalem aggrederetur aut eum retineret in unica illa via, qua Italiam intraret. Hinc istae lacrimae et criminationes Flaminium foede neglexisse religionem, in provinciam profectum esse inauspicato, id est in Capitolio non rite eum sacra fecisse Iovi Optimo Maximo, sed paludatum id est designatum tantum consulem abiisse, neque exspectare voluisse Ferias Latinas, cetera; imo si Livio credas, Fabius eum consuluit, ne pugnam iniret, et cogitarunt Romani de consule revocando, qui religionem bello postponebat. Hoc ultimum suspectum habeo, nam nonnisi stupidissimi, qui vero nonnumquam religiosissimi, revocassent consulem imminente re vera pe-

---

1) Cap. 3. 2) VII. 4, 9, 26, 306. 3) XXI. 63.

riculo; statim erat agendum, legiones Placentia revocandae, quas citius in Etruriam posset reducere, quum per eam forte regionem Hannibal intraret. Auctae sunt sine dubio istae criminationes a posteris, qui crederent quae post spretam religionem acciderant propterea locum habuisse; posteri maluerunt Flaminii cladem cultui deorum neglecto tribuere quam suae ignaviae et Poenis re vera superioribus; denique contendo, si vel nihil neglexisset Flaminius, eum superatum esse. Modum excesserunt Romani in carpendo Flaminio, qui insidiis circumventus est eius ducis, quem ad Casilinum non delevit Fabius, quum poterat, in quo laudando nullum iidem tenuerunt modum, sed religiose ille per 16 dies sacra fecerat.

Redundet igitur aliquid laudis in miserum Flaminium, cui sagacissimo belli duci Livius laudem denegavit, quoniam aliis de causis invisus fuerit patribus atqui Livio quoque; solus nempe ex illo ordine adiuverat [1] Q. Claudium tribunum, quum anno ante legem severissimam ferret, ne quis senator cuive senatorius pater fuisset, maritimam navem, quae plus quam 300 amphorarum esset, haberet; lata erat haec lex, ut senatores fundos tantum possiderent, nec mercatura pollerent, quae equitibus relinqueretur, qui sic non certarent cum senatoribus.

Post tristem eventum pugnae ad lacum Trasimenicum, quam hic non persequar [2], de Roma actum videbatur; auxilia, quae alter consul Servilius Arimino misit contra Hannibalem, circumventa sunt, quae quum non amplius essent metuendi, Poenus Romam pergit, ipsa via ducente per Perusiam credo, Fulginium, Treviam, Spoletum [3]. Iam hoc oppidum erat capiendum, si procedere vellet; sed hic substitit Hannibalis fortuna. Quotquot laborum strenui milites perpessi essent, urbem natura munitam

---

[1]) Liv. XXI. 63. [2]) Polyb. III. 86; Liv. XXII. 8. [3]) Liv. XXII. 9; Zonar. VIII. 25.

oppugnare non poterant, non praesto erant tormenta nec machinae, et sic Hannibal coactus est consilium mutare et in agrum Picenum avertere iter propter pontem in Nari flumine deiectum, aliosque abscissos quum audivisset. Tunc Romam petere a parte meridionali frustra conatus est, atqui stetit Roma θεοῦ, nisi Spoletum mavis, παραγαγόντος τὸν 'Αννιβάν [1].

Interea Romae summam fuisse trepidationem atque terrorem, non est quod dicam: alterius consulis exercitus interierat, alterius pars in Umbria degebat ab Urbe interclusa, dum partem Maharbal caeserat. Nec multi milites in Urbe erant, quibus arma deficiebant, ita ut spolia templis aedibusque detraxerint, quibus se armarent. Nullus autem aderat magistratus, qui solemni more diceret dictatorem, placuit ergo ut populus pro dictatore crearet Q. Fabium nostrum, cum magistro equitum M. Minucio Rufo. Secundum Silium [2] Fabius eduxerat »secum in proelia pubem," sed haud scio an legati vel nescio quo titulo copiis praefuerit; suspicor eum miscuisse cum Minucio, qui legatus Flaminii aberat. Livius [3] nobis unice veram famam servavit de pro dictatura ista, dum ceteri ad unum omnes Fabium tradunt dictatorem adversus Hannibalem rem gessisse; verum facile, inquit Livius [4], obtinuerunt res a Fabio gestae, ut in titulo dictator diceretur, qui pro dictatore fuerat. Frustra fere dixerim hoc ex antiquitatis ratione explicuit, nam ad unum omnes eadem chorda aberrant vel Fastorum auctores. Tenendum est tamen Polybium [5] de hoc honoris discrimine nil annotasse, unde equidem deduxerim Livium recte quidem illud observasse, qui antiquitatis rationem urgebat, ut non consul sed populus eum dixerit, attamen an re vera pro dictatore fuerit, haud affirmaverim; quidquid est, Livium secuti dictatorem eum compellare pergamus.

[1]) App. *Han.* 12. [2]) VI. 620—622. [3]) XXII. 8. [4]) XXII. 31. [5]) III. 87 § 6—9.

Est autem Fabii nostri unica dictatura, quae interregni causa fuerit, secundum Fastos; explicari potest illud ex eo, quod unus consul mortuus, alter vero extra Urbem esset, nec tamen negari potest eum re vera rei gerendae causa hoc extraordinario magistratu functum esse; si interregni causa tantum dictus fuisset, se abdicare debuisset simulac in Flaminii locum novus consul suffectus esset, quod non accidit, nam vel Regulo consule suffecto gessit dictaturam imo pater appellatus est, ut statim videbimus.

Secundum Polyaenum [1] Fabius dictator creatus est, postquam aliquantisper cunctando tempus teruisset, sed sperni potest haec fama, ut cetera quae tacticus iste de Fabio habet.

Dum Hannibal consilio mutato Urbem ab alia parte aggredi parat, sedulo Fabius sacra fertur [2] fecisse, caeremonias auspiciaque omnia religiose observasse, prodigiorum seriem rite procurasse, libros Sibyllinos pie iussisse Xviros adire, supplicationem edixisse, ver sacrum vovisse, sex lectisternia stravisse, aedem Veneris Erycinae vovisse necnon ludos magnos trecentis triginta tribus millibus, trecentis triginta tribus triente. De more Plutarchus hoc quoque ex Livio descripsit *σηστερτίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν καὶ δηναρίων τριακοσίων τριάκοντα τριῶν ἔτι τριτημορίου προσόντος*, et accurate computat Graecam monetam, *τοῦτο τὸ κεφάλαιόν ἐστιν ὀκτὼ μυριάδες δραχμῶν καὶ δραχμαὶ τρισχίλιαι πεντακόσιαι ὀγδοήκοντα τρεῖς καὶ δύο ὀβολοί*. At claudicat computatio, nam quum uno denario respondent 4 drachmae, 333,333$\frac{1}{3}$ sestertiis sive denariis non respondent 83583 drachmae, ut ille habet, verum 334,333 sestertiis, videtur ipse Plutarchus in computando esse lapsus, nam non librariis tribuerim errorem.

Videamus de Fabii copiis sine quibus vel dis iuvantibus

---

[1]) VIII. 14. [2]) Liv. XXII. 8—10; Plut. *Fab.* 4; Dio Cass. fr. 57. 7.

Hannibali non restitisset; statim Urbem muniri iussit [1], muros turresque firmari, praesidia disponi, omnesque fluminum pontes praeter unum rescindi, quod non frustra fecit, nam Hannibal quum Naris pontem deiectum vidisset, in Picenum deflexit; tum Servilio imperavit Romam exercitum reducere, cui via Flaminia [2] profectus Ocriculi obviam venit, ubi copias eius suscepit, consulemque Ostiam misit, qui completis navibus novo milite inter quem libertini, quibus liberi essent, hostium classem persequeretur et Italiae ora tutaretur.

Novas legiones interea Fabius scripserat, duas secundum Livium [3], quatuor ut Polybius [4] tradit; utrum verum sit nescio; quatuor fuerunt, opinor, postquam Servilii legiones se cum Fabiano exercitu iunxissent. Quidquid est, Ocriculi convenerunt illi exercitus, ut Livius [5] tradit; Appianus autem nil addit de loco, quod apud eum Haakhius legisse credebat, Polybius [6] vero narrat illud, ubi iam descripserat [7] Fabii Hannibalisque iter in Apuliam, sed inde omnino non sequitur exercitus illos in Apulia demum se iunxisse, ut idem ille ex his locis deduxit, cui opinioni obstat totum expeditionis iter.

Hannibal nempe, ut modo dicebam, Spoletum missum fecit, tunc agrum Picenum transgressus est et Praetusianum, qui Asculum et Hadriam interiacet, deinde Hadriae aliquantisper degit reficiens militum corpora necnon equos [8]. Interea potuit Servilius Arimino redire, dum Hannibal in Piceno degeret, qui quum versus meridiem pergeret, dictator [9] consulis copiis susceptis Tibur petit, ut impediret, ni fallor, quominus Poenus trans Sabinos audax forte susciperet facinus petendi Romam. Deinde peragrat Hannibal atque devastat Apuliam petiturus *τὴν Μαρρουκίνην καὶ Φρεντάνην χώραν*, ut Polybius [10] scripsit,

---

1) Liv. XXII. 8; Zonar. VIII. 25. 2) Liv. XXII. 11. 3) XXII. 11. 4) III. 88 § 7. 5) XXII. 11. 6) III. 88 § 7. 7) III. 86, 87, 88. 8) Polyb. III. 87 § 2, 3; Liv. XXII. 9. 9) Liv. XXII. 11, 12. 10) III. 88.

secundum Livium [1] Marsos, Marrucinos et Pelignos. Utrum recta via Apuliam petiverit, an Marsorum quoque agrum intraverit, vix conficias; nec Romanorum iter rem dirimit, Fabius enim Tibur profectus est Praeneste, ut sic ad viam Latinam perveniret. Fieri potest, ut dum hic staret, Poeni in Marsis adversus eum eduxerint, attamen liquidum esse videtur non tantum Romanos verum hostem quoque evitasse proelium, unde equidem deduco Hannibalem conatum esse quidem statim petere ipsam Urbem Marsos et Aequos transgressum, verum destitisse quum videret Fabium cum legionibus in Latio suum observare iter. Quidquid est, inverso ordine Marsos, tum Pelignos et Marrucinos vastarunt et sic Apuliam intrarunt.

Constat nempe Poenos in Dauniam [2] pervenisse, quam regionem, ut magni exercitus facere solent, depopulati sunt, ceperunt urbem illam maritimam in Frentanis Istonium sive Ibonium, ut correctum est, et circa Arpos et Luceriam castra posuerunt; denique Aecarum in Apulia fit mentio [3]; apparet tunc Hannibali fuisse consilium per unam alteramve in Hirpinis viam Samnium intrare et sic a parte meridionali Fabium aggredi Romamque petere.

Difficultas est in Fabii itinere circa haec tempora; Polybius narrat eum περὶ τὰς Αἴκας in conspectu hostium castra posuisse, Livius haud procul Arpis illud accidisse tradit. Uterque locus situs est in Apulia, quod valde offendit, nam constat quidem Poenos in illa regione fuisse, sed de Fabio subdubito. Per totum enim spatium illud intra Apenninum iugum se defendit noster, neque adeo audax fuit, ut trans Samnium in ultima Italiae regione in Apulia hostem quaereret, et superiorem illum aggrederetur; imprudentior fuisset talis expeditio, ni fallor, quod omnino abhorret ab ingenio Cunctatoris. Denique contendo Fabium se natura loci praesertim defendisse;

---

[1]) XXII. 9. [2]) Polyb. III. 88 § 4. [3]) Polyb. III. 88 § 9.

sentiebat ille bellum arcendum esse, quod satis feliciter fecit, verum omnino non in Apuliam perrexit, non opus erat hercle, non petebat hostem, sufficiebat bellum extrahere et hostis motus observare. Nec tamen negaverim Fabium castra posuisse alicubi in conspectu hostium priusquam in Campaniam pervenisset.

Silius Italicus [1] totum iter in Apuliam mittit, poëticam verbositatem prae historica veritate praeferens, sed hoc urgeri nequit; prorsus idem valet de Zonara [2] et Dione [3], in quorum fragmentis nil de toto illo itinere invenimus, quod equidem compendio tribuerim; Haakhius contra duplicem de ea re famam fuisse opinatur, et ob hanc caussam scilicet Plutarchus ei videtur non memorasse locum, ubi illi iamiam pugnaturi fuissent. At Plutarchus non tam acriter versabatur in crisi historica, parum sollicitus erat de loco proelii, quippe qui totus in enarrando quo modo Cunctator cum Hannibale non pugnaverit, quod multo plus faciebat ad mores et ingenium Fabii cognoscendum quam locus, ubi arma non conseruerant.

Ut modo dicebam, alicubi castra posuerunt in conspectu hostium; sed ubi Romani pugnam inire nollent, denuo mota sunt [4]. Suspicor illud accidisse, quum Hannibal copiis Hadriae refectis via, quae per Teatem et Corfinium ducit Albam Fucentinam, in Marsorum terram perrexit. Livius [5] annuit tale quid, quippe qui scribit primo die quum in via Latina pergeret, illud accidisse; quod si recte disputaverim, pro *Aecis* forte *Aequi* intelligendi essent et pro *Arpis* [6] revocandum *Arpinum*; sed hoc fortasse nimium est, et sufficiat nobis sumere in Apuliam quum historici tradiderant pervenisse Hannibalem, hinc in illam regionem migrasse pugnae illius mentionem, quae vagabatur absque certa sede.

---

1) VII. 96. 2) VIII. 25. 3) Fr. 57. 8. 4) Polyb. III. 89 § 1.
5) XXII. 12. 6) Liv. XXII. 12.

Quidquid est, Livius ingenio indulget, ubi scribit Hannibalem quum vix castra posuisset, ea movisse propter Fabii cunctationem et prudentiam, quae ni fallor nil habet commune cum consilio, quod tunc Poenus iniit, simulac hic quoque in Fabii exercitum offenderet, per Samnium et Hirpinos potius Urbem petere et Fabianas legiones intercludere, quod omnino iam diu illi successisset, si re vera cunctatus esset noster, ut Livius tradit, nunc vero invenit paratissimum et prudentissimum ducem, qui sic eum coegit consilium mutare.

Cohaeret cum hac simplicissima expeditionis explicatione aliud, de quo nunc dicam. Tradunt omnes [1] Fabium modico intervallo subsecutum esse hostem, ne eum omitteret, per loca alta itinere facto unde dignosceret illorum itinera. Optime hoc intelligimus ex tota cunctandi methodo, quae procul dubio admodum salutaris fuit rei Romanae; sic enim effecit, ut praesto esset ubicunque hostes se ostenderent, quod in regione saltuosa et montosa difficilius est, ni fallor; arcebat simul patriam et cavebat ne per devias intrarent. Sed antiquum obtinent in his tum veteres tum recentiores historici, qui Fabium inducunt per totum iter, quod Hannibal inde ex Etruria usque ad Campaniam fecit, hostes modico intervallo subsecutum esse, ita ut, quum ex Hirpinis per Samnium in agrum Stellatem veniret, Fabius ei a tergo fuisset. Quae sententia, ut vere dicam, ridicula est, natura rerum tum Fabii ingenium celebratissimaque cunctatio, tum tactica obstant; fecit illud Fabius dum opus esset, in Marsis quum degeret, ipse Tibur relicto petit Praeneste, ut transversis limitibus in viam Latinam perveniret; interea pergunt hostes in Frentanos regressi vel in Dauniam, iam tunc non adeo erant metuendi, nam sufficiebat Apennini iugum, quod Fabius noluit traiicere, nec opus erat, tunc non erat pe-

[1]) Polyb. III. 90 § 1; Liv. XXII. 12; Plut. *Fab.* 5.

tendus hostis, contra quem se defenderent, si forte ipsi peterentur. Nil quidquam poterant Romani, frustra impedivissent Poenos, ne devastarent Frentanos et Apuliam, ergo recipiunt sese in montium iuga, quae Latium cingunt et defendunt, et Apenninum quum superavit Hannibal via, quae ducit Luceria Aequum Tuticum trans Hirpinos, dictator paratus exspectat eius adventum ex Samnio non decedens sed in Latii finibus degens, ut apto quoque tempore hanc saltem partem Italiae defenderet adversus Hannibalem, qui Beneventum [1] ac Romam recta via petebat, et iam Telesiam ceperat. Hanc urbem Livius memorat, Polybius [2] vero tradit *Οὐενουσίαν εὐτείχιστον οὖσαν* a Poenis captam esse, quod nomen Haakhius emendare vult, ut ille quoque Telesiam memoret, sed non opus est, nam facile intelligimus Hannibalem maluisse capere illam urbem, quae erat colonia Romana, ne Samnium quum intrasset, a tergo Venusini eum aggrederentur; hinc sequitur recte omnino pro *ἀτείχιστον* rescripsisse Casaubonum *εὐτείχιστον*, quod in coloniam recte cadit.

Hannibal a viarum peritis edoctus [3] Romanos a sociis interclusos fore, quum saltum Casinum occupasset, iussit in agrum Casinatem progredi; situs locorum huic rei non obstat, nam dummodo illum saltum teneret, impediret sociorum iter in viam Latinam, dum ipse Urbem peteret. Sed tunc primum Hannibalem fortuna fefellit, in Casilinum nempe ductus est, qui in Casinum erat ducendus, sive nomen non satis distincte Poeni pronuntiaverint, sive ducibus fraus tribuatur. Propter hunc errorem aversus est ab itinere; pervenerat iam ad Allifanum, tunc reversus ad meridiem per Caiatinum agrum (ut recte apud Livium rescriptum est pro Ca*l*atino agro, nam non erat cur Vulturnum traiiceret), deinde per Calenum in campum Stellatem descendit. Sic intravit Casilinum saltum et vidit

[1]) Polyb. III. 90; Liv. XXII. 13. [2]) III. 90 § 8. [3]) Liv. XXII. 13.

in agro Falerno [1] etiamsi fertilissimo se esse inclusum, mari ab occidente, Vulturno a meridie, qui a ditissimis Campaniae campis eum dirimebat, Massici denique montes eum a reliqua parte circumdabant, quorum saltum Calliculum et Casilinum Fabius statim firmissimo praesidio occupavit, ne rediret per easdem angustias, quibus intraverat. Facile intelligimus Hannibalem summopere iratum esse in pravum viae ducem, aut duces, sicut habet Plutarchus, et cruci istum affigi iussisse.

Haakhius huic narratiunculae nullam fidem habet, nam si Casinum Poenus teneret, Fabius a tergo subsecutus valde metuendus esset. At omnino non ita est, Fabius non a tergo subsequebatur, contra in Latio se tenebat, iam si saltum hostis occupasset, perrexisset sat facile Romam usque. Neque recte obiicit viam Appiam patere Romam petenti, nam Fabius in illa via stabat, quippe qui simulac ipse saltum Casilinum occupasset, dimisit magistrum equitum ad praesidio firmandum saltum, qui super Terracinam in arctis faucibus coactus mari imminet, id est saltus ad Lautulas; apparet autem ex hoc motu tum prudentia Cunctatoris, tum legiones ad manum esse in Latio, quae statim impedirent ne Poeni pergerent. Denique fabellam dixit famam Hannibalem Romam petere voluisse; at nondum his assentior, re vera per totam Poenorum expeditionem elucet hoc illis fuisse consilium, sin vero pugna Romanorum exercitum de novo delere voluisset, potuisset sine dubio etiamsi Fabius caute proelium evitabat. Concedo Hannibalem potuisse animadvertere errorem, simulac versus meridiem descendens a Roma decederet; sed iam saepius per devia iter fecerat propter loca montosa, nec Hannibal locorum gnarus esse poterat. Tum pervenire poterat hac devia in Campaniam, quod iter tres Campani

---

[1]) Polyb. III. 90; Liv. XXII 13; Aur. Vict. *V. I.* 43; Plut. *Fab.* 6; Dio Cass. fr. 57. 8.

equites, quos captivos secum ducebat, quum agnovissent, facile intelligimus eos non restitisse huic itineri, nam polliciti erant illi Hannibali, si in Campaniam exercitum admovissent, Capuae potiundae copiam fore; quod tamen aliter cecidit.

Fabius nactus erat igitur hanc egregiam occasionem conficiendi et funditus delendi summum hostem, in custodia Falerna inclusum eum tenens, et vel sic tamen carpenda negligentia eum elabi passus est, sed dei prohibuerunt vinci Hannibalem. Evasit nempe ex imminente periculo, per quem saltum nescio; accuratius in eam rem inquisiverunt hodierni peregrinatores, sed hoc non persequar. Videamus potius quibusnam insidiis ei successerit prudentem Cunctatorem fallere, postquam totum illum tractum, qui eum inclusum tenebat, devastasset [1], et Campaniae fides firmior apparuisset quam exspectaverat; tandem relinquendus erat ager ille Falernus prorsus depopulatus.

Postquam 5000 captivorum iugulasset secundum Appianum [2], quae fama nonnihil suspecta est, nam unde tale agmen habebat? paulo ante pugnatum erat quidem, sed non tam atrociter, ut tantum agmen in captivitatem deduceretur. Tum [3] boves ad duo millia collegit, quorum cornibus fasces sarmentorum quum praeligatas incendissent, eas per vim agere iussit in iugum, iuxta quod per angustias quasdam noctu ipse cum toto exercitu elaberetur. Romani ignes in summis montibus cernentes per iuga ista hostilem exercitum abire rati, non occupaverant angustias, per quas salvus hostis elapsus est, sive levi proelio in ipsis iugis a Poenis detineretur Fabius, sive propter tenebras non ausus sit hostem aggredi eiusque iter impedire, metu ne dolis circumveniretur, quum crederet hostem per iuga abire, in quibus faces apparuerant, solebat enim his uti exerci-

---

1) Liv. XXII. 13, 14. 2) *Han.* 14. 3) Polyb. III. 92—94; Liv. XXII. 15—18; Plut. *Fab.* 6, 7, *Fab. et Per.* 2; App. *Han.* 14, 15; Zonar. VIII. 26; Nep. *Han.* 5 § 2; Front. *Strat.* I. 5 § 28; Sil. Ital. VII. 310—376.

tus, quum noctu iter faciebat. Denique luce orta sero apparuit omnes hostes cum tota sua praeda tutos saltum traduxisse; tunc levior pugna commissa esse videtur in extremo agmine, quod impediret, ni fallor, quominus Fabius Poenos subsequeretur et detineretur potius, dum ipsi Allifas peterent; videtur tamen pugna ista Romanis fuisse adversa, quod erat exspectandum, Zonaras contrarium tradit, minus recte, credo.

Tunc quoque Hannibal cogitavit, an Romam peteret, sed quacunque de causa consilium mutavit, fortasse postquam Fabio frustra pugnandi obtulisset opportunitatem [1]. Secundum Livium [2] in Pelignos rediit. Hoc equidem non crediderim, nam non per eam regionem iter ducebat Geroniam, ubi hiemare volebat; Polybii [3] narratio melius sese habet, per montem Erbanum nempe rediisse Poenorum exercitum, ut recte Silius [4] eos decantat tunc reversos esse. Haakhius autem montem eiusdem nominis situm esse monet in medio Samnio ad Matesos montes, haud procul ab Allifis, ubi Tifernus oritur; exstant illo loco rudera antiquissimi operis, quae vel hodierna fama Fabio Maximo tribuit. Haec omnia facillime sic coniungi possunt, atqui Polybianae famae respondet locorum situs; per vallum, ubi Tifernus defluit, petiit Hannibal Frentanos, ubi prope Geroniam [5] hiemem degeret, sicut factum est, urbe capta et horreis in suum usum conversis.

Hoc itinere re vera Fabius Hannibalem subsecutus [6] est ex mea opinione, tunc enim non amplius anxie Latium erat defendendum; Poenus revertebatur, atqui tuto dictator dummodo modicis intervallis eum persequi poterat. Quam sententiam eo facilius tueri possum, quod constet [7] Fabium in Larinate agro, qui est Frentanorum pars meridionalis castra posuisse.

---

1) Liv. XXII. 17, 18. 2) XXII. 18. 3) III. 91 § 9. 4) VII. 157. 5) Polyb. III. 100 § 1; Liv. XXII. 23, 24; App. *Han.* 15. 6) App. *Han.* 16. 7) Polyb. III. 101; Liv. XXII. 24.

Hic tandem quiescendi locus erat, Fabius magistro Minucio in castris relicto Romam reversus est sacrorum causa, ut ferunt [1], sed Zonarae [2] illud κατά τι δημόσιον longe melius est, nam Romam se contulit ille, ut comitiis praeesset, quibus in Flaminii locum Atilius Regulus [3] consul est factus; quae etiamsi non diserte historici sic coniungunt, procul dubio sic cohaerent. Nondum consul erat factus in occisi locum, nec potuerant comitia haberi, nam Servilius aberat necnon dictator, qui statim ab inito magistratu bellum aliaque curavit de novo consule parum sollicitus; nunc vero, quum Poenus in Apuliam esset reversus, laxamenti aliquid erat datum et breve petiit Urbem, non sacrorum causa, nam iam satis sacra fecerant, sed ut novus fieret consul, Regulus nempe.

Haakhius contra huic Fabii itineri aliud quid subesse opinatur, Cunctatorem nempe Romam esse arcessitum ad rationes reddendas, quod nullum proelium cum Hannibale commisisset, quippe qui suspectus an Poenis forte propensus esset, cui suspicioni ansam dedit ager quidam Fabii in Campania, cui pepercerat Poenus [4]. Non credo Haakhium verum vidisse, ut statim demonstrare conabor, sed quod ad agrum [5] illum attinet, res non tota ad liquidum perduci potest; cohaeret cum captivis quos Fabius de suo redemit. Convenerat nempe inter duces, ut captivi permutarentur, et in singulos milites qui Poenorum captivorum numerum excederent, 247 aut secundum Plutarchum [6] 240, argenti pondo bina et selibrae sive 250 drachmae praestarentur. Verum senatus noluit hoc foedus ratum facere, sive quod aerarium deficeret, ut equi-

---

[1]) Polyb. III. 94 § 9; Liv. XXII. 23; Aur. Vict. *V. I.* 43; Sil. Ital. VII. 381, 392; Plut. *Fab.* 8. [2]) VIII. 26. [3]) Polyb. III. 106 § 2; Liv. XXII. 25. [4]) Liv. XXII. 23; Front. *Strat.* I. 8 § 2; Sil. Ital. VIII. 260 sqq. [5]) Liv. XXII. 23; Val. Max. IV. 8. 1, III. 8. 2; Aur. Vict. *V. I.* 43; Dio Cass. fr. 57. 16, 36; Plut. *Fab. et Per.* 3. [6]) *Fab.* 7.

dem credo, sive quod arrogantes patres illud iniquius haberent. Tunc dictator, ut fidem praestaret, de suo captivos redemit, filium nempe Romam misit, ut agrum suum unicum venderet, et sic in libertatem redierunt illi; nec postea Fabius ex aerario pecuniam istam accepit. Vendidit fundum suum in agro Pupiniensi septem iugerum, 1200 aeris, ut Aurelius vult, verum secundum Livium 617 pondo argenti requirebantur. Potest autem ager ille in eo Campaniae tractu situs fuisse, quem Poeni non intraverant, unde facile calumniae natae sunt Hannibalem illi agro pepercisse. Quidquid est, nullum commodum inde Fabius percepit.

Fabii filium in castris adfuisse aliunde quoque notum est, Frontinus [1] nempe tradidit Fabium Maximum quemdam hortanti filio, ut locum idoneum paucorum iactura caperet, respondisse se illud facturum dummodo ipse ex illis paucis vellet esse; cadit autem hoc testibus Dionis [2] excerptis circa haec tempora, quod Frontini editores fugerat, qui male dubitabant ergo essetne Maximus an Rullus rescribendus.

Redeamus ad calumnias, in quibus toti sunt historici [3]; Romani non sic solebant bellum gerere, ut nunc primum Fabius fecit, nam ad haec usque tempora semper aggressi erant quosvis hostes, et superiores discesserant. Nunc vero maior advenerat ille, qui tribus atrocissimis proeliis rem Romanam delere inceperat; tempore Fabius supervenit, qui alium bellandi modum requiri perspectum habebat, et sic felicissimo successu rem labentem restituit primo, quam mox alii stabiliverunt. Facile intelligimus valde displicuisse Romanis iteratas clades, et etiamsi istis finem Fabius imposuisset, nullius victoriae nuntius animos trepidantium firmaverat. Hinc illae calumniae natae, quae re

1) *Strat.* IV. 6 § 1. 2) Fr. 57. 10. 3) Polyb. III. 89, 94 § 8, 103; Liv. XXII, 12, 14, 25; Sil. Ital. VII. 504 sqq.; Plut. *Fab.* 5, 8, 9, *Reg. et imp. apophth. Fab.* 1; App. *Han.* 12; Zonar. VIII. 25.

vera in foro agitatae sunt, opinor, hinc auctae ab historicis criminationes, qui Fabium appellant Hannibalis magistrum et oratorium in modum Minucium inducunt, quem taederet languidae bellandi vel defendendi potius rationis. Verum omnino non possum mihi persuadere patres conscriptos arcessivisse dictatorem, qui nulli obediret, ad rationes reddendas. Plebem tribuni incitarunt fortasse contra nobilem dictatorem re vera patricium, verum senatus non adeo levis esse solebat, ni fallor, ut dictatorem Romam venire iuberent, cui aliam pugnandi rationem praescriberent; illi quoque procul dubio sciebant illum bene prospexisse civitati et servasse rem Romanam.

Interea [1] Hannibal comperto prudentissimum dictatorem abesse, in agro Larinate contra magistrum Minucium pugnavit, sive ab illo pugnandi cupidissimo lacessitus, sive quod potius crediderim, pabulatores [2] manus conseruerint, nam nimis prope castra posita erant; historici vero auxerunt famam huius proelii Poenis adversi, quo melius Fabiana cunctatio evaderet improbanda; dictator enim magistrum vetuerat secundum eos [3] arma conserere. Cuius pugnae nuntius quum Romam pervenisset, criminationes contra dictatorem creverunt, quas [4] hic non persequar; denique lex [5] facta est, cuius exemplum nullum adhuc exstabat, ut magistro equitum dictaturae imperium aequaretur. Appianus [6] contra omnium consensum narrat legem istam factam esse quum Poeni in Campania degebant, quae fama spernenda videtur. Huic legi Fabius non restitit, credo quod non improbaret eam, melius tam potentem hostem sic duobus locis poterant observare et si opus esset aggredi.

---

[1]) Polyb. III. 101; Liv. XXII. 24; Plut. *Fab.* 8, 9, *Reg. et imp. apophth. Fab.* 2. [2]) Polyb. III. 102 § 1. [3]) Polyb. III. 94 § 9. [4]) Polyb. III. 101—103; Liv. XXII. 25; Plut. *Fab.* 8, 9; Dio Cass. 57. 11—15; Zonar. VIII. 26. [5]) Polyb. III. 103 § 4; Liv. XXII. 26; Val. Max. III. 8. 2, V. 2. 4; Sil. Ital. VII. 515; Plut. *Fab.* 10; Dio Cass. fr. 57. 17; Zonar. VIII. 26. [6]) *Han.* 12.

In castra reversus duas Minucio dedit [1] legiones, sibi secundam et tertiam reservavit ut Livius [2] habet, verum primam et quartam secundum Plutarchum [3]. Tunc diversis locis quum duo illi imperatores castra posuissent, Hannibal [4] Minucio insidias struxit, quippe quem pugnandi cupidum cognoverat. Multis enarrare istorum motus non lubet, denique Poenus hic quoque superior esse apparuit, qui clade affecit Minucium et parum abfuit, quin circumventus esset magister suis auspiciis rem gerens. Attamen Fabius [5] haud procul aberat, qui collegae fortunae vix certior factus statim ei subvenit, et novis copiis adductis successit dictatori magistrum suum servare et ex hostium manibus eripere. Nec ingrati animi fuit Minucius neque eius milites, qui mox suae salutis totam laudem dictatori tribuerunt, cui imperium reddidit ille, dum hi honorificentissimo nomine *Patrem* eum appellarunt [6], et sic ex hostium potestate elapsus Minucius Fabio immortalem attulit laudem [7].

Tunc calumniandi finis fuit [8], omnes enim perspectum habebant tum Minucii milites tum Romae tribuni inflati Fabium bene meruisse nihil agendo nec in proelium descendendo et patriam defendendo, dum Minucius contraria usus methodo optimo quoque tempore adversa fortuna pugnaverat.

Dictaturae legitimum tempus ad finem vergebat sex mensibus praeterlapsis; nam paucis diebus post pugnam Trasimenicam IV kal. iul. inierat magistratum, et instabant iam comitia consularia mensi decembri, quorum

---

1) Polyb. III. 103 § 8; Dio Cass. fr. 57. 18. 2) XXII. 27. 3) *Fab.* 10. 4) Polyb. III. 104; Liv. XXII. 28; Front. *Strat.* II. 5 § 22; Aur. Vict. *V. I.* 43; Val. Max. V. 2. 4; Plut. *Fab.* 11; Dio Cass. fr. 57. 20; Zonar. VIII. 26. 5) Polyb. III. 105; Liv. XXII. 29; Aur. Vict. *V. I.* 43; Plut. *Fab.* 12, *Fab. et Per.* 2, *Reg. et imp. apophth. Fab.* 2; App. *Han.* 14; Dio Cass. fr. 57. 21. 6) Polyb. III. 105; Liv. XXII. 30; Val. Max. V. 2. 4; Plin. *H. N.* XXII. 5; Plut. *Fab.* 13. 7) Quinct. *Decl.* IX. 17. 8) Diod. Sic. XXVI. 3. p. 49.

mentionem historici nunc faciunt. Appianus [1] contra, qui tempora non satis accurate distinxit, tradit Servilium et Atilium denuo magistratum iniisse, sed non ita est, nam Servilius interea oram tutatus erat, et Atilius iam inierat magistratum statim postquam suffectus esset.

Denique ubi Fabius magistratu se abdicaret, novis imperatoribus tradidit copias castraque non sine longiore oratione suasoria, ut Livio [2] saltem videtur, ne temere pugnaret nec proelium iniret.

Non possum quin Fabii causa pauca subiiciam quid de celebratissima cunctatione [3] censeam, etiamsi tacticis adscribi nolim. Toti sunt historici laudibus ad coelum eum tollendo, qui solus rem restituisse ab Ennio inde canitur vel ad nostra usque tempora a superbis Fabii posteris scilicet. Cunctatoris proavus rem strenue agendo Maximi cognomen traxerat longe meliore iure quam noster si illud nactus esset Hannibalem arcendo. Nil agendo tempus tantum terebat, defendebat patriam, sed ut vere dicam non repulit Poenum, quod Spoletum fecit et postea ducum fraus, in Casilinum quae eum deduxit. Omnino non potest Fabii ingenium cum Hannibalis virtute aequiparari, hic enim infinitas difficultates superavit, ille arcuit bellum non in Samnio aut ulterius hosti obviam iturus; et quum tandem forte fortuna hostes cum omnibus copiis devia usus deflexisset et inclusus esset natura loci, tunc summus ille belli dux insidias recte adhibuit et salvus elapsus est cum tota praeda. Tunc potuerat, si re vera Maximus esset, hostem funditus delere, dum sagax fuisset et recte usus esset loci natura. Non satis laudari potest Cunctator, quod Hannibalem ex Latio arcuerit, quod eum aggredi noluerit, sed prudenter eius iter observaverit, et pugnam detrectaverit cum feroce et superiore hoste, ipse

---

1) *Han.* 16. 2) XXII. 39; Polyb. III. 106 § 4. 3) Polyb. III. 89; Liv. XXII, passim.

enim ab omni parte commeatum sibi suppeditare poterat [1], contra Hannibal, cuius ingens agmen ea de causa totum erat in agris devastandis et depopulandis; poterat ergo dictator extrahendo bellum patriamque defendendo Martem experiri, quod optime ei successit. Attamen nimium scribunt historici, ubi tradunt eum vel spe rei bene gerendae oblata noluisse pugnare.

Sunt autem illa omnia prudentissimi cuiusque, non elucet excellens et eximium ingenium ex talibus, quod Fabio nostro non fuisse videtur. Quum vero non per decantatam cunctationem verum per fraudem aut ignorantiam aliorum Poenus Campaniam intraverat et iam propius accesserat, insidiis deceptus viam eidem aperuit. Non satis est arcere hostem, clypeus enim omnino non spernendus est, utor Posidinii [2] comparatione, qui Fabium clypeo Marcellum gladio conferebat; sed si potes clypeo imo umbone utare. Potuisset illud sine dubio, quid magis exoptatum fuisset Romanis quam hostem a quo ter victi erant, inclusum tenere, qui iam quarta vice mox eos devinceret, nisi elabi eum passus esset Cunctator. Tunc apparuit Fabium non enervasse Hannibalem, ut Cicero [3] vult, quod Capuae tandem fecerunt hiberna. Ubi vero semel Hannibal evaserat, totum periculum abierat, statim enim videmus dictatorem exercitum relinquentem, tunc magister proelium iniit, nec frustra eum liberavit Fabius non cunctando verum novis legionibus adiuvando. Romanis in tanta cladum serie iam magnum facinus visum est nulla clade affectos esse per illud tempus, quo dictaturam gessit Maximus, nam huc fere tota eius laus redit; iam eo malorum Mavortia gens pervenerat!

Verbo moneam de assium permutatione, quae teste Plinio [4] placuit Romanis dictatore Fabio, quum Hannibal

---

1) Plut. *Reg. et imp. apophth. Fab.* 1; Zonar. VIII 26. 2) Plut. *Fab.* 19, *Marc.* 9; Flor. II. 6 § 27. 3) *De rep.* I. 1 § 1. 4) *H. N.* XXXIII. 3.

immineret Romae in media Italia degens, multisque Quiritium sociis minitaretur. Facile intelligitur socios tributa solvere non potuisse, quibus opus erat omnino ad solvenda grandia stipendia. Hinc nata erat summa pecuniae penuria, cui ut occurrerent, asses facti sunt unciales, denarius permutatus sedecim assibus, quinarius octonis, et sic in ceteris, praeter stipendium militare, in cuius commodum denarius pro decem assibus permansit. — Sic respublica dimidium lucrata est, erant enim asses sextantarii inde a permutatione belli Punici primi, quum itidem exhausto aerario suppletae sunt quinque partes. Nomine tantum et per brevissimum spatium respublica levabatur, nam sicut exspectari poterat, simulac argenti pretium auctum esset, pretium ceterarum rerum omnium eadem ratione cresceret necesse est, ita ut re omnia eadem maneant. Nil quidquam poterat patrum decretum contra naturam rerum, quod eventus docuit, nam anno post iterum talis argenti erat penuria [1], ut ex lege Minucia senatus et equites, potentiores fere omnes, opes suas in medium proferre coacti fuerint.

§ 9. *Pontifex* 538 [2].

Tres hoc anno demortui sunt pontifices, ex quibus duo in pugna Cannensi ceciderant, in quorum locum creati sunt Q. Fabius Maximus noster, Q. Caecilius Metellus cons. 548 et Q. Fulvius Flaccus cons. 545.

§ 10. *IIvir aedibus dedicandis* 539 [3].

Sub initium anni sequentis aedes duae dedicatae sunt, in summo rerum discrimine paulo ante votae Menti et Veneri Erycinae. Hanc Fabius voverat [4] dictator quum factus erat, quoniam in fatalibus libris editum esset illam

---

1) Liv. XXIII. 21; Flor. II. 6 § 24; Böckh, *Metrol. Unters.* p. 472.
2) Liv. XXIII. 21. 3) Liv. XXIII. 30, 31. 4) Liv. XXII. 10.

votam iri ab eo, cuius maximum imperium in civitate esset; aedem Menti eodem tempore voverat praetor T. Otacilius, cui Cunctatoris sororis (34) filia nupta erat. Dedicatio longius videtur extracta quam aedificatio postulabat, denique IIviri aedis dedicandae causa creati sunt a populo iidem qui illas voverant.

§ 11. *Consul* III. 539.

L. POSTUMIUS A. F. A. N. ALBINUS III.
. . . . PRAETURA IN GALL. OCCIS.
. . . . IS QUOD ANTEQUAM CIRETUR
. . . . OCCIS. EST. IN EIUS. L. F. E.
M. CLAUDIUS M. F. M. N. MARCELLUS II
VITIO FACTUS ABD. IN EIS L. F. E.
Q. FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS VERRUCOSSUS III [1].
TI. SEMPRONIUS TI. F. TI. N. GRACCHUS.

Paucis filum belli Punici secundi pertexere lubet, ea praesertim attingens quae ad cunctationem faciunt. Contendo Livium sibi indulsisse ubi credit, tunc quoque Fabium cunctari voluisse, quum non amplius hac ratione pugnandi opus esset et alius tacticae locus tutissimus esset. Sic consules anni sequentis [2] C. Terentius Varro et L. Aemilius Paulus recte perspectum habebant, quum Poenus in Apulia degebat, alio modo bellum gerendum esse; nec patres aliter censuerunt, qui praefecerant Varronem omnibus copiis, nec postea, ubi clade Cannensi affectus esset, in eum saevierunt, nam per tres annos extra Urbem degit bis prorogato imperio, quae non fecisset senatus, si pugnandi ratio quam ille secutus est, adeo improbanda fuisset, quam Livio visa est; sed Patavinus ille patriciorum fautor Varroni invisus erat et credebat Cannensem cladem accidisse, quod ille non esset cunctatus. Hinc Livius [3] Varronem inducit, quum praetor erat, id est quum Hannibal

---

1) Fast. Cap. h. a. et 537; Liv. XXII. 31, XXXIV. 6; Oros. IV. 16; Zonar. IX. 3; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 2) Liv. XXII. 34. 3) XXII. 39.

in Campania degebat, Fabio adversantem, cui persuadeat alio modo esse pugnandum, contra Fabius inducitur Varroni alia obiiciens, quo tempore in Apulia degebat Poenus, quo Romani perrexerant, adeo ut pugnae vitandae nullus locus esset, et copiae Romanorum adeo creverant, ut optime Poenis aequipararentur, quum singulae legiones 5000 peditum et 300 equitum factae essent, sociorum vero 5000 peditum et 900 equitum, ita ut octo exercituum summa ad 89600 fuerit [1]. Quae quum sic sese haberent, facile intelligimus Varronem pugnam detrahere noluisse sed cupiisse acie dimicare, ut sic conaretur frangere Poenorum vires et impediret, quominus Italiae terrae devastarentur et alii populi sub Hannibalis venirent potestatem. Haud scio an tunc quoque Fabius bellum extraxerit, tempora nimis mutata erant, ut defendendo et arcendo tantum satis gereretur, Livius quidem Cunctatorem hac tactica uti voluisse opinatur, sed hoc non urgendum est, nam non ubique verum assecutus est in concionibus suis.

Quidquid est, fors ita tulit, ut quo die Varro imperium gereret, ab utraque parte acies instructa sit ad Cannas et pugnatum strenuissime et fortissime. In vulgus notus est huius proelii eventus, Poenus acie sollertissime structa circumvenit Romanos, qui tunc summa clade affecti sunt, quam persequi non est huius loci, denique 45000 peditum, 2700 equites caesi inter quos nobilissimi quique consulares, praetorii, tribuni, quaestores, ceteri, praeter 3000 peditum et 300 equites, qui capti sunt; pugnam illam Alliensi cladi nobilitate parem dixit Livius.

Post hunc tristissimum proelii eventum exercitus Romani Canusium se receperunt, Romae summopere commoti erant et summi undique tumultus, sed Fabius noster in senatu ea censuisse inducitur [2], quae maxime e republica

---

1) Polyb. III. 107 § 9—13. 2) Liv. XXII. 55; Plut. *Fab.* 17; Zonar. IX. 2; Sil. Ital. X. 595—605.

essent, ita ut in eius sententiam omnes pedibus iverint. Dictator dictus est M. Iunius cum Ti. Sempronio magistro qui rei militari prospicerent, postquam quodcunque sacrum excogitari posset, sedulo observatum esset, et prae ceteris ad deorum voluntatem cognoscendam Q. Fabius Pictor (36) Delphos esset missus Apollinem consulturus, ut supra [1] iam dictum est.

Cannensem victoriam insecuta est quae erat exspectanda defectio Hirpinorum, Campanorum, Apulorum, Bruttiorum, Lucanorum, denique totus Italiae inferioris tractus et coloniae Graecae atque Galli Cisalpini ad Poenum transierunt. Antequam Campani ad Poenum transierunt, legatos Romam miserunt, Romanis auxilia oblaturi ea conditione, ut in posterum alter consul Campanus fieret; movit haec res patrum indignationem, qui legatos istos per lictorem ex Urbe eduxerunt [2]; inducit Silius [3], ubi huius rei mentionem facit, Fabium quoque postulationi adversantem.

Hannibal hiemem, quae instabat, Capuae degit, quae ditissima regio Carthaginiensi exercitui exitio fuit, nimis diu luxuriandi et quiescendi tempus militibus datum est, ut in vulgus notum est. Contra Romani quiescebant non tantum sed vires reficiebant, et sic, ut supra [4] vidimus senatum legit dictator extra ordinem M. Fabius Buteo (31), aedes dedicatae sacerdotesque creati sunt.

In hoc rerum statu Fabius noster tertium iniit consulatum [5], de quo iam nunc videamus. Suffectus erat nempe in locum Postumii, qui a Gallis Boiis erat occisus [6], M. Marcellus, sed quum magistratum iniret, Iupiter tonuit, quod omen patricii statim arripuerunt contendentes dis non cordi esse duos plebeios consules; horum in sententiam augures responderunt, atqui novus in Marcelli locum

---

1) Cf. Lib. V. Cap. IV § 3, p. 153. 2) Liv. XXIII. 6. 3) XI. 90—97. 4) Cf. Lib. VI. Cap. III § 3, p. 222. 5) Liv. XXIII. 31, 32, 36, 37, 39, 46, XXIV. 7—9; Oros. IV. 16; Zonar. IX. 3. 6) Polyb. III. 118 § 7; Liv. XXIII. 24.

suffectus est consul Fabius. Consentiunt historici hac in re, nec est cur Haakhius Zonarae [1] imputet Marcellum male Fabio collegam adscripsisse, nam illo loco sermo est de quarto consulatu Cunctatoris, quem gessit re vera collega Marcello.

Multa memoranda noster non gessit, nec mirum, quarta ista clades nimis affecerat rem Romanam, tota Italia inferior defecerat, redierat tempus cunctandi et defendendi, et sic hoc et praesertim sequenti anno valet de Fabio, quod Valerius [2] elate nimis exclamat, imperium Romanum quum Cannensi proelio paene destructum erat, Fabium melius ratum esse frustrari et eludere Poenorum impetus quam manum cum his conserere vel plurimis comminationibus Hannibalis irritatum.

Religiosior nonnihil temporis aliquid trivit Cunctator in prodigiis procurandis, quae alia super alia nuntiabantur, et haud ita facile litari posse haruspices contendebant. Suscepit copias, quas modo dictator M. Iunius habuerat; ad Cales in Campania eas tenuit in castris, quae non audebat movere nec Vulturnum traiicere. M. Claudius pro consule praesidebat Nolae cum exercitu supra Suessulam, et Varronis exercitum in Piceno suscepit praetor Valerius. Fabius qui Campanarum urbium fidei non multum tribuebat, ex senatus consulto edixit pro hoste se habiturum eam, qui non ante kalendas iunias in urbes munitas frumentum convexisset; fecit hoc prudenti admodum consilio, ne copiis suis frumentum deesset.

Haud scio an recte fecerit Cunctator tamdiu in castris degendo, et melius opinor collegae subvenisset. Sempronius [3] nempe insidiatus erat Campanis gentile sacrum quoddam facturis ad Hamas haud procul a Cumis, ubi plus duobus millibus eorum cum duce Mario Alfio cecidit; sed Cumas quum se receperat ab Hannibale obsessus est, qui

[1]) IX. 4. [2]) III. 8. 2. [3]) Liv. XXIII. 36—38.

in agris Tifatis ad Capuam tenebat castra; post acriorem eruptionem et strenuam defensionem Poeni in Tifata se receperunt, eodem die quo contra Hannonem prospere pugnavit Ti. Sempronius Longus in Lucanis ad Grumentum, ita ut Poeni in Bruttios pulsi fuerint et ex Hirpinis Romani receperint Vercellinum, Vescellinum et Sicilinum.

Tandem faustis ominibus procuratisque prodigiis, ut ferunt, Fabius Vulturnum traiecit [1] et cum Sempronio se iunxit, quod tunc demum facere potuit Cunctator, quum Hannibal, qui inter duos illos exercitus medium obtinebat locum, uno alterove motu non erat metuendus, ni fallor; fortasse postquam Hannibal Nolam aggredi coepisset, nam tunc Tifata ille reliquit, non reversurus, siquidem in Apuliam rediit, ut statim videbimus. Ubinam Fabius Vulturnum traiecerit, non liquet, nec conficit situs trium urbium in confiniis Samnii et Campaniae quas cepit, Compulteriam, Trebulam et Saticulam, quae defecerant ad Poenum, praesidiis Hannibalis Campanisque permultis captis. Constat autem consules tunc coniunctim egisse et totum Campaniae tractum devastasse Capuam inter et Nolam, cui Claudius Suessulae praesidebat; hic copias suas cum consularibus iunxit et sic Hirpinos Samnitesque depopulabantur, dum Hannibalem impedirent Nola potiri. Postquam frustra Poenus conatus erat per proditionem illam urbem capere [2], cuius plebs illi favebat, dum senatus Romanis propensus erat, coepit eam expugnare, sed cum Marcello manus quum conseruit, victus est ab illo. Tum Hispani Numidaeque equites ad numerum 1272 ad Marcellum transfugerunt, quorum opera postea Romani saepe usi sunt.

Post hanc pugnam adversam Hannibal in Apuliam reduxit copias suas, hiberna circa Arpos petiturus, quod quum Fabius compertus esset, ipse Capuam propius castra

---

[1]) Liv. XXIII. 39. [2]) Liv. XXIII. 44—46; Eutrop. III. 12; Plut. *Marc.* 11.

movit, firmavit Campaniam frumentumque subvehi iussit, et sic tandem Romani Capuam receperunt. Fabius ad Suessulam, Sempronius Luceriae hibernavit, cui continua etiamsi leviora proelia fuerunt cum Hannibale.

Quum comitiorum tempus instabat, Fabius Romam se contulit [1], postquam Puteolos per bellum coeptum frequentari emporium, communierat praesidio imposito; habuit comitia, de quorum exitu statim videbimus.

Cetera quae ab aliis Romanis acta sunt extra Italiam aut intra nolo attingere, neque belli Macedonici initia, quippe quae ad gentem nostram non pertinent. Hoc [2] tantum lubet memorare propter summam pecuniae penuriam, qua premebantur Romani, legem Oppiam esse latam, ne qua mulier plus semunciam auri haberet, neu vestimento versicolori uteretur, neu iuncto vehiculo in Urbe oppidove aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa veheretur; per 20 annos invaluit, nam anno 559 haec luxuriae frena sublata sunt.

§ 12. *Consul* IV. 540.

Q. FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS VERRUCOSSUS IV [3].
M. CLAUDIUS M. F. M. N. MARCELLUS III.

Fabius [4] comitia habuit, ut dicebam, qui, quum praerogativa T. Otacilium et M. Aemilium Regillum consules diceret, verba fecit, quibus dissuasit illos creari, Regillus enim flamen erat Quirinalis, quem cura sacrorum retinebat [5], nec Otacilius, qui sororis Fabii filiam habebat uxorem, par erat oneri, quod tunc consuli erat sustinendum, cuius rei causam statim [6] videbimus; denique iterum praerogativa suffragium iniit, creatique Mar-

---

1) Liv. XXIV. 7. 2) Liv. XXXIV. 1—8; Tacit. *A.* III. 33; Val. Max. IX. 1. 3; Oros. IV. 20. 3) Fast. Cap. 537; Liv. XXIV. 9; Cic. *Cato* 4 § 10; Nep. *Cato* 1 § 2; Plut. *Reg. et imp. apophth. Fab.* 3; Zonar. IX. 4; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 4) Liv. XXIV. 7—9. 5) Cf. Lib. V. Cap. v § 2, p. 200. 6) Cf. Cap. vi huius Libri.

cellus III et contra morem, ex quo non licet eum consulem creari, qui comitiis praeest, ipse Fabius noster [1].

Antequam Fabius rediret ad exercitum, comitia censoria habuit, quibus M. Atilius Regulus et P. Furius Philus creati sunt, attamen propter Furii mortem lustrum non conditum est; severe censum egerunt [2], acerbe animadverterunt in eos equites, qui ad Cannas pugnaverant, qui tribu moti et equis ademtis iussi sunt pedibus mereri in Sicilia.

Omnibus [3], qui ad exercitum erant, prorogatum est imperium, quibus 18 legiones distributae sunt, sex novae nempe scriptae erant, inter quas volones quoque nomen dederunt. Nec minus classis summa industria parata est, centum naves deductae sunt quae armatae sunt et instructae privatis impensis. Quarum rerum Hannibal [4] certior factus a legatione Campanorum, statim Arpis castra movit et in agrum Tifatum denuo se contulit.

Fabius de more prodigia primum procuravit, quae ut Livius [5] ingenue admodum fatetur, eo plura nuntiabantur, quo magis iis credebant simplices ac religiosi homines. Tum Capuam se contulit propter Hannibalis iter, opinor; qua in expeditione Cato cum Fabio nostro adolescentulus profectus est secundum Ciceronem [6], Nepos [7] contra tradit eum hoc anno tribunum militum in Sicilia militasse.

Sempronius [8] qui circa Luceriam steterat, copias Beneventum admovit in eam viam, per quam Hannibal Capuam peteret, sed sero venit, iam de more Poenus transierat et ad lacum Averni [9] sacro quodam peracto repente ad Puteolos opprimendos se vertit, quos a Fabio modo munitos esse diximus; interea agrum Cumanum vastavit usque ad Misenum promontorium. Nola ad Hannibalem mox

1) Liv. XXIV. 7—20; Zonar. IX. 4. 2) Liv. XXIV. 11, 18; Val. Max. II. 9. 8. 3) Liv. XXIV. 10, 11. 4) Liv. XXIV. 12. 5) XXIV. 10. 6) *Cato* 4 § 10, *Brut.* 19 § 77. 7) *Cato* 1 § 1. 8) Liv. XXIV. 12. 9) Liv. XXIV. 13.

defecisset, nisi Marcellus intervenisset et sic per Romanum praesidium Poenis urbem eripuisset. Nec frustra Sempronius [1] advenerat, quippe qui ad Calorem fluvium cum Hannone ex Bruttiis redeunte magnum proelium iniit, in quo prae ceteris acerrime pugnarunt Sempronii volones libertate praemio praeposita iis, qui caput hostis retulissent. Tum Marcellus haud procul a Nola cum Hannibale manus conseruit [2], ex qua pugna parum abfuit, quin victor discessisset ille, nam equites quos Suessula arcessiverat, sero advenerunt; verum Marcellus, quem recte civitatis gladium dixeris, strenue rem gessit, et 2000 hostium caesis superior fuit. Sensit tunc Poenus se nequidquam conatum esse Nolam capere atque diutius degere in Campania, tertio die post castra movit et Tarentum abiit cum spe certae proditionis.

Cunctator [3] ad Casilinum erat, quod praesidio Campano et Punico tenebatur, quo quum eius castra nimis lacesserentur, Marcellum cum parte copiarum arcessivit, quod tute fieri poterat, nam Poenus iam petierat Calabriam. Coniunctis viribus Casilinum obsidere coeperunt, quod haud scio an cepissent, si Marcellus non adfuisset; hic enim Fabium, qui rem omittere malebat, retinuit, et vineis machinisque admotis urbe potiti sunt Romani, qui oppidanorum turbam in custodiam dederunt per finitimos, de ceteris Romam missis supplicium sumi placuit.

Deinde a Fabio receptae sunt [4] plures Samnii urbes, quae ad Hannibalem defecerant, Compulteria, Telesia, Compsa, Mela, Fulfulae, Orbitanium, ex Lucanis Blandae, ex Apulis Aecae, nisi forte huius urbis oppugnatio Cunctatoris filio (37) Q. Fabio praetori vindicanda sit, qui in Apulia degebat et prope Luceriam Accuam cepisse fertur, noster enim non adeo perrexit, ni fallor. Multos in

---

1) Liv. XXIV. 14—16; Flor. II. 6 § 30; Zonar. IX. 4. 2) Liv. XXIV. 17. 3) Liv. XXIV. 19. 4) Liv. XXIV. 20.

his urbibus captivos factos esse, quorum pars morte poenas dedit, non est quod dicam, severe admodum animadvertendum erat in omnes istos, qui imperio Romano parere desierant. Praeterea totus fuit in agris depopulandis, prae ceteris Caudinus Samnis gravius devastatus est, terrae perustae, et praedae hominum pecudumque actae.

Haakhius hic inserendum censet factum illud memorabile Cunctatoris nostri, qui Marsum Statilium [1] nobilem peditem, equitem alii eum dicunt, ad hostes transfugere volentem vocari ad se iussit et pro tribunali laudavit fortitudinis causa, quam ad id tempus ignorasset, tum donato ei equo pecuniam insuper largitus obtinuit, ut sic fortem non tantum sed fidelem quoque equitem haberet. Valerii novissimus editor vindicat Aurelii et Frontini scripturam Marium Statilium; at ex Livio [2] constat Lucanorum ducem quemdam hoc nomine ornatum fuisse; secundum Valerium Nolanus fuit, equidem alteram praefero scripturam propter Plutarchum, nam non mihi possum persuadere Fabium tam facile ducem Lucanorum sibi devicisse, quod si re vera accidit, iam secundo tertiove consulatu Cunctatoris locum obtinuisse videtur.

Alterum factum eiusdem generis iidem [3] nobis tradiderunt; habebat Fabius Lucanum equitem in castris amore scorti deperditum etiamsi fortissimum, qui ne ob amorem filiolae infrequentior fieret, clam redemit eam, deditque dono, et sic paratissimum pro excursore reddidit illum. Non possum premere suspicionem factum illud a Valerio male adscriptum esse Fabio, quod uberius Livius [4] de Scipione tradidit, ex quo erroneo fonte ceteri hausisse videntur, qui de Fabio illud narrant.

Hannibal in Tarentinum agrum pervenit, ubi mox persensit Tarentinos falsa retulisse atque pollicitos esse, no-

[1]) Val. Max. VII. 3. 7; Front. *Strat.* IV. 7 § 36; Aur. Vict. *V. I.* 43; Plut. *Fab.* 20. [2]) XXII. 42. [3]) Val. Max. VII. 3. 7; Aur. Vict. *V. I.* 43; Plut. *Fab.* 20, *Reg. et imp. apophth. Fab.* 4. [4]) XXVI. 50.

luit tamen eorum terras devastare sed in Sallentinos Numidas Maurosque praedatum misit. In ultimum igitur Italiae locum aufugerat Poenus, frustra hic illic castra ponens, Italorum animos infidos ubique locorum expertus. Non magna commoda ex longis illis itineribus atrocibusque bellis nascebantur, nec amplius Poenus Romanis erat timendus. Iam alter consulum Marcellus Italiam poterat relinquere, qui in Siciliam missus est, ubi Syracusas oppugnavit; sed ista omnia etiamsi nobilissima mitto, quippe quae non ad gentem nostram pertinent.

Fabius comitia habuit [1] consularia, quibus creati sunt consules ambo absentes Q. Fabius Maximus filius (37), de quo sequenti capite dicemus, et Ti. Sempronius Gracchus II, quos designatos statim arcessivit.

Hic inserendus videtur locus Polyaeni [2], ubi scribit Q. Fabium recusasse consulatum, eique magis e republica esse visum, ut domi maneret ipse aetate provectior, dum strenuus filius gereret consulatum, neque eum cum filio proficisci voluisse, ne splendorem filio detraheret. Nullus alius locus melius huic rei convenit, pro cuius veritate nolo intercedere.

§ 13. *Legatus ad filium* 541 [3].

Fabii collegae imperium prorogatum est propter Syracusas obsessas, an Fabio quoque variant auctores; secundum Quadrigarium pro consule missus est ad filium, secundum Livium legatus nomine tantum, sed nonnumquam duo illa munera idem gerebat [4].

Huius legationis memoria ad nos pervenit propter hoc factum; venit nempe pater ad filium in castra, ad Suessulam, ut Livius scripsit, quem Valerius sequitur, ceteri

1) Liv. XXIV. 43. 2) VIII. 15. 3) Claud. Quadrigar. *An.* VI ap. Gell. II. 2 § 13; Liv. XXIV. 44; Val. Max. II. 2. 4; Plut. *Fab.* 24, *Reg. et imp. apophth. Fab.* 7. 4) Cf. Lib. I. Cap. II § 3, p. 32, et Cap. V § 6, p. 65.

locum non addunt, atqui verum non est, quod Haakhius sibi videbatur legisse apud Plutarchum Romae illud accidisse. Venit, inquam, in castra equo vectus, ex quo noluit descendere etiamsi obviam iret consuli, sed praetervectus est undecim fasces sive maiestatis verecundia non auderent lictores iubere ut descenderet, sive ut Valerius coniecit, irae plenus et indignatus quod nemo ex lictoribus illud iussisset; quidquid est, non verisimilis Plutarchi coniectura propter aetatem et debilitatem eum equo vectum, nam experiendi causa illud fecit, et desiluit demum ubi proximus lictor iussu consulis inclamasset, tum experiri, inquit, volui, satin scires consulem te esse.

Praeterea retinuit [1] noster filium suum, quum nimis atrociter de Arpino quodam Dasio Altinio iudicaret, qui se Arpos proditurum proposuerat; volebat eum verberare et necare in praemium dubitatae fidei Arpinorum, pater contra proditorem in libera custodia eum servandum censebat, sicut factum est; cuius rei nuntio ad Hannibalem misso, atrocius ille animadvertisse fertur in proditoris liberos.

§ 14. *Princeps Senatus* 545 [2].

Censores huius anni M. Cornelius Cethegus et P. Sempronius Tuditanus qualem egerint censum, nunc non persequar, praeter quod ad nostrum attinet; magna fuit inter eos contentio in senatu legendo, quemnam principem legerent. Mos enim erat, ut is princeps legeretur, qui primus censor fuisset ex senatoribus; vivebat adhuc T. Manlius Torquatus censorius anni 523, sed procul dubio Cunctator omnium consensu dignus habebatur, qui hoc ornaretur honore. Sempronius recte illud perspectum habebat, verum alter nimis tenax resistebat, tandem concessit et Q. Fabium Maximum principem senatus dixit Sempronius. Sequenti lustro anni 550 eodem honore iterum ornatus est [3].

---

[1]) Liv. XXIV. 45; App. *Han.* 13. [2]) Liv. XXVII. 11. [3]) Liv. XXIX. 37.

§ 15. *Consul* V. 545.

Q. FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS VERRUCOSSUS V [1].
Q. FULVIUS M. F. Q. N. FLACCUS IV.

Pervenimus ad ultimum Cunctatoris consulatum [2], nam nolo haerere in sententia quadam, quam a Livio [3] inducitur pronuntiasse in senatu, quis quaeso talibus fidem habeat?

Vidimus supra Hannibalem anno 540 Tarentum adiisse, unde, quum nullam proditionis spem haberet, se contulit Salapiam anno 542; explosit Livius [4] alteram famam proximo anno defecisse Tarentum, cepit eam urbem, quam tenuit usque ad annum 545 ultimum refugium. Capua enim iam anno 543 devicta erat et capta a Romanis [5], atqui fallitur Cicero [6] scribens Fabio consule Capuam esse devictam, quippe quod acciderat consulibus Cn. Fulvio et P. Sulpicio, quae nomina Lambinus iusto audacius rescribenda censet.

Igitur vix in ultima Italia aliquid gerebat Poenus, etiamsi Romanos externa bella premebant; ambo consules aberant, ergo dictator comitiorum causa dictus est, quae non sine magna contentione habita sunt, denique ipse dictator consul creatus est cum Cunctatore, quod temporum causa concessit senatus.

Antequam consules in provincias profecti sunt, legati [7] duodecim coloniarum Romam venerunt de belli diuturnitate querentes, quod nimis multi absumerentur, ita ut neque milites neque pecunia superesset, mox ergo fore ut imperio Romano se detraherent; octodecim aliae coloniae quae defecerant, quum Hannibal ad eas pervenisset, nil

---

1) Fast. Cap. 537; Liv. XXVII. 6, 7; Cic. *Brut.* 18 § 72, *Leg. agr.* II. 33 § 90; Eutrop. III. 16; Oros. IV. 18; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic.
2) Liv. XXVII. 6—21; Eutrop. III. 16; Oros. IV. 18; Zonar. IX. 8.
3) XXVI 8. 4) XXV. 11. 5) Polyb. VIII. 26—36; Liv. XXV. 7—11.
6) *Leg. agr.* II. 33 § 90. 7) Liv. XXVII. 9, 10.

audebant, sed in fide se permansuras pollicebantur. Consules nil quidquam ceteris obloqui ausi sunt prae temporibus, ita ut si Livio credas, tacite castigatae sint. Hoc equidem sic intelligerem, ut statuas eas partem stipendii accepisse ex quatuor illis millibus pondo auri, quae ad ultimos reipublicae casus in aerario servabantur, et nunc demum expromta esse feruntur.

Tum [1] census actus est lectusque senatus, atque procuravit religiosus Cunctator prodigia maioribus hostiis iussu sacerdotum, denique profecti sunt Fulvius in Lucaniam et Bruttios cum duabus legionibus et Fabius cum totidem copiis Tarentum, quod ut mari quoque oppugnaretur, 30 quinqueremes ex Sicilia ei missae sunt. In Bruttiis [2] Caulonia obsessa est, ut Hannibal detineretur, qui ad Canusium contra Marcellum ex Sicilia qui victor redibat, pugnavit felici successu, verum tertio die post proelium instauravit, ex quo superiores Romani discesserunt; fuit illud acerrimum nec incruentum propter elephantos, attamen non potuit Marcellus Poenum in Bruttios redeuntem insequi. Tum [3] Hirpini Lucani, et Volcentes se dediderunt Fulvio, dum eius collega ex Sallentinis Manduriam vi cepit, et sic metu sublato ut a tergo Poenus eum aggrederetur, Tarentum oppugnandi fecit initium, quod recepit [4], ut Cicero [5] dicit, ubi Cunctatoris aculeum in M. Livium Salinatorem narrat, contendentem sua opera Tarentum esse captum: »nisi tu amisisses Tarentum, ego numquam recepissem"; idem dictum narrantem inducit Catonem [6], ex quo loco glossam hausit lector ille, qui praecedenti paragrapho Q. Maximum explicaret per »eum qui Tarentum recepit", quae non in textum erat recipienda.

---

1) Liv. XXVII. 11, 12. 2) Liv. XXVII. 12—14. 3) Liv. XXVII. 15. 4) Polyb. X. 1 § 10; Cic. *Brut.* 18 § 72; Sil. Ital. XV. 321; Eutrop. III. 16; Oros. IV. 18; Plut. *Cat. mai.* 2; Zonar. IX. 8. 5) *De orat.* II. 67 § 273; Liv. XXVII. 25; Plut. *Fab.* 23, *Reg. et imp. apophth. Fab.* 6. 6) *Cato* 4 § 11.

Sexto die postquam urbem aggressus erat [1], cepit eam, simul ab omni parte impetu facto, et vel sic non potuisset capi, ni intra moenia proditio fuisset. Tarenti nempe praefectus Bruttiorum deperibat amore mulierculae, cuius rei frater eius miles Fabianus certiorem fecit Fabium. Huius iussu pro perfuga Tarentum introductus per sororem praefecto conciliatus mox perpulit eum blanditiis muliebribus ad proditionem. Praeter hanc alteram famam tradit Plutarchus, mulierem istam non Tarentinam sed Bruttiam fuisse Fabioque concubinam, quae quum Bruttiorum praefectui familiaris esset, sub moenibus congressa hominem induxit et sic urbem prodidit; equidem alteram famam praefero, nam Fabius aetate nimis provectus erat, quam ut cum concubina rem haberet, ni fallor.

Sic facile ab una parte murum transcendit, dum ab altera impetus fieret. Summis viribus intra moenia pugnatum est, ut in talibus fieri solet, et vi ac armis Tarentum captum est, atque multi caesi sunt, inter quos dux Poenorum Carthalo, tum ut apud Eutropium [2] pro XXV rescribendum est, XXX millia servilium capitum capti [3], magna praeda facta est, quam militibus dispertivit imperator, ingens vis argenti facti signatique, auri octoginta tria pondo. Signa noluit Cunctator Romam secum ducere, quippe qui magnos illos deos iratos Tarentinis relinqui iussit [4]; contentus fuit secum ducere Herculis aeneam statuam, gentis suae auctoris, quod Lysippi opus in Capitolio posuit [5] sibique secundum Plutarchum [6] statuam equestrem iuxta Iovis; aliud Lysippi opus Iovis statuam 40 cubitorum propter magnitudinem difficultatemque tollendi Tarenti reliquit.

---

1) Liv. XXVII. 15, 16; Sil. Ital. XV. 320—333; App. *Han.* 49; Plut. *Fab.* 21, 22; Polyaen. VIII. 14 § 3. 2) IV. 16. 3) Liv. XXVII. 16; Oros. IV. 18; Plut. *Fab.* 22. 4) Liv. XXVII. 16; Plut. *Fab.* 22, *Marc.* 21, *Reg. et imp. apophth. Fab.* 5. 5) Plin. *H. N.* XXXIV. 7; Aur. Vict. *V. I.* 43; Strab. VI. 3. 6) *Fab.* 22.

Muri Tarenti iam diruti erant, quum Hannibal adveniebat Caulonia, tunc Metapontum se recepit, ubi Cunctatorem ad colloquium invitavit, ad quem interea plures urbes transibant [1]; Fabius [2] iam ut iret paratus non fraudatus est insidiis Punicis, sive aves non addixerint, sive ut Zonaras [3] tradit, quod epistola suspicionem movisset.

Venditis captivis, quorum pretium in aerarium contulit, 3000 talenta, ut tradit Plutarchus, Romam rediit triumphans si Plutarcho [4] credas, qui addit hunc priore fuisse honoratiorem, Livius verum nil habet de triumpho, ex cuius testimonio [5] hoc tantum deducas, eum post annum praeterlapsum rediisse. Plutarchi unicum testimonium suspectum mihi est, nam nullum Romani egerunt triumphum per totum hoc bellum, nec est cur de exceptione cogitemus, receperat quidem Tarentum, sed Hannibal degebat adhuc in Italia.

Postquam Fabius Romae reversus erat, de sorte Tarenti coram illo actum est [6], nec colonia adhuc deduci poterat belli causa, placuit ergo Tarentinos intra moenia contineri.

Tum inducitur [7] princeps senatus conciliasse inter sese Neronem Liviumque consules in annum 547 designatos, quorum hunc monuit [8] ne priusquam genus hostium cognosset, temere manum consereret, quod ab eo exspectari poterat.

Quum paulo post in senatu agebatur de Africa nova provincia P. Scipioni decernenda, Fabius [9] adeo adversatus est illi, ut suspicio adsit inimicitiarum; nec Africa ei decreta est, postea tamen permittente senatu traiecit in Africam, de quibus omnibus multa patres censuerunt et princeps prae ceteris.

---

1) Eutrop. III. 16. 2) Liv. XXVII. 16; Plut. *Fab.* 19. 3) IX. 8. 4) *Fab.* 23. 5) XXVII. 21. 6) Liv. XXVII. 25, 35. 7) Liv. XXVII. 35. 8) Liv. XXVII. 40; Val. Max. IX. 3. 1. 9) Liv. XXVIII. 40—44; Plut. *Fab.* 25, *Per. et Fab.* 2.

Denique teste Cicerone [1] senex anno nempe ante mortem 550 suasor exstitit legis Cinciae, ne quis ob causam orandam pecuniam donumve acciperet, quae tota conveniebat cum Cunctatoris ingenio.

Prae ceteris honoribus, quibus Cunctatorem ornarunt Romani, corona graminea donatus esse fertur a Gellio [2], quod urbem Romanam obsidione hostium liberasset, secundum Plinium [3], quod Hannibal ex Italia pulsus esset, qui diserte addit, non in dictatura hunc honorem ei esse tributum, quum satis esset novo nomine eum ornare, et hoc peculiare ei fuisse quod sola a tota Italia data sit. Senatum populumque Romanum hanc coronam Fabio dedisse, constare videtur, sed causa non liquet; falsum enim est quod Plinius scripsit, siquidem Hannibal ex Italia pulsus fuerit anno 552; at tunc Cunctator iam diem obierat supremum [4] anno ante. Nec Gelliana causa verisimilis est, quoniam idem ille addit corona graminea sive obsidionali ornari eum qui obsidione alios liberavit, eamque fieri solitam e gramine quod in loco obsesso esset generatum; hinc sequitur Romanos se obsessos fuisse fateri, quod prout ego scio non cadit in Romam; manet igitur difficultas, vel si Plinii errorem de causa et tempore concesseris.

§ 16. *Augur* [5].

Praeter pontificatum ad mortem usque Fabius functus est altero sacerdotio auguratus nempe, cui collegio per 62 annos interfuisse fertur. Livio haec fama suspecta videbatur, Plinius contra pro certo hoc posuit inter provectae aetatis exempla, imo Valerius ausus est scribere Verrucosum nostrum robusta aetate hoc sacerdotium adeptum esse. Sic fama crescit non tantum sed firmatur etiamsi nil falsius, ut ipsius Valerii observatione demonstrari

[1]) *Cato* 4 § 10. [2]) VI. 1 § 10. [3]) *H. N.* XXII. 5. [4]) Cf. § 18 huius Capitis, p. 349. [5]) Liv. XXX. 26; Plin. *H. N.* VII. 48; Val. Max. VIII. 13. 3.

potest: »quae utraque tempora (auguratus scilicet 62 annos et robustam aetatem) si in unum conferantur, facile saeculi modum expleverint." At aliunde Fabii aetas innotuit, mortuus est [1] 30 annis post primum consulatum atqui 70—75 annum agens; a quo numero auguratum si detraxeris, robusta scilicet aetas superest 8—13, puerilem quam recte dixeris. Teste Livio [2] perraro accidebat, ut adolescens hoc fungeretur sacerdotio, hinc erroneum numerum inde natum esse crediderim, quod annus 489, quo Q. Fabius Maximus augur factus erat, ad Cunctatorem tractus sit, ubi eius pater (29) erat intelligendus.

Eius scientia iuris auguralis laudatur a Catone apud Ciceronem [3], qui tradit Maximum, augur quum esset, dicere ausum esse: »optimis auspiciis ea geri, quae pro reipublicae salute gererentur, quae contra rempublicam ferrentur, contra auspicia fieri."

§ 17. *Laus litteraria.*

Sequitur, ut paucis videamus de morte Cunctatoris filii consularis, quam senex noster admirabilem in modum tulit [4]; ipse filium carissimum extulit [5] laudavitque in foro. Hanc laudationem postea editam Cato legisse apud Ciceronem fertur; Plutarchus vero non vidit eam, scripsit [6] quidem διασώζεται, sed alio loco [7] dixit γράψας τὸν λόγον ἐξέδωκεν, quod ex Cicerone [8] videtur vertisse, atqui non audeo [9] urgere orationem istam vel Plutarchi temporibus servatam esse; Heeren [10] igitur male inde collegit Plutarchum istam laudationem legisse; quam haud scio an intellexisset.

Cato in loco illo de Senectute laudibus extollit Q. Maximum eumque philosophum dicit, cuius notitiam antiqui-

---

1) Cf. § 18 huius Capitis. 2) XXIX. 38. 3) *Cato* 4 § 11, 12.
4) Cic. *Cato* 4 § 12, *ad fam.* IV. 6 § 1. 5) Cic. *nat. deor.* III. 32 § 80, *Tusc.* III. 28 § 70. 6) *Fab.* 1. 7) *Fab.* 24. 8) *Cato* 4 § 12.
9) Cf. Lib. V. Cap. IV § 6, p. 165. 10) *De font. Plut.* 121.

tatis scientiamque iuris auguralis laudat. Multas litteras quoque in eo fuisse pro Romano homine, auctor nobis est Cicero, eiusque sermone Catonem [1] frui solere cupidissime facile intelligimus, propter copiam rerum quas memoria tenebat, non domestica solum sed etiam externa bella. Hinc summa eius auctoritas [2] in honore erat apud Romanos necnon eius sapientia [3] imo calliditas [4], quippe qui considerate [5] egisset et prudenter.

In Ciceronis [6] de Fabii laude litteraria testimonio acquiesci potest, quippe qui non temere videtur induxisse Catonem sic de ea re loquentem. Habitus est auctore Cicerone [7] Verrucosus orator temporibus illis. Quod autem Plutarchus [8] de eius stilo dicit, vereor ne fallaci coniectura nisus scripserit, non levem atque futilem eum fuisse verum altum et gravem ac Thucydideo haud dissimilem, vix enim tunc litterae erant.

Non poenitebit duo Cunctatoris dicta memorasse, quae Seneca nobis servavit, unde fortasse quispiam philosophis Q. Maximum adnumeret; beneficium nempe ab homine duro aspere datum vocabat *panem lapidosum* [9], et turpissima imperatoris illi videbatur excusatio *non putavi* [10].

§ 18. *Mors* 551 [11].

Superest, ut dicamus de morte Q. Fabii Maximi, quae in annum 551 incidit, quum exactae aetatis annum 70—75 agebat, mortuus est in sacerdotio, ut fieri solebat, non vero in consulatu, quod ex Plinii [12] loco male quidam collegerat, nam pertinet illud ad Q. Fabium Maximum (55) consulem 709. Livius diserte memorat Cunctatoris mortem, atqui non erat cur Kraftius de hoc anno dubitaret.

---

1) Plut. *Cat. mai.* 3, *Praec. reip. ger.* 11. 2) Cic. *Cato* 17 § 61. 3) Cic. *Verr.* II. v. 10 § 25. 4) Cic. *Off.* I. 30 § 108. 5) Cic. *de rep.* V. 8 § 10. 6) *Cato* 4 § 12. 7) *Brut.* 14 § 57. 8) *Fab.* 1. 9) *De benef.* II. 7. 10) *De ira* II. 31. 11) Liv. XXX. 26; Plut. *Fab.* 27. 12) *H. N.* VII. 53.

Maximum nostrum publice elatum esse vix attinet ex Plutarcho describere, nam ex certa analogia et constanti more nobilissimus ille dictatorius, cui Roma tanta debuit, indicto iustitio palam laudatus est pro rostris, quemadmodum ipse filium laudaverat. Subiungit ille optimum quemque vel minimum nummum contulisse, non quod Fabio pecunia deesset, sed ut sic populus patrem suum efferret, atqui mors et funus recte cum vita honorata convenit, sic enim maior et speciosior eius funeris pompa ducta est per grati populi specimen, ut dixit Valerius [1].

§ 19. *Nummi.*

Finem faciamus in nummis describendis, quos ad Cunctatorem relatos esse inveni, primo de tribus Goltzianis dicemus, tum de aliis, qui re vera signati sunt a Q. Fabio Maximo etiamsi non a dictatore nostro.

I [2]. Caput Romae galeatum in corona ex laureo, pone *ROMA*, ante nota denarii.

Neptunus in quadrigis decurrentibus, dextra tridentem, sinistra habenas; in imo prora navis, *Q*uintus *MAX*imus *VERRUC*osus.

Ipse auctor fraudem indicat, voluit nempe, ut candide fatetur, coronam illam lauream pro graminea forte positam, qua Fabius donatus est teste Plinio, pertinet ad Fabii consulatum quintum, quum de Tarentinis triumphavit. Sperni debent ista, nam quos tibi induces plumbeos Romanos, qui coronam gramineam si vellent, lauream scilicet pingerent! Nec videtur triumphasse noster, ut supra vidimus, nec propter hunc testem sententiam muto.

II [3]. Caput Romae galeatum, pone *ROMA*, ante *VERRUCOSS*us.

*Q*uintus *FABI*us *MAXIM*us, togatus in quadrigis

---

1) V. 2. 3. 2) Vaill. N°. 11; Mor. XVI. 10. 3) Vaill. N°. 10; Mor. XVI. 7.

triumphalibus, dextra habenas, sinistra scipionem eburneum tenens; Victoria per aera volitans ei coronam prorigit.

Contra hunc nil habeo proferendum, auctor eius voluit eum referre ad Cunctatoris de Liguribus triumphum propter Victoriam.

III [1]. Caput Herculis diademate revinctum et barba decorum, humeros exuviae leonis ornant et clava ibidem exstans, ante *Q*uintus *FABIUS MAX*imus.

Desultor in equis, pone *B*, subtus *L. Q.* mure intermedio, in imo *D. S. S.*

Havercampius hunc prae Goltzianis multo magis suspectum habet, et credit artificem hunc accommodasse ad exemplum Ti. Quinctii denariorum, qui in litteris *L. Q.* tantum differunt ab hocce praeter Fabii nomen. Solent genuini isti Ti. Quinctio Muri tribui et ad ludos Apollinares sive desultorios referri; verum ad historiam illustrandam nil faciunt. Scio quidem ad Verrucosum non referri hunc denarium, sed lubuit nunc de eo disputare. Hic autem facilius quam in ceteris apparet, unde falsarii sua compilaverint.

IV [2]. Caput Romae galeatum cum denarii nota.

Victoria in citis quadrigis, dextra gerens coronam, laeva habenas, subtus *ROMA*, in imo *C. F. L. R. Q. M.*

Neque hunc ad Verrucosum trahunt, nam nil aliud ex ipso denario confici potest, quam a IIIviris monetalibus esse signatum, quorum unus *Q*uintus *M*aximus potest fuisse, nisi potius *Q. M*arcius intelligendus sit, quod equidem Havercampium secutus crediderim; quinam illius collegae fuerint ignorantur.

V [3]. Caput Romae galeatum, pone nota denarii.

Castor et Pollux pileati cum stellis et hastati in equis decurrentes, *MA*ximus, in imo *ROMA.*

---

1) Mor. XVI. 18. 2) Vaill. N°. 24; Mor. VII; Ricc. tab. XIX. 10.
3) Ricc. tab. LVI. 3.

Afferri solet pro Goltzianis nummis, ne omnes istos abiiciamus, nonnullos postea repertos esse, atqui eos suspectos esse desiisse. Huius rei in nostrae gentis denariis habemus exemplum, quod tamen, ut omnia istius generis opinor, ita compositum est, ut sententiam de spuriis istis non mutandam esse perhibeam. Goltzius nempe suos conflavit ex aliis nummis alia subfuratus, sic triremes, rates, Romae caput aliorumque nescio quot, facile inveniri poterant in genuinis, sed litteras ita addidit ille, ut vulgo se peccasse fateatur; si iam unus vel alter nummus postea effoditur, facile potest accidere eum convenire cum uno alterove e spuriis, sed noli inde colligere fide dignos esse eos, quos Goltzius ex ingenio conflavit.

Supra [1] fidem denegavi denario Buteonis, in qua sententia persevero, etiamsi Riccio postea evulgavit denarium isti simillimum, quod ad typum attinet, non vero quod ad litteras, iste enim a Buteone omnino non, hic a Maximo nescio quo re vera cusus est. Typus ille saepius occurrit et pervetus est, hinc lubuit ad Verrucosum de eo disputare, etiamsi fateor incertum esse a quonam e Maximis signatus sit.

VI [2]. Caput Iovis laureatum.

Figura militaris stans habitu succincto, retro scutum, laeva hastam tenens, dextra pateram, sub qua *Q*uintus *FAB*ius, sub quibus litteris non monogramma A in littera Π scripta, verum litterae A et X in littera M, ita ut procul ullo dubio *MAX*imus intelligatur.

Confecit hoc rectissime Bouhier [3], atqui actum est de prava Vaillantii opinione, qui propter simile monogramma in Panormitanis quoque nummis obvium, posuerat hunc esse signatum a Q. Fabio Maximo Serviliano (49) praetore Siciliae, miscuerat autem illum cum fratre adoptivo Aemi-

1) Cf. Lib. VI. Cap. IV § 3, p. 226. 2) Vaill. N°. 15; Mor. IV.
3) *Acad. d. Inscript.* XII, 1740, 282—302.

liano (48) qui Lilybaei steterat cum classe, de Serviliani praetura nil innotuit. Denique de Sicilia cogitandum est non amplius, neque de colonia militari cum Morellio. Bouhier contra conatus est denarium Cunctatori vindicare propter coronam illam, qua Iovis caput ornatum est; sed ni fallor eadem quae contra Goltzianum modo afferebam, hic quoque valent, atqui assentior ei, qui adversatus est illi opinioni, omnino non opus esse, ut de Cunctatore tantum cogitemus. Nec tamen premere possum suspicionem, typus ille est idem, quo semisses dignoscantur, atqui facile crediderim monetarium usum esse hoc typo ad signandum nummum etiamsi argenteum.

VII [1]. Iani caput geminum laureatum cum remo ad tempora exstante.

Tres navium prorae, ad latus pilei Dioscurorum cum stellis superpositis; supra *Q*uintus *MA*ximus, infra *ROMA.*

VIII [2]. In recta parte eadem cernuntur.

Ab aversa prora navis cum *I* signo assis, supra *MA*ximus, infra *ROMA.*

IX [3]. In recta parte eadem cernuntur.

Ab aversa prora navis cum signo assis *I*, supra *Q*uintus *MAX*imus, infra *ROMA.*

Sunt tres illi nummi aenei, asses nempe, ut abunde typus conficit, absurda est enim Morellii opinio ratibus illis indicari legationem Cunctatoris Carthaginem et in Hispaniam, hoc enim est fluctus in simpulo agitare, Plinio [4] teste »nota est in triente et quadrante rates", nec aliter in asse et semisse. Quando asses illi signati fuerint, indicat eorum pondus, sunt enim unius unciae atqui cadunt post Fabii dictaturam et ante legem Papiriam; hinc sequitur errasse Vaillantium ubi credebat eos a Fabio nostro signatos esse quaestore urbano 512, nam ipse iam ani-

---

1) Vaill. N°. 9; Mor. IX. F; Ricc. tab. XIX. 4. 2) Ricc. tab. LVI. 4. 3) Ricc. tab. LVI. 7. 4) *H. N.* XXXIII. 3.

madverterat post annum 537 demum eos cusos esse. Certa est igitur Havercampii coniectura, cui unus ex Cunctatoris posteris eos signasse videbatur, forte, inquit, Cunctatoris filius (37) IIIvir monetalis fuit inter 537 et 541; non credo, nam anno 538 [1] non fuit Romae, verum in Cannensi acie tribunus militum pugnavit, tum fuit aedilis anno sequenti et praetor 540, constat denique summam pecuniae penuriam fuisse per illa tempora, atqui non verisimile est plures diversos nummos ex iisdem annis ad nos pervenisse. Equidem potius de uno alterove Fabio ex Verrucosi posteris cogitandum esse censeo, sed accuratius definiri nequit illud tempus propter legem Papiriam non satis definitam, nam certant viri docti [2] fueritne lata illa lex, qua asses semiunciales facti sunt, paulo post Fabii dictaturam, an versus 600, an 665.

X [3]. Caput Iovis barbati laureatum, pone nota semissis *S*.

Prora navis, iuxta nota semissis *S*, supra *MA*ximus, infra *ROMA*.

Est semis, ut praeter ipsam notam indicat typus, vulgare caput Iovis laurea redimiti, quo semis dignoscitur. Signatus est hic nummus post Fabii dictaturam ante legem Papiriam, atqui ab uno e posteris Maximi, nisi forte ex gente Marcia sit.

XI [4]. Caput Iovis barbati laureatum, pone nota semissis.

Prora navis iuxta nota semissis, supra *Q*uintus *MAX*imus, infra *ROMA*.

Est itidem semis eiusdem temporis, ut Riccio scripsit, attamen lapsus est ille, ni fallor, nam aut non satis accurate eum delineavit, aut cusus est post legem Papiriam, nam magnitudo eadem est quae semissium secundum eundem [5] post illam legem signatorum.

---

1) Cf. Cap. VII § 1—3 huius Libri, p. 356—358. 2) Marquardt, *Röm. Alt.* III. II. p. 14 n. 50. 3) Ricc. tab. LVI. 5. 4) Ricc. tab. LVI. 8. 5) Tab. LXX, *semis del peso di mezza oncia.*

XII [1]. Caput Herculis in leonis exuviis, retro sunt tres globuli, sive nota quadrantis.

Dimidia ratis, iuxta eadem nota, supra *MA*ximus, infra *ROMA*.

XIII [2]. Simillimus praecedenti, praeter aversam partem ubi supra *Q. MAX*imus.

XIV [3]. Itidem simillimus praecedenti, praeterea quod in aversa parte supra legatur *Q. FABI*us.

Tres illi quadrantes nulla indigent explicatione, incertum est, an omnes Fabio vindicandi sint; quidquid est, post legem Papiriam signati sunt, si nempe accurate Riccio eos delineavit [4].

XV [5]. Caput Mercurii petaso alato ornatum cum duobus globulis sive nota sextantis.

Pars navis infra eadem nota, supra *ROMA*, iuxta *MA*ximus.

Est nummus itidem aeneus, et ut indicat nota ac typus, sextans; si accurate eum delineavit Riccio [6], post legem Papiriam cusus est, forte ab uno alterove e Maximis.

CAPUT VI.

FABIA, SOCRUS T. OTACILII (34).

§ 1. *T. Otacilius.*

Livius [7] nobis auctor est Verrucosum sororem habuisse, cuius filiam T. Otacilius duxerat uxorem; de Fabia nil habeo monendum, contra T. Otacilii historiam paucis percurram.

T. Otacilius Crassus anno 537 praetor fuit, et vovit, antequam ad classem proficisceretur, cum Q. Fabio dic-

---

[1]) Morell. IX; Ricc. tab. LVI. 6. [2]) Morell. IX. E; Ricc. tab. XIX. 5. [3]) Ricc. tab. LVI. 2. [4]) Tab. LXX, *quadr. del peso di mezza oncia.* [5]) Morell. IX. G; Ricc. tab. XIX. 6. [6]) Tab. LXXI, *sest. del peso di mezza oncia.* [7]) XXIV. 8.

tatore, aedem Menti. In portu Lilybaei se tenuit [1], dum Hannibal contra Fabium rem gerebat, anno post 25 quinqueremes ei additae sunt [2], quibus in Africam traiiceret, quod fecit demum post aedes dedicatas anno 539 [3]; tum agrum Punicum depopulatus [4] Sardiniam petens certamen iniit cum Hasdrubale, cuius septem naves cepit. Consulatum in annum 541 frustra petiit, nam quum praerogativa eum et M. Aemilium crearet, Q. Fabius Maximus [5] orationem habuisse fertur, quo demonstravit Aemilium utpote flaminem non creari posse; Otacilium vero, etiamsi affinem suum, nam sororis filiam atque ex ea liberos habebat, imparem esse consulatui id temporis, quippe qui hostem ab Italia non satis arcuisset; populo persuasisse videtur, nam ipse cum Marcello Cunctator creatus est [6]. Tum Otacilius iterum praetor factus [7] cum privata classe in Africam traiecit, depopulatusque agrum Uticensem inde magnam vim frumenti Syracusas subvexit. Anno 544 [8] prorsus idem accidit, a praerogativa tantum consul creatus, nisi forte haec fama ex altera repetita sit, quidquid est, pontifex creatus in Sicilia eodem anno mortuus est [9].

CAPUT VII.

QUINTUS FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS (37).

§ 1. *Tribunus militum* 538.

Pervenimus ad Quintum illum Cunctatoris filium, cuius iam hic et illic mentio facta est; olim credebatur eius praenomen non constare propter Ciceronis [10] verba: »quomodo Q. Maximus mortem *M.* filii tulit clari viri et con-

---

[1]) Liv. XXII. 31. [2]) Liv. XXII. 37, 56. [3]) XXIII. 32. [4]) Liv. XXIII. 41. [5]) Liv. XXIV. 7—9. [6]) Cf. Cap. v § 12 huius Libri, p. 337. [7]) Liv. XXIV. 10, 11. [8]) Liv. XXVI. 22. [9]) Liv. XXVI. 23. [10]) *Cato* 4 § 10.

sularis;" quum vero aliunde novimus Quintum Fabium hic intelligendum esse, librariis reddamus illam M. ex praecedenti vocabulo male repetitam.

Supra [1] iam diximus Cunctatori dictatori filium adfuisse [2], quum rem adversus Hannibalem gerebat anno 537, et locum idoneum paucorum iactura caperet, ex quibus velletne unus esse, pater rogavit. Tum [3] vidimus Romam eum esse missum a patre, ut agrum venderet, ut captivos de suo redimeret, quorum pretium senatus praestare nolebat.

Anno 538 tribunus militum primae legionis adfuit in pugna Cannensi teste Livio [4]. Canusium se receperunt reliquiae Cannenses, in quas censores aegre saevierunt, non vero in duces, sic Varroni per plures annos imperium est prorogatum, et Fabius noster mox novos gessit honores.

§ 2. *Aedilis* 539 [5].

Aetas tribunicia aedilitati convenire videtur, nam alius e tribunis Cannensibus App. Claudius aedilicius erat et noster anno post ad hunc magistratum pervenit. Quid gesserit in hoc honore prorsus ignoramus, licet tamen coniicere eum ludos dedisse, nam Romani tunc toti erant in ludis atque sacris.

§ 3. *Praetor* 540.

Propter Cannensem cladem summa ducum penuria fuisse videtur, nam legitimi anni inter magistratus non intercedebant; sic Ti. Sempronius Gracchus [6] in aedilitate magister equitum fuerat, ex aedilitate statim consul factus est, et Fabius noster praetor factus est, qui modo aedilis fuerat, et statim post consul creatus est.

Anno 540 Q. Fabius consulis (Verrucosi IV) filius [7]

---

1) Cf. Cap. v § 8 huius Libri, p. 326. 2) Dio Cass. fr. 57. 10; Front. *Strat.* IV. 6 § 1. 3) Cf. Cap. v § 8 huius Libri, p. 325. 4) XXII. 53. 5) Liv. XXIV. 9. 6) Liv. XXIII 30. 7) Liv. XXIV. 9.

praetor factus est, cui Apulia provincia obvenit, in quam statim cum duabus legionibus profectus est [1], quo tempore Hannibal Campaniam petens Arpos reliquisse nuntiabatur. Sempronius pro consule Apuliam tenuerat, qui Beneventum copias admovit, ut Hannibalis in Campaniam iter impediret; tunc Maximus, qui Romae adhuc degerat, ad exercitum rediit [2], et Luceriam Graccho succedere iussit Q. Fabium praetorem, *is filius consulis erat;* lector nimis benevolus recte haec verba adscripsit, sed non in textum erat recipienda ista annotatio, qua omnino non opus est, ipse Livius supra affinitatem indicaverat, et hic nexus satis perspicuus nullam praebet difficultatem, atqui expungatur scholion istud.

Perpauca de eius rebus gestis innotuerunt, nec multa eum gessisse credo, nam Poenus modo in Campaniam abierat. Stativa ad Ardoneas communivit [3], Herdoniam intelligo in Apulia, cepitque Accuam, nisi ut supra [4] iam dixi Aecae intelligendae sint, quas Q. Fabius consul nempe hoc anno cepisse fertur, etiamsi in Samnio tantum degerit. Degebat noster adhuc in Apulia, consul quum creatus est.

§ 4. *Consul* 541.

Q. FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS [5].
TI. SEMPRONIUS TI. F. TI. N. GRACCHUS II.

Consules [6] statim Romam arcessiti magistratum inierunt, et prodigiis rite procuratis in provincias profecti sunt, Sempronius in Lucanos, Fabius in Apuliam.

Iter faciens Suessulam in castra venit, ubi novas copias suscepit, opinor; hic pater eius legatus ad filium venit [7], qui quo modo a filio susceptus fuerit, supra [8] vidimus.

---

[1]) Liv. XXIV. 11. [2]) Liv. XXIV. 12. [3]) Liv. XXIV. 20. [4]) Cf. Cap. v § 12 huius Libri, p. 330. [5]) Cl. Quadrig. VI ap. Gell. II. 2; Liv. XXIV. 43; Val. Max. II. 2. 4; Plut. *Fab.* 24; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. [6]) Liv. XXIV. 43—47. [7]) Cl. Quadrig. VI ap. Gell. II. 2; Liv. XXIV. 44; Val. Max. II. 2. 4; Plut. *Fab.* 24. [8]) Cf. Cap. v § 13 huius Libri, p. 342.

Hic aliquantisper degisse videtur, nam suspicor tunc locum habuisse quod Frontinus [1] de Fabio Maximo memoriae tradidit, eum vastatis Campanorum agris ne quid ad fiduciam obsidionis superesset, iussisse ut frumentum quod reliquum haberent in sationes conferrent, deinde renata protrivisse et ad famem redactis sic facile potitum esse. Scio quidem multos hoc strategema Cunctatori tribuere, at Livianus locus [2] non convenit cum illo, contra nobis auctor est Livius [3] sequenti anno Campanos famem sensisse, quia sementem facere prohibuissent Romani; iam equidem illud Fabio nostro tribuo, qui per rationem, quam describit Frontinus, hostibus nocuerat.

Deinde ab Suessula in Apuliam profectus est [4], ubi Arpos oppugnavit, in quorum moenia milites evecti sunt decidentium aquarum sono strepitum obscurante, hi locum illum, ut imperatum erat, silentio ceperunt et tenuerunt, quorum opera porta effracta est et in angustis viis atrox commissa pugna. Non saevitum est in praesidium 5000 armatorum Hannibalis, his portae patefactae sunt, atqui salvi ad Hannibalem pervenerunt, Hispani fere mille ad Romanos transierunt, qui saepe eorum operam adhibuerunt, 3000 Arpinorum denique repente pro Romanis arma verterant. Sic secundum Livium Arpi sine clade ullius recepti sunt praeter proditorem istum, de quo supra [5] iam diximus. Appianus contra, cuius locum Schweighäuserus male ad Verrucosum traxit in Indice, tradit Arpos aliorum proditione venisse in potestatem Fabii, quod non accurate videtur enuntiasse, nam hic quoque Livium ante oculos habuit, apud quem alia invenerat.

Aliquanto post exactum annum videtur degisse in provincia, nam quum comitia instabant, neuter consul

---

1) *Strat.* III. 4 § 1. 2) XXIII. 48. 3) XXV. 13. 4) Liv. XXIV. 45—47; Front. *Strat.* III. 9 § 2; App. *Han.* 31. 5) Cf. Cap. v § 13 huius Libri, p. 342.

aderat [1], et secundum Silium [2] subvenit cum aliis ducibus, quum Hannibal misso Tarento Capuam petebat.

§ 5. *Legatus* 545, 546, 547.

Livius [3] tradit Verrucosum consulem anno 545 iussisse Q. Maximum filium reliquias exercitus Fulviani ex Etruria ad M. Valerium proconsulem in Siciliam ducere, atque ab illo duas legiones et triginta quinqueremes accipere. Procul dubio noster intelligendus est, qui legati nomine, opinor, hoc perfecit, nam consulares nonnumquam talia munera gerebant.

Sequenti anno itidem occurrit, tunc enim, ut Livius [4] narrat, missus est ad exercitum Venusiam, ubi Marcellus in proelio erat victus atque occisus, et alter consul graviter vulneratus ex Apulia Capuam erat profectus. Nec diu tamen exercitui praefuit, nam mox Q. Fulvius pro consule illas copias suscepit.

Anno 547 legatus [5] consulis M. Livii fuit, quocum in Galliam profectus est adversus Hasdrubalem, qui cum novo exercitu Alpes superaverat; victus est ille a Romanis, et sic Gallia satis pacata esse videbatur et contineri posse praesidio L. Porcii; mittitur ergo harum rerum nuntius Romam »legatus *Q. Fabius Maximi* filius", in quibus verbis Livianis procul dubio irrepsit additamentum, nam solet Livius [6] dicere »Q. Fabius filius" aut »Q. Maximus filius", atqui genitivus male adscriptus videtur a lectore, qui sic recte Verrucosum indicaret.

§ 6. *Mors* 547—551 [7].

Diem obiit supremum consularis noster ante patris mortem, atqui ante 551, sed ipse annus indicari nequit. Ver-

---

1) Liv. XXV. 2. 2) XII. 482. 3) XXVII. 8. 4) XXVII. 29. 5) Liv. XXVIII. 9. 6) XXVII. 8, 29. 7) Cic. *Cat.* 4 § 12, *ad fam.* IV. 6 § 1, *nat. deor.* III. 32 § 80, *Tusc.* III. 28 § 70; Plut. *Fab.* 24.

rucosum luctum illum egregie tulisse et filium ipsum laudasse et extulisse, supra [1] iam dictum est.

Quo nomine patrem imitatus fuerit in gloria rei militaris, quod Cicero [2] de Fabio nostro scripsit, non assecutus sum.

CAPUT VIII.

QUINTUS FABIUS Q. F. Q. N. LABEO (41).

§ 1. *Agnomen.*

Chronologia duce pervenimus ad Q. Fabium Labeonem, qui pluribus nominibus uberiorem nobis disputandi materiem praebet. Sic agnomen eius etiamsi non inauditum, (nam occurrit praeter hanc in gente Atinia, Antistia, Asconia, Pompeia, Pomponia), tamen difficultate premitur, nam non constat, unde originem traxerit. Si Prisciano [3] credas a *labe* ortum est, secundum Plinium [4] a *labiorum* vitio, aut ut Donatus [5] explicat a maioribus labiis, quod Charisius quoque ex Verrio Flacco attulit; uterque enim hoc voluit, scripserunt quidem a *labris* immodicis illud nomen natum, sed obstat etymologia, tum labra sunt proprie asinorum, superiora vero labia. Exstant quidam huius rei exempla simillima [6], sed non prorsus analoga, ut a *labes* aut a *labia* fiat *labeo.*

§ 2. *Genealogia.*

Maior tamen difficultas in genealogia inest; nam nil aliud de ea constat [7], quam Quinti filium Quinti nepotem fuisse nostrum. Quaeritur quinam fuerint Quinti illi? docet stemma in nulla familia iis locum assignari posse praeter in Maxima; at postea quoque Maximi occurrunt,

---

1) Cf. Cap. v § 17 huius Libri, p. 348. 2) *Pro Rab. Posth.* 1 § 2.
3) IV. 2. 7. 4) *H. N.* XI. 37. 5) *Ad Terent. Eun.* II. 3. 45.
6) Cf. Lib. III. Cap. I § 1, p. 131. 7) Fast. Cap. 571.

et constat ex Fastis nostro alterum illud cognomen non fuisse; hinc dubitanter eum medium in hanc familiam interserui, meliora edoctus facile sententiam mutaturus.

Anni, per quos honoribus functus est, demonstrant eum aequalem fuisse Q. Fabii Maximi (42) qui anno 558 mortuus est antequam honorem gessisset, necnon Q. Fabii Maximi (43) praetoris 573, quorum frater maximus natu fuisset, atqui nepos Cunctatoris ex huius filio consulari (37). Haec satis verisimilia sunt, sed falluntur qui nostrum contra Fastorum testimonium Maximum dixerunt; nec melioris frugis est opinio eorum, qui eum Q. Fabii Aemiliani Maximi (48) patrem habent, aut, ut Kraftius ponit, Serviliani (49), obstat enim illud ipsum cognomen. Quem errorem ut vitaret Orellius, in alium aberravit scribens Aemilianum a Cunctatore esse adoptatum; at bonus Verrucosus iam decem annis antequam Aemilianus natus esset, mortuus atque combustus erat.

§ 3. *Quaestor* 558 [1].

Noli contra disertum Livii testimonium huius anni quaesturam tribuere Q. Fabio Maximo (43); servata sunt enim quaestorum nomina hoc anno, quod hac de causa accidit. Quaestio erat de pecunia, cuius in bellum collatae ultimam pensionem persolvi privatis placuerat. Anno 544 nempe ad bellum gerendum onus tributi denuo impositum quum gravius fieret, placuit pecuniam reipublicae mutuam dare [2], tum anno 550 decretum est, ut collatae illae pecuniae tribus pensionibus redderentur [3], hoc anno et 554 et 552; harum secunda in 554 dilata est [4], quum agri privatis assignati sunt pro pecunia, quae deficiebat, iam nunc opus erat nummis ad ultimam solvendam pensionem.

---

1) Liv. XXXIII. 42. 2) Liv. XXVI. 25, 26. 3) Liv. XXIX. 16.
4) Liv. XXXI. 13.

Quaestorum erat illud petere, et sic legimus Q. Fabium Labeonem et L. Aurelium ab auguribus petiisse stipendium, quod per bellum non contulerant. Nolebant tamen illi solvere quod summo iure exigebatur, hinc de more multae dictae, provocatum est, cetera. Frustra, vicerunt quaestores, et stipendium exactum est omnium annorum, per quos non solverant augures.

§ 4. *Praetor* 565 [1].

Inter praetores huius anni duo Fabii occurrunt, Q. Fabius Pictor (40) flamen Quirinalis, qui cur iurisdictionem pro Sicilia sortiretur, supra [2] diximus, et Q. Fabius Labeo noster, qui sortitus est classem. Venit ad eam quo tempore actum erat de rege Antiocho, quo devicto mare pacatum erat; ergo praetor ad alia loca se vertit, ne otiosam haberet provinciam.

Traiecit in insulam Cretam, ubi multi Romanorum captivi in servitute retineri dicebantur, et ubi, quod per totam fere historiam accidit, bella inter se gerebant minores istae civitates de principatu certantes. Sic hoc anno [3] Gortynii Cnossiique bellum gerebant adversus Cydoniates; Fabius Epheso profectus Cretae appulit, nuntiosque misit, qui iuberent Cretenses armis abstinere captivosque reducere et legatos ad se mittere, cum quibus de rebus ad Cretenses pariter Romanosque pertinentibus ageret. Imperium istud Cretenses nil quidquam movit, soli Gortynii imperata fecerunt.

Rebus in Creta confectis Ephesum rediit, tum iussu Manlii tres naves in Thraciam misit, quibus praesidia Antiochi deducerentur ab Aeno et Maronea, quae civitates desierant Antiocho vectigales esse, sicut in foedere scriptum erat [4], quippe quae liberae factae scilicet.

---

1) Polyb. XXII. 26 § 30; Liv. XXXVII, 47, 50, 60, XXXVIII. 39, 47; Val. Max. VII. 3. 4. 2) Cf. Lib. V. Cap. v § 2, p. 200. 3) Liv. XXXVII. 60. 4) Liv. XXXVII. 55.

Tum hac eadem expeditione Labeonem Philippo fines constituisse apparet, quos direxit veterem viam regiam, quae ad Thraciae Paroreiam subit, nusquam ad mare declinans; sed hoc non placuit Philippo, qui mox novam deflexit, qua Maronitarum urbes agrosque amplecteretur, ut legati huius urbis retulerunt [1] in senatu, quum de finibus Philippi et Eumenis imperii disceptabatur, quae quaestio non ad hunc locum pertinet.

Interea Cn. Manlius consul contra Gallograecos rem gessit, et iuravit in foedus cum Antiocho; tenebatur ergo ille tradere naves longas cum armamentis praeter decem actuarias, quarum nulla plus quam triginta remes haberet. Tum Manlius Fabio imperavit Patara in Lyciam proficisci, ibique naves regias concidere et cremare, quod sicut imperatum erat, perfecit quinquaginta navibus combustis [2]. Valerius Maximus [3] contra rem aliter tradidit, cuius locum si ad verbum acceperis, Antiochum a Fabio superatum dicas, quod non ita accidisse procul dubio constat; cogitavi quidem de tollenda difficultate, legendo una addita litterula: »Labeonem ferunt, quum a rege Antiocho, quem bello superavera*n*t, ex foedere icto dimidiam partem navium accipere deberet, medias omnes secuisse, ut eum tota classe privaret"; verum nolo una macula abstergere locum, qui historiae ceteroquin non convenit. Livius [4] enim ipsa foederis verba servavit, de quibus abunde disputat, quae ex Polybio [5] hausisse videtur, siquidem in reliquiis illius scriptoris superest ipsum consulis mandatum, ut Patara peteret Fabius navesque Antiochi susceptas cremaret; qui Q. Fabius an idem ac Q. Fabius Buteo esset, propter Livianos locos non erat, cur Schweighäuserus lectorem rogaret. In foedere illo ne verbum legimus de dimidia parte navium, quam habet Valerius, contra

---

1) Liv. XXXIX. 27. 2) Liv. XXXVIII. 39. 3) VII. 3. 4. 4) XXXVIII. 38. 5) XXII. 26 § 30.

omnes naves longas Antiochus tradere tenebatur cum velis et armamentis, decem tantum exceptis; igitur nullus locus erat fraudi, quam Labeo committeret. At, inquit Dederich [1], Valerii testimonium non omni veritate destitutum est, et de privato clandestinove mandato Fabii cogitare iubet, ut sic omnia explicentur. Non ita ego, nam cur prae ipsius foederis verbis praeferamus Valerii testimonium, qui male tradit Antiochum a Labeone esse superatum, et aliud eiusdem astutiae documentum servavit, quod statim [2] ei abiudicare conabor et alii Fabio vindicare.

Eadem expeditione Fabius recepit Telmissum urbem Lyciae maritimam, subito adventu territis oppidanis. Hinc iunctis navibus, quas Ephesi reliquerat, per insulas in Graeciam traiecit Athenasque venit, unde totam classem in Italiam reduxit.

Fabium nostrum triumphum navalem egisse ex Livio [3] coniicere licet, ubi Manlius a Scipione Africano accusatus, de foedere cum Antiocho verba faciens addit tribunos impedivisse Q. Fabium Labeonem triumphantem, eum vero non deterritum duxisse triumphum, quem inimici istius iactabant gessisse bellum non iustum, quippe qui hostem nullum vidisset. Haec criminatio mihi sic accipienda videtur, ut ceterae iactationes, quas milites in triumpho cantare solebant; non multa enim gesserat, nec tamen deerat triumphandi argumentum, captivos enim in Creta liberaverat hostiumque classem deleverat, necnon Telmissum ceperat. Quam vero alteram triumphandi caussam Valerius Antias proposuit apud Livium [4], noli accipere; tradidit nempe Gortynios non tantum ex Labeonis mandato reddidisse captivos, verum 4000 captivorum ab eo ex tota insula reddita esse, quum Cretenses belli minas timerent, quod unicum illi triumphandi fuit argu-

---

1) *Progr. gymn. Emm.* 1852, p. 26. 2) Cf. § 9 huius Capitis, p. 373.
3) XXXVIII. 47. 4) XXXVII. 60.

mentum, quippe qui ceteroquin nil gessisset. Livius vero recte hanc quoque Antiatis famam respuit, unde quaeso tam ingens captivorum numerus detineretur in Creta?

Recte Dederich [1] observavit Labeonis triumphum a viris doctis male ad annum 565 in Fastis esse descriptum; nam non triumphavit noster et tunc Ephesum rediit, verum ex provincia redux demum egit triumphum. Livius eum narravit in anni 565 historia [2], verum ex eodem [3] apparet Manlium Labeoni imperasse classem delere sequenti anno, atqui pro praetore rediit in triumpho.

Antequam Labeonis praeturam missam faciamus, disputandum est de loco aliquantisper intricatiore legationis Cretensis. Edidit nempe R. Pashley in eleganti atque elaborata itineris sui descriptione [4] Graecam tabulam sive epistolam apud Plu Monasterium in Creta a se inventam. Böckhius hanc inscriptionem recepit [5] subiecta interpretatione. Est quaestio de finibus Itaniorum et Hierapytniorum a Pariis, ut Böckhio videtur, composita secundum senatus consultum et epistolam missam a consule L. Calpurnio Lucii filio Pisone, anno 696 secundum eundem, verum ex mea opinione anno 642 aut 621. Accurate tamen tempus tabulae definiri nequit, constat ex ipso monumento post mortem Ptolemaei Philometoris (608) de novo bellum in Creta esse motum, quo Praesiae deletae sunt quae urbs media erat inter Itanios et Hierapytnios, tunc supervenisse legationem Romanorum sub Servio Sulpicio, qua bellum finitum est; Itanii vero de finibus suis querentes senatum videntur adiisse, cui placuit Cretam mittere legationem, quae fines singulis tribuat eos, quos habuerant antequam ortum esset bellum, ob quod Sulpicius Cretam venerat.

Novus ille rerum status in gentibus istis bellicosis non

[1]) Pag. 27. [2]) XXXVII. 60. [3]) XXXIX. 37. [4]) *Travels in Crete*, I. p. 290. [5]) *Corp. Insc. Graec.* II, Add. N°. 2561, b.

potuit perdurare, mox ut ipsa docet tabula inimicitiae denuo ortae sunt inter Hierapytnios Itaniosque; Hierapytnii nempe contendebant *χώραν εἶναι ἱερὰν τοῦ Ζηνὸς τοῦ Δικταίου τὴν δὲ νῆσον προγονικὴν ἑαυτῶν ὑπάρχειν*, contra Itanii; et tunc simile factum est senatus consultum consule Calpurnio, secundum quod pronuntiaverunt iudices huius tabulae auctores. Venerunt hi Cretam, quibus Itanii monstrarunt suorum terram accurate terminatam: *περιοικοδομήμασιν καὶ ἑτέροις σημείοις καὶ δι' ἑτέρων πλειόνων γραμμάτων ὑπ[άρχ]ουσαν τὴν ἀμφισβητουμένην χώραν ἐνεργὸν, καὶ οὐχ ὡς ἔφασαν Ἱεραπύτνιοι, ἱερὰν καὶ ἀγεώργητον*; igitur in sententiam Itaniorum pronuntiarunt, quod iudicium nitebatur senatus consulto necnon eo, quod altera illa legatio censuerat; terra enim de qua litigabant, non sacra erat, *φανερὸν τοῦτο ἐγίνετο καὶ ἐκ τοῦ δόγματος καθ' ὃ ἐκρίνα[μεν], τοῦ γραφέντος καὶ ὑπὸ τῶν [ἐ]ληλ[υ]θότων εἰς Κρήτην π[ρεσ]βευτῶν περὶ Κόϊντον Φάβιον..... [οἱ ἑω]ρακότες τό τε ἱερὸν καὶ τὸν περίβολον αὐτοῦ ἰδίοις σημ[εί]οις καὶ περιοικοδομήμασιν περιεχόμενον, ἑωρ[ακ]ότε[ς] δὲ καὶ τὴν χώραν τὴν ὅμορον τῷ ἱερῷ, ὑπὲρ μὲν ἱερᾶς χώρας οὐκ ἔγραψαν οὐδὲν, καίτοιγε Ἱερα[πυτν]ίων ῥητῶς ὑπὲρ ἱερᾶς χώρας [ἠ]ξιωκότων τὴν σύγκλητον, Ἰτανίων δὲ περὶ χώρας τῆς ἑαύτων τῆς..... [καὶ τ]ῆς Ἐλείας καὶ νήσου ἰδίας Λεύκης, γνόντες δὲ ὅτι ἡ παρορο[ῦσ]α χώρα τῷ ἱερῷ οὐκ ἦν ἱερὰ οὐδὲ ἀγεώργητος, [τῆς] χώρας μόνον ἐφαίνοντο μνείαν πεποιημένοι, γράψαντες »ἵνα ἔχωσιν κατέχωσίν τε καρπίζωνταί τε το[ῦ κ]αρπίζεσθαι" κτέ.*

Iam quaeritur quinam fuerit ille Q. Fabius; eius cognomen non integrum servatum est, nam Pashley scripsit tantum ΛΠ.ΙΟΝ, quae supplevit Böckhius ΛΑΒΕΩΝΑ, et negotium illud a nostro Q. Fabio Labeone praetore confectum esse putat. Verum pluribus de causis hoc omnino non placet, obstat enim Livianus [1] locus, ad quem pro-

---

1) XXXVII. 60.

vocat, nam ut modo vidimus, Livius tradit Fabium Cretae litus attigisse et nuntios tantum circa civitates misisse, dum Q. Fabius ex tabula ipse fines oculis suis lustravit; tum Labeonis tempore in ultima occidentali insula Cydoniatae adversus Gortynios Cnossiosque rem gerebant; contra ex epistola sequitur bellum tunc gessisse Hierapytnios Itaniosque in extrema orientali parte; porro Labeo praetor controversiam composuit, contra in inscriptione legatus esse traditur; denique ipse tabulae nexus docet Fabii illius legationem post Ptolemaei Philometoris mortem 608 missam, contra Labeo noster praetor fuit 565. Nec, quod attinet ad nominis illius lacinias in tabula adhuc conspicuas, verum videtur supplevisse Böckhius, ita ut de altero Q. Fabio Labeone, nostri filio, non cogitandum sit; contra litterae ΑΠ.ΙΟΝ longe facilius possunt suppleri si legamus ΑΠΠΙΟΝ; verum non est quod dicam praenomini non esse locum, neque de uno alterove Claudiorum sermo esse potest, nam ipsum nomen desideratur, nec sufficit simplex illud Appium, tum coniunctio *καί* interserenda esset; neque huc trahi potest ergo locus Polybianae [1] legationis quo Appius Cretam missus esse traditur anno 570.

Sin vero inter cognomina Fabiorum circumspiciendum est, sponte se commendat Licinorum familia, atque suppleri potest ΛΙΚΙΝΟΝ; verum M. Fabius Licinus (32) consul anni 508 ultimus ex hac familia innotuit, iam nepos illius nobis sumendus esset aliunde prorsus ignotus.

Quae quum ita sint, donec accuratius locus noster descriptus erit, hic valeat »manum de tabula," nam non possum premere suspicionem paulo aliter sese habere licinias illas, sub quibus forte latet ΥΠΑΤΟΝ, quod si est, de Q. Fabio Maximo Eburno (51) cogitandum esset, qui in Graecia pro consule fuisse videtur anno 639 [2], qui enim

---

[1]) XXIII. 15 § 2. [2]) Cf. Cap. xv § 5 huius Libri.

e Fabiis ante eum consules fuerunt, in Hispania aut Gallia degerunt.

Denique Serv. Sulpicius, qui ante Fabium nostrum Cretae fuit, non videtur consul anni 646 fuisse, nam quo modo Cretenses per 40 annos post Ptolemaei mortem quieti fuissent? Non poterant bellicosi isti tamdiu a bello abstinere, contra post annum 608 statim inimicitias moverunt, simulac sublatus erat is, cuius metu continebantur; igitur de Servio Sulpicio consule 610 cogitemus, hic enim consulatu functus Cretam proficisci potuit, nam non missi sunt in provincias consules huius anni [1].

§ 5. *IIIvir coloniae deducendae* 570 [2].

Hoc munere functus est noster anno 570, postquam frustra consulatum in hunc annum petierat [3]; quatuor nempe patricii candidati petebant, Fabius et L. Porcius Licinus destinabantur, attamen ex magnis contentionibus turbatisque comitiis hic prodiit consul deiecto Fabio, nam App. Claudius perfecit, ut frater suus creatus fuerit.

Nec vero absque honore fuit noster, coloniae enim maritimae deducendae erant Potentia in Pisenum agrum, Pisaurum in Gallicum; IIIviri sena iugera singulis colonis distribuerunt Q. Fabius Labeo, M. et Q. Fulvii Flaccus et Nobilior. At Livius praeterea horum nullam fecit mentionem, contra Q. Fulvii Flacci, qui aedilis curulis designatus praeturam frustra petierat hoc anno, et M. Fulvii Nobilioris, qui itidem frustra censuram petiit, quo honore functus est anno 575; quae quum ita sint, tres illi variis honoribus frustra petitis, ut aliquid saltem facerent, deduxerunt colonias, dummodo pro *M. et Q.* levissima transpositione rescripseris: *Q. et M.* Fulvii Flaccus et Nobilior, ut nonnumquam occurrit apud Livium [4], nisi utriusque

[1]) Val. Max. VI. 4. 2. [2]) Liv. XXXIX. 44. [3]) Liv. XXXIX. 32. [4]) XXXIX. 40.

loci breviloquentia librariis debeatur, et Livio reddendum sit »*Q. Fulvius* Flaccus et *M. Fulvius* Nobilior," cuius formae exstant exempla [1].

Dederich [2] hoc munus tribuit Labeonis nostri fratri, quem eodem praenomine ac cognomine distinguit scilicet a nostro; huius opinionis rationem non perspicio, miscuit vir doctissimus hunc cum Q. Fabio (43) praetore 573, hinc illae lacrimae.

§ 6. *Consul* 571.

Q. FABIUS Q. F. Q. N. LABEO [3].
M. CLAUDIUS M. F. M. N. MARCELLUS.

Horum consulatus [4] innotuit propter Hannibalis [5] mortem, quae secundum quosdam in hunc annum cadit, quo P. Scipio et Philopoemen obierunt.

Magistratum suum, ut fieri solebat illo tempore, inierunt idibus martiis, nec vero statim eduxerunt copias, nam legationes transmarinae Romam venerant; Philippus nempe ex foedere tenebatur discedere ex multis civitatibus, qui omnibus infestus iram in Maronitas effudit, iussitque omnes principes adversae factionis necari, sicut accidit; non tamen Romanorum legati interfecti sunt, quod Orosius tradit, quod si fuisset, multo acrius in istos saeviissent, opinor. Philippus rebellandi tempus nondum adesse ratus, moras nexit, et Demetrium filium suum Romam misit ad senatus iram deprecandam; frustra, misit tunc patribus commentarium de illis rebus, quod Romanos conciliavit.

Tum prodigia erant procuranda, nam sanguine pluerat in area Vulcani per biduum [6]; idem accidit extremo anno,

---

1) IV. 61, XXV. 41, XXXV. 24, XXXIX. 56. 2) Pag. 28.
3) Fast. Cap. h. a.; Liv. XXXIX. 45; Nep. *Han.* 13 § 1; Oros. IV. 20; Obseq. 59; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 4) Liv. XXXIX. 45—56; Oros. IV. 20. 5) Liv. XXXIX. 56; Nep. *Han.* 13 § 1; Polyb. XXIV. 9—12. 6) Liv. XXXIX. 46; Obseq. 59.

tunc enim »in *ara* Concordiae to*d*idem diebus sanguine*m* pluit", ut novissimus Iulii Obsequentis editor scripsit, O. Iahn, triplici vitio, ni fallor; apud Livium enim, quem prodigiorum ille collector ad verbum descripsit, invenerat »*sanguine* per biduum pluisse in *area* Concordiae satis credebant", in peioris notae codicibus invenitur quidem *ara*, sed recte iam editores illud spreverunt, in areis solet pluere, ut hoc ipso anno in Vulcani area; verum codicis causa Iahn depravatam scripturam et hic praetulit et in sequenti to*d*idem, quam formam nulla analogia nec sana ratio defendere potest, sed tuetur eam librariorum socordia et ignorantia; quod genus hominum in nulla re quam in orthographia minus constans esse Iahnio latere non potest, et tamen in novissimis quas curavit editionibus, eos tam sedulo imitatus est, ut vel in imitatione ista nonnumquam sibi ipse non constiterit, verum *sed*, *aliud*, *velut*, *atque* promiscue per *d* et *t* scripserit, *Cn.* et *Gn.*, *apum* et *apium*, *impedire* per *m* et *n*, cetera. Tertius error est, quod »sanguine*m*" ediderit; in Livii codicibus legitur quidem accusativus, verum facile ignoscimus librariis qui accusativum cum infinitivo, ut dicunt, describendum esse credebant, ut apud Ciceronem [1] quoque; accusativus enim paucissimis locis emendandus est sublata una litterula *m*, nam ablativum in ceteris vocabulis, ubi tam facile non aberrare poterant, intactum reliquerunt, *oleo*, *luto*, *ferro*, *lacte* aut *lapidibus* si pluisset.

Redeamus ad Labeonem qui cum collega contra Ligures profectus est, sed ut Livius [2] fatetur, nil memorabile gessit, contra Marcellus 1200 Gallorum devicit, qui Aquileiam peterent; quibus ex provincia exactis Istricum bellum moliri coepit.

Coloniae hoc anno deductae sunt ad Romana praesidia firmanda, Mutinam, Parmam et in agrum Caletranum

---

1) *De div.* II. 27 § 58. 2) XXXIX. 56.

Saturniam; hanc deduxerunt secundum Livium [1] Q. Fabius Labeo, C. Afranius Stellio (praet. 569) et Ti. Sempronius Gracchus (praet. 574), qui civibus illis Romanis dena iugera assignarunt.

Verum non mihi possum persuadere Labeonis consulatum cum IIIviratu iungi posse; vidimus quidem supra [2] Q. Fabium Buteonem (44) coloniam deduxisse sed post imperium prorogatum; hinc Saturniam sequenti demum anno deductam crediderim. Dederich [3] contra difficultatem alio modo tollere conatus est, posuit nempe IIIvirum illum fuisse Q. Fabium Labeonem sed fratrem nostri, a quo nullo nomine diversus fuisset, quae ratio haudquaquam verisimilis est; hanc difficultatem auxit deinde et sibi sumsit eum aedilem fuisse hoc anno et Roma relicta Saturniam profectum esse, de quibus nemo non dubitabit.

§ 7. *Pro consule* 572 [4].

Dicebam suspicionem esse a Labeone coloniam deductam quippe cui imperium prorogatum fuerit. Scripserat nempe noster Apuanos ad rebellionem spectare, qui in agrum Pisanum impetum erant facturi. Tunc senatus decrevit, ut quatuor legiones scriberentur, et imperium prorogaretur Fabio Marcelloque; hic in Ligures profectus felici eventu pugnavit, ita ut unius diei supplicatio ei decerneretur. De iis, quae Labeo gessit, nil memoriae proditum est.

Ex hac expeditione reversus IIIviratu functus esse potuit; nisi potius, a qua re non abhorret suspicio, male irrepserit apud Livium *Labeo* pro *Buteo*, aut »Q. Fabius" tantum legeretur, cui *Labeo* suppletum est, quippe qui sequenti capite occurrit, ubi intelligendus erat Q. Fabius Maximus (43) eiusdem aetatis ac illius collega.

---

1) XXXIX. 55. 2) Cf. Lib. VI. Cap. VII § 3, p. 232. 3) Pag. 28.
4) Liv. XL. 1.

§ 8. *Pontifex* 574 [1].

Anno 574 pontifex factus est Labeo, quum ex illo collegio maximus demortuus erat L. Valerius Flaccus, in cuius locum quum alius successisset, Fabius noster in venerandum collegium venit. Non urgeri potest Livianum illud, eum esse *suffectum*, nam ante legem Domitiam promiscue utitur verbis: legere, creare, sufficere.

Unicum hoc fuit Labeonis sacerdotium, nam male alii flaminem Quirinalem eum dixerunt.

§ 9. [*Arbiter* [2].]

Cicero hancce de nostro narrat historiam, quam de illo se audivisse dicit, ubi disputat de iniuriis, quae fiunt ex iuris callida et malitiosa interpretatione, unde natum illud »summum ius summa iniuria"; refert hoc factum »Q. Fabii Labeonis, sive alium quem (nihil enim habet praeter auditum) arbitrum de finibus Nolanis et Neapolitanis a senatu datum, quum ad locum venisset cum utrisque separatim locutum, ut ne cupide quid agerent, nec appetenter, atque ut regredi quam progredi mallent. Id quum utrique fecissent, aliquantum agri in medio relictum est. Itaque illorum fines sicut dixerant, terminavit, in medio quod relictum erat, populo Romano adiudicavit; decipere hoc quidem est, non iudicare." Nolo in dubium vocare Labeonis sollertiam, potuit ita facere, ut duobus saeculis post audiebatur, potuit quoque pro arbitrio sine ulla libera cessione disceptantium eos iussisse, ut cederent.

Aliud quid est; habemus nempe Ciceronem confitentem se non recte tenere, feceritne illud Fabius noster an alius; quam Tullianam haesitationem arripio atque iungo cum fama quam Livius servavit, Q. Fabii Buteonis (44) arbitrium [3] volo in simili quaestione, quae inter Pisanos et

---

[1]) Liv. XL. 42. [2]) Cic. *de off.* I. 10 § 33; Val. Max. VII. 3. 4.
[3]) Cf. Lib. VI. Cap. VII § 4, p. 232.

Lunenses fuit anno 586. Huic opinioni obstat quidem, quod Cicero alios incolas nominat, sed nil refert, nam nonnisi exemplum profertur calliditatis Romanae, ne dicam fraudis. Neque obstare contendo, quod Valerius Maximus idem illud tradiderit, qui ex Cicerone hoc factum memorabile ita descripsit, ut pro certo posuerit, quod ille dubitanter dixerat.

Dederich non attenderat ad Buteonis historiam, et sic de Ciceronis loco non dubitavit, quod contra arripuit argumentum, cur tali homini triumphum petenti tribuni obniterentur, et cur consulatum frustra ambiret; necnon ad iuris peritiam illud traxit, acsi iustitiae aliquid esset in ista fraude.

§ 10. *Laus litteraria.*

Quaestio fit ex Ciceronis[1] loco: »Vivo Catone (520—605) minores natu multi uno tempore oratores floruerunt, nam et A. Albinus is, qui Graece scripsit historiam, qui consul cum L. Lucullo (603) fuit, et litteratus et disertus fuit, et tenuit huic locum quemdam etiam Ser. Fulvius, et uno Serv. Fabius Pictor (46), et iuris et litterarum et antiquitatis bene peritus, Quintusque Fabius Labeo fuit ornatus iisdem fere laudibus." At Labeo consulatu functus est 32 annis ante Lucullum, atque aequalis fuit Catonis, ita ut haud sciam an illi minor natu dici possit. Hinc suspicio nata est, an forte filius Q. Fabii Labeonis esset intelligendus, qui sic recte aequalis fuisset Albini; sed quominus de filio cogitare perseverem, impedit antiquitatis de illo silentium, nec audeo propter levius fortasse aetatis argumentum proferre alterum Fabium.

Noli tamen, ut Dederich fecit, ad Labeonis iuris peritiam probandam afferre, quod tam severe reipublicae leges tueretur stipendii exactione scilicet; quaestor enim exegit

---

[1]) *Brut.* 21 § 81.

pecuniam, quam sacerdotes solvere debebant, quod cum iuris studio nil quidquam habet commune. Neque sollertiam eius in classe Antiochi dissecanda scilicet, accipio, neque calliditatem in finibus Nolanorum.

Contra melius ad Labeonem nostrum referendus videtur locus [1] ex vita Terentii; agit auctor, quem neque recte dicas Donatum neque Suetonium, de Terentii amicis, quos ei in scribendo adiutores fuisse fama tradebat: »Santra existimat Terentium si modo in scribendo adiutoribus indiguerit, non tantum Scipione et Laelio uti potuisse, qui tunc adolescentuli fuere, quam C. Sulpicio Gallo, homine docto et qui consularibus ludis initium fecerit fabularum dandarum vel Q. Fabio Labeone et M. Popillio consulari utroque ac poëta; ideo ipsum non iuvenes designasse, qui se adiuvisse dicerentur, sed viros quorum operam et in bello et in otio et in negotio populus sit expertus."

Perhibet grammaticus ille Santra Terentio, cuius fabulae actae sunt inter annos 588 et 595, annum quum agebat 30 ad 36, non adiutores fuisse Laelium, qui tunc 18 ad 25 agebat, neque Scipionem 15 ad 22, verum eos viros, quorum operam et in bello et in otio populus erat expertus, C. Sulpicium anno aetatis 43 ad 50, Q. Fabium 60 ad 67 et M. Popillium 50 ad 57.

Miror sexagenarium nostrum Terentio adfuisse in fabulas barbare vertendo, nec tamen audeo spernere illud testimonium, praesertim propter Tullianum locum, qui annuit laudem litterariam nostri.

§ 11. *Nummi.*

I [2]. Caput Romae galeatum cum nota denarii, ante *LABEO*, pone *ROMA*.

Iupiter in quadrigis, dextra fulmen tenens, laeva sceptrum et habenas, sub equis prora navis, imo *Q*uintus *FABI*us.

---

1) Auctor *Vitae Terentii*, med. 2) Vaill. N°. 5; Mor. N°. I; Ricc. tab. XIX. 1.

II [1]. Alia exempla, quae ab illo differunt quod prora aliter versa sit.

Utrumque Labeo sibi vindicat noster, nec quidquam movet difficultatem, nec vero illustrat historiam, nisi forte Dederich verum dixerit »eos in memoriam triumphi navalis Labeonis esse *per*cussos." Vaillantius vero non recte dedit a Labeone Romanam classem auctam esse.

III [2]. Caput Iovis laureatum, ante *A*, pone *S*enatus *C*onsulto.

Iupiter in quadrigis, ceteroquin idem ac N°. I.

Facile intelligimus hunc denarium ad eundem Labeonem referri posse, quippe qui simillimus ei, quem Labeo sibi vindicat, etiamsi non illius nomen adscriptum est, potest tamen ab alio ex Q. Fabiis cusum esse.

CAPUT IX.

QUINTUS FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS (42).

§ 1. *Augur* 551—558 [3].

Vidimus supra [4] Cunctatorem augurem esse mortuum, in eius locum inauguratus est Q. Fabius Maximus filius, qui tamen haud ita diu hoc sacerdotio functus est, mortuus est enim anno 558 admodum adolescens, priusquam ullum magistratum caperet.

Quaeritur quinam fuerit ille? Facile potest confici propter illius aetatem; nondum ad annum aetatis 28 pervenerat, atqui natus est anno 530, ergo apparet eum nepotem Verrucosi fuisse et filium Q. Maximi (37) consulis 541, qui ipse initio huius saeculi natus erat.

---

1) Mor. N°. I. A. 2) Mor. N°. I. B; Ricc. tab. LXII. 1. 3) Liv. XXX. 26, XXXIII. 44. 4) Cf. Cap. v § 16 huius Libri, p. 347.

CAPUT X.

QUINTUS FABIUS (Q.) F. Q. N. MAXIMUS (43).

§ 1. *Genealogia.*

Dicendum est de Q. Fabio Maximo, praetore anni 573; fuit ille aequalis auguris (42), de quo modo vidimus, atqui Cunctatoris nepos, quaeritur utrum frater patruelis an germanus fuerit auguris.

Obstare videtur, quominus eos fratres germanos dicamus, quod eodem praenomine et cognomine ornati sint praetor noster et augur ille; afferuntur [1] quidem exempla fratrum, qui eodem praenomine ornati fuerunt, ut Asinii Galli consulis 746 duo filii Caii Saloninus et Pollio, ut Q. Metelli Nepotis consulis 656 duo Quinti Celer et Nepos, ut C. Claudii Crassi dictatoris 417 duo Appii Caecus et Caudex, verum hi omnes agnomine dignoscuntur, ut Q. Fabius Labeo (41) et Q. Fabius Maximus (42) augur, et Q. Fabius Maximus Aemilianus (48) et Q. Fabius Maximus Servilianus (49). Alia contra ratio valet in Marcellorum familia, in qua terni fratres Marci praenomine usi sunt nullo cognomine distinguendi secundum Drumannum [2]; at Richter [3] aliam proposuit genealogiam, ita ut nonnisi unum exemplum supersit in M. Marcello consule anni 532 et M. Marcello aedili 538. Hoc exemplum sic solet explicari, quod alter ex secundis nuptiis natus fuerit, quae ratio si vera est, idem in nostro Fabio locum habuerit necesse est. Potest quidem alio modo difficultas tolli, ut verbi causa ponamus Quintum praetorem nostrum natum esse ex fratre Quinti consulis 541, cui diversum fuisset praenomen; verum huic opinioni obstat senatus consultum [4] anni 515, ex quo filius maximus natu patris praenomine uteretur, atqui praetor noster minor natu fuisset, cuius fratris mentio nullibi esset facta.

---

[1]) Bröcker, 247. [2]) *Gesch. Roms*, Marc. N°. 4 et 5, 6 et 7, 9 et 21.
[3]) Taf. XXVIII ad N°. 3. [4]) Dio Cass. fr. 44.

Quidquid est, male Dederich [1] nostro Labeonis cognomen tribuit, cui erroneo fundamento alia superstruxit, et sic IIIviratum anni 571 et quaesturam Hispaniae 568 ad illum retulit. Quocunque patre gavisus fuerit, admodum verisimile est eum adoptasse Q. Fabium Maximum Aemilianum Servilianumque (48, 49); anni rem conficiunt, qui iidem demonstrant alios aberrasse, quibus Cunctator pater adoptivus eorum fuisse videbatur, nec meliora suspicatos esse eos, qui Q. Fabium augurem (42) sibi duos illos adoptasse crederent, nam mortuus est ille anno 558, atqui tunc Aemilianus consul 609 vix natus erat, ni fallor. Denique in promtu est altera ratio, ex qua Q. Fabius noster, qui ad praeturam saltem pervenit anno 573, Aemilii Serviliique filios adoptavit, quum mortuo fratre augure timebat, ne intermoreretur nobilissima stirps. Noster enim ut adoptati illi cognomen Maximi gerebat, contra Q. Fabius Labeo, quem alii male praeferunt.

§ 2. *Praetor* 573 [2].

Fabii duo praetores fuerunt hoc anno, Q. Buteo (44) qui Galliam sortitus est [3], et Maximus noster, cui peregrina iurisdictio obvenit. Versatur hic annus in bello contra Ligures aegre vincendos, ita ut extraordinariis copiis opus fieret; sic senatui placuit, ut Fabius noster quippe qui praetor peregrinus sociis Latini nominis imperaret 15000 peditum et 800 equites. Nec tamen in armis fuerunt illi, nam mox delectum remisit praetor iussu senatus, quum L. Aemilius rem melius gessisse nuntiaretur, et omne nomen Ligurum Ingaunorum in ditionem venisset [4].

Non magnam fidem huic genti senatus habuit, nam quum legati perpetuam pacem orantes Romam venissent, praetor noster iis pro senatu respondit [5], non novam videri

---

1) Pag. 28. 2) Liv. XL. 18, 26, 28, 34. 3) Cf. Lib. VI. Cap. VII § 2, p. 232. 4) Liv. XL. 26, 28. 5) Liv. XL. 34.

istam orationem sed iussisse patres ad consules redirent, quibus senatus crediturus erat. Ex quibus abunde patet legatos Romam venisse et ad consules in provinciam igitur ire iussos esse; ergo fallitur Dederich [1], qui ex his locis collegit Fabium in Liguriam missum esse ibique pacem composuisse.

CAPUT XI.

QUINTUS FABIUS Q. F. (Q.) N. MAXIMUS AEMILIANUS (48).

§ 1. *Miles in bello cum Perseo* 586—587.

Videamus de Quinto illo Maximo, qui ne intermoreretur Fabianum nomen, adoptatus est ab uno e Maximis, naturalis filius natu maximus L. Aemilii Pauli [2]; habebat hic quatuor filios, atque sine stirpis suae detrimento credebat unum Q. Fabio Maximo dari posse in adoptionem, alterum P. Cornelio Scipioni qui postea Africanus Minor est cognominatus; et tamen intermortua est Pauli familia, nam quos sibi duos praetextatos reservasset, atra mors necopinato abstulit, unum paucis diebus ante, alterum paucis post triumphum, sic ille in orbitate filiorum subito destitutus est.

Quintus noster natu maximus erat e Papiria Musonis filia [3], et non ante annum 575 in Fabiam domum transiit, nam tunc demum natus est Paulo tertius filius [4].

Cadunt L. Aemilii Pauli facinora in bello Macedonico adversus Persea gesta in annum 586 et sequentem; quibus interfuit filius eius natu maximus, Aemilianus noster.

---

1) Pag. 28. 2) Polyb. XVIII. 18 § 6, XXIX. 6 § 2; Liv. XLV. 40; Vell. Pat. I. 10 § 3; Val. Max. V. 10. 2; Cic. *Lael.* 19 § 69; Plut. *Aem.* 5, 35, *Reg. et imp. apophth. Aem.* 9; App. *Hisp.* 65, *Mac.* 17; Diod. Sic. XXXI. 38. 3) Plut. *Aem.* 5. 4) Liv. XLV. 40; Plut. *Aem.* 35.

Consul [1] venerat intra paucissimos dies Delphis Petra, quae urbs in monte Pierio in finibus Thessaliae et Macedoniae. Hinc expeditionem adversus Macedoniam suscepit, praetor Octavius cum classe Heracleam petere iussus est, dum P. Scipio Nasica, Africani gener, et Q. Fabius noster cum 5000 militum eodem convenirent specie, sed re vera Pythium aggrederentur, ex Plutarcho apparet Polybium [2] alium militum numerum scripsisse. Perseus a perfuga Cretensi certior factus Romanos Pythium deflexisse, copias praemisit ad saltum occupandum. Secundum Polybium Romani in hos somno oppressos impetum fecerunt, verum Plutarchus ex Livio opinor, huic obloquitur, et tradit secundum ipsius Nasicae epistolam constare in ipsis montis iugis periculose esse conflictatum; at cur non utrumque illud accidit? Quidquid est, Pythium ceperunt, et haud diu post ad Pydnam pugnarunt Nasica et Aemilianus, quo proelio Perseus victus est, qui Pellam et deinde Amphipolim se recepit.

Huius laetissimae victoriae nuntios [3] consul statim Romam misit Q. Fabium nostrum et L. Lentulum ac Q. Metellum, qui quarto post pugnam die in Urbem venerunt, et populo in Circo ludos spectanti nuntiaverunt [4] pugnatum in Macedonia et regem devictum esse.

Nec vero Romae mansit Aemilianus, nam reversus est [5] in Macedoniam, antequam decem legati advenissent, qui cum Aemilio res Macedonicas ordinarent. Tunc missus est a patre ad diripiendum Aeginium, quod in finibus Epiri et Thessaliae iacet, Agassasque, quae duobus annis ante societatem inierant cum consule Marcio et nunc defecerunt; Aeginienses aut falso nuntio aut ira Romanorum commoti hostiliter saevierant in milites Romanos.

Postquam in Persea satis animadvertisset Aemilius, leges-

---

1) Liv. XLIV. 35. 2) XXIX. 6 ap. Plut. *Aem.* 15. 3) Liv. XLIV. 45.
4) Liv. XLV. 1. 5) Liv. XLV. 27.

que Macedoniae scripsisset, ad Illyrios, qui Persea adiuverat, se vertit, quod negotium, dum ipse Epirum aggrederetur, Scipioni Nasicae et Q. Aemiliano [1] commisit, quibuscum postea se ad Oricum iungeret. Haec sicut imperata erant, perfecit Illyricum depopulatus, et sic Romam reversus est patrisque triumpho ornamentum fuit post illius currum Urbem ingressus [2].

§ 2. *Amicus Polybii* [3].

Interea Polybius cum Achaeis suis Romam venerat, quod exsilium non attingam, nisi quod ad amicitiam attinet Megalopolitani cum Aemiliano. Polybius anno aetatis duodevicesimo, notitiam contraxit cum Scipione Africano Minore ex usu librorum, hinc factum est, ut quum hospites illi Achaei per municipia in libera custodia distribuerentur, Scipio eiusque frater Aemilianus noster apud praetorem effecerint, ut Romae maneret Polybius. Ex qua Aemilianorum intercessione magnos redundasse fructus in Polybii de rebus Romanis scientiam atque notitiam non est quod dicam.

Erat Aemilianus noster litteris Graecis ac Latinis eruditus, ut Cicero [4] nobis tradit, quod facile intelligitur, tum propter expeditionem in Graeciam cui interfuit, tum propter consuetudinem cum Polybio; saepius enim duo illi Romani excultiores Polybio adfuerunt, ut ipse testatur Megalopolitanus, ubi inducit Scipionem rogantem cur in conviviis plura soleret cum Fabio quam secum colloqui, cui Polybius se illud facere respondit *διὰ τὸ πρεσβύτερον εἶναι τὸν ἀδελφὸν, ἔν τε ταῖς ὁμιλίαις ἄρχομαι ἀπ' ἐκείνου καὶ λήγω πάλιν εἰς ἐκεῖνον ἔν τε ταῖς ἀποφάσεσι καὶ συμβουλίαις, καὶ πρὸς ἐκεῖνον ἀπερείδομαι, δοκῶν καὶ σὲ τῆς αὐτῆς μετέχειν γνώμης*. Hinc facile credere possumus

---

[1]) Liv. XLV. 33. [2]) Liv. XLV. 40. [3]) Polyb. XXXII. 9, 10. [4]) *Brut.* 28 § 107.

Ciceroni [1], ubi Laelium inducit narrantem Africanum coluisse fratrem suum sibi nequaquam parem tamquam superiorem, quod is anteiret aetate, et quod aliis excelleret virtutibus, ni fallor.

Qui quum huiuscemodi sermones inter se habuerint, fide dignissimum esse videtur quod de Aemiliorum paupertate fere dixerim scripsit Polybius [2]: Paulum nempe nil quidquam sibi reservasse ex ingentibus divitiis, quas ex bello Macedonico in aerarium contulit, quae erant *χωρὶς κατασκευῆς καὶ χορηγίας* auri argentique plus quam sex millia talenta, ita ut post mortem suppellex vendita mancipiaque non suffecerint, ut 25 talenta redderentur dos uxori eius, atqui agri quoque venierint. Universa hereditas 60 talenta erat [3], aut ut Plutarchus [4] tradit 370000. Restabant ergo duobus filiis 35 talenta, quam L. Pauli hereditatem Cicero [5] dubitat utrum pluris aestimet quam Africani liberalitatem, qui eius hereditatis Q. Maximo fratri partem suam concessit. Poterat facere illud Scipio, quippe qui per expeditiones suas haud ita pauca sibi collegerat. Scipio itidem dimidiam impensae funeris solvit, quae non infra 30 talenta fuisse traditur propter ludos, gladiatores, cet.

§ 3. *Legatus ad Prusiam* 600 [6].

Inter legationum excerpta, quae ad nos pervenerunt, ea quoque exstat, qua Fabius noster functus est cum L. Anicio, C. Fannio et septem aliis, quos senatui mittere placuit ad Attalum regem Prusiamque.

Attalus ille Attali filius erat, regis Pergami, qui in multis aliis sic in hoc quoque patrem est imitatus, quod amicitiam cum Romanis fidelissimam servaverit, ut sic tutus esset a finitimis Syriae Macedoniaeque regibus; quam

---

1) *Lael.* 19 § 69. 2) XVIII. 18 § 4—6, XXXII. 8 § 1—5; Diod. Sic. XXXI. 38. 3) Polyb. XXXII. 14; Diod. Sic. XXXI. 38. 4) *Aem.* 39. 5) *Parad.* VI. 2 § 48. 6) Polyb. XXXIII. 6.

ob causam saepius Romam venit, senatui blandiens ne opprimeretur scilicet. Erant autem infestissimi Romanis rex Syriae et alter ille Prusias, qui Bithyniae praeerat, qui tunc palam tunc clam Attalo insidiebantur; hinc novae in senatu querelae, nam Prusias [1] incitante et adiuvante Philippo Gallograecos contra eum incitaverat, Attalum vicerat eiusque regionem cum templis diripuit. Frustra de his iniuriis Romani miserunt legationem Hortensii et Auruncalei, quos Pergameni contumeliose exceperunt, imo Prusias conatus est eos contra foedus et ius gentium retinere, cui non satis videbatur mandata Romana spernere. Nec mirum igitur patres conscriptos ira inflammatos esse et legatos misisse, qui pro potestate sua bellum componerent inter Attalum et Prusiam, atque hunc cogerent Attalo poenas dare pro istis iniuriis.

Huic legationi interfuit noster, qui [2] quum frustra Prusiae imperarent senatus mandata, Attalum incitarunt, ut ad bellum se pararet, tunc pars legationis Romam rediit harum rerum nuntii, dum alii vicinas adierunt civitates, ut socios illos a Prusia distraherent et Attalo conciliarent.

§ 4. *Senator* 604 [3].

Non laudes tantum Fabiorum enumerare lubet, ergo imprudentiae Maximi hoc exemplum non reticebo. Noster nempe redibat forte domum anno 604, quum bellum Punicum III nondum erat indictum et tantummodo actum erat secreto in senatu de indicendo illo; quibus in rebus totus noster rus petebat, ubi in P. Crassum revertentem incidit. Triennio ante functus erat ille quaestura, nec tamen lectus in senatu, quod anno 600 tandem censores fecerunt, atqui nondum ei licebat curiam intrare. Fugerat illud Q. Fabium atque imprudens cum Crasso sermonem serens collocutus est de bello novo indicendo. Negligentia Fabii

[1]) Polyb. XXXII. 25. [2]) Polyb. XXXIII. 10. [3]) Val. Max. II. 2. 1.

etiamsi excusanda vehementer a consulibus est obiurgata; erat enim nimis e republica alto silentio premere consulta, ne hostes in socios inarmatosve irrumperent.

Valerius huius rei unicus testis nonnisi Q. Fabii Maximi nomen habet, sitne vero Aemilianus an Servilianus intelligendus ambigitur, vulgo ad illum retulerunt viri docti, at recte Haakhius observat hunc aeque bene intelligi posse.

§ 5. *Praetor* 605 [1].

Summa Carthagine erat rerum desperatio, quum anno 605 Uticenses se Romanis dedidisse audiebantur; Poeni bellum respuebant, iam satis superque experti quid esset contra Martiam gentem bellum gerere et gravius esse cum iis pacem componere. Tum deliberarunt Poeni [2] essetne bellum fortiter suscipiendum aut Romanis obediendum, placuit denique legatos Romam mittere, quorum arbitrio se dederent. Venerunt illi Romam, sed sero erat, bellum iam decreverat senatus, classes profectae erant. Ad ultimum igitur refugium erat recurrendum, legati reliquerunt se omniaque sua arbitrio Romanorum, quod quid sit Polybius accurate explicat Graecis lectoribus. Postquam satis diu erat deliberatum, Poenis curiam ingressis consul dixit senatum libertatem decrevisse, leges, terram, omniumque rerum possessionem iis concedere, his tamen legibus ut 300 obsides mitterent senatorum filios intra 30 dies Lilybaeum. Non sine magna trepidatione haec Carthagine audita sunt, placuit quos poposcerant nobilissimos iuvenes Lilybaeum mittere, quos tristissimo eiulatu affines prosecuti sunt.

Siciliae hoc anno Fabius noster praetor erat, quod etiamsi non diserte indicat Polybius, non est cur dubitemus, num forte Servilianus intelligendus sit, nam huius consulatus ab hoc 7, illius vero 4 tantum annos distat,

---

[1]) Polyb. XXXVI. 3 § 8. [2]) Polyb. XXXVI. 1—3.

quod moneo Krausii causa, qui alteram defendit opinionem, necnon Harlessii [1], qui dubitavit, uter intelligeretur. Huic sicut imperatum erat, traditi sunt obsides. Sed nil proderat reipublicae eos Lilybaei servari, consules igitur iusserunt Romam eos subvehi, cuius rei plura exstant exempla. Perfecit hoc negotium praetor Fabius, qui quum Romam eos adduxisset, non sunt in liberam custodiam dati, sicut exspectaverant, verum inclusi ad unum omnes in τῆς ἑκκαιδεκήρους νεωρίῳ, in uno alterove navali, quae ratio Punicae, quae dicitur fraus, similior est quam Romanae; sed virtus Romana periisse videbatur, satis erat hoc scelesto modo nobilissimos Poenorum suboles captivos retineri.

§ 6. *Consul* 609.

Q. FABIUS Q. F. (Q.) N. MAXIMUS *AEMILIANUS* [2].
L. HOSTILIUS L. F. L. N. MAN*CINUS.*

Aemilianus ad consulatum pervenit cum collega, qui populi gratiam pictura sibi conciliaverat; primus nempe irruperat ille in Carthaginem anno praecedente, in qua urbe expugnanda ferociter Scipionem adiuvit; situm et expugnationem illam Carthaginis in tabula depictam proposuit in Foro, cui ipse ille adstans alta voce res gestas populo enarrabat, quum consulatum ambiret [3]. Quo igitur anno hi consules fuerunt [4], Laelius praetor fuit [5] ac de Carthagine actum erat et Scipio bellum Achaicum conficiebat, nova autem bella consulibus gerenda erant in alia orbis terrarum parte, in Hispania nempe, ubi Viriathus ex pastore venator, ex venatore latro, mox belli dux exstiterat, totamque Lusitaniam tenebat [6]. Non sufficiebant copiae, quae quotannis Roma submittebantur contra

1) *De Fab. et Auf.* 38. 2) Fast. Cap. h. a.; Cic. *Lael.* 25 § 96; Plin. *H. N.* XXXV. 4; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 3) Plin. *H. N.* XXXV. 4. 4) App. *Hisp.* 65, 66; Diod. Sic. XXXIII. 1. 5) Cic. *Lael.* 25 § 96. 6) Liv. Epit. LII; Flor. II. 17 § 15; App. *Hisp.* 61—64.

ferocem illam gentem, quae per quaevis tempora tam difficulter subigi potuit.

Fuderat Viriathus anno 607 praetorem M. Vetilium, quem cepit; eius quaestor, qui Carpessum se receperat, eruptione facta itidem victus est, cui cladi vix superfuit nuntius; tunc quievit ille, donec anno 608 praetor C. Plautius advenerit, qui cum novis copiis istam cladem ulturus Viriathum persequi coepit, qui Carpetanum agrum tenebat, sed ex vana fuga Viriathus reversus circumvenit 4000 Plauti militum, deinde Tago traiecto ad montem Veneris consedit, ubi Plautius iterum victus in urbes refugit. Non mirum placuisse consularem mitti exercitum contra Viriathum, quum Carthago et Graecia subacta essent, nec a Macedonia quidquam esset metuendum. Igitur Aemilianus noster novum exercitum 15000 peditum et 2000 equitum secum duxit ἐς Ὀρσῶνα τῆς Ἰβηρίας, unde absque pugna Gades se contulit; non credo Fabii Maximi strategema nostri fuisse, quod Frontinus [1] memorat, nam quum pugnae nulla fiat mentio, non erat cur ille naves incenderet, priusquam iniret proelium, ne refugium ad naves esset et minus constanter pugnarent; ad quemnam Fabium pertineat illud ignoramus, sed omnino non ad nostrum, ut Haakhius suspicatur.

Tum Viriathus de more proelium iniit cum Romanorum quibusdam qui lignatum abierant, quod quum Fabius expertus esset in posterum exemplum patris secutus non sine magna armatorum manu milites frumentatum abire sinebat, imo ipse equo insidens comitabatur copias. Simili modo patrio more Fabius, qui ipse disciplinam militarem strenue observabat, ut Velleius [2] tradit, novos milites huic gnaviter assuefecit et exercuit, interea aciem nondum struebat ab hoste etiamsi saepius invitatus atque lacessitus, denique cunctando tempus terebat Fabius; quod

---

[1]) *Strat.* I. 11 § 21. [2]) II. 5 § 3.

equidem Appianum ex Livio ad verbum descripsisse contendo, quem totum in Aemiliani cunctatione fuisse suspicor. Re vera perpaucas res Fabius gessisse videtur, Appianus saltem hoc tantum de eo tradit: μετὰ δὲ χειμῶνα exercitatis copiis δεύτερος τρέπεται Viriathum.

§ 7. *Pro consule* 610 [1].

Aemilianus sequenti quoque anno in Hispania degit, colligitur illud ex historiola quadam, quam Valerius [2] tradidit; fuit nempe anno 610 magna in senatu dissensio, utrum novus consul Ser. Sulpicius Galba an Aurelius Cotta in Hispaniam mitteretur, tandem Scipio Aemilianus obtinuit, ut neuter iret, nam alter nil haberet, alteri nihil satis esset. Sequitur hinc ex certa analogia, etiamsi illud de Fabio non memoriae traditum sit, ut Aemiliano provincia prorogata fuerit, quod ut fratri concederetur, Scipio eam fortasse dixit sententiam, qua fratri magis indulserit quam veritati, quod Valerium fugere potuit.

Post hiemem igitur, quum exercitum suum satis exercuisset, non diutius pugnam differre ausus esse videtur, atqui manus cum Viriatho conseruit, quem post strenuam pugnam δεύτερος ὅδε in fugam vertit. At quid est illud δεύτερος? Vertit aliquis: »secundus fuit a quo Viriathus fusus est," sed verissime Schweighäuserus observat in notis ad hunc locum, Appianum nil monuisse de priore clade Viriathi, nec opus esse videtur ut cum Schweighäusero cogitemus aliquid ex praecedentibus periisse. Alius verterat: »secundus ipse in fugam vertit", quod ex praecedentibus ita explicandum esset, acsi opponatur cladi eorum qui lignatum abierant, quae autem explicatio nimis contorta. Equidem suspicor illud δεύτερος ὅδε ex margine irrepsisse et sibi voluisse scholii auctorem hoc secundo anno (ἐνιαυτός) imperii Aemiliani accidisse, post hiemem

---

1) App. *Hisp.* 65; Diod. Sic. XXXIII. 1. 2) VI. 4. 2.

μετὰ δὲ χειμῶνα alterius anni, cavendum enim esse, ne lector crederet verno tempore anni 609 Viriathum ab Aemiliano esse fugatum, postquam per aliquot menses copias exercuisset.

Tum duas urbes cepit, quarum unam militibus concessit diripiendam, alteram incendio delevit; deinde ipsum Viriathum insecutus est quidem in terram Βαικόρ, ubi multos caedit, denique Cordubae hiemavit. Nil quidquam poterant Romani etiamsi fortissimi contra bellicosam istam gentem, ita ut re vera haud multum egerit noster.

Nec vero negaverim Aemiliani res gestas paulo aliter accidisse, nam fieri potest ut aliquid interciderit, hic saltem incidimus in turbidum Appiani locum, ut rectissime editores odorati sunt, qui verba ἐχείμαζε — Αἰμιλιανός ex capite 68 subiungenda censuerunt capiti 65. Quorum in sententiam pedibus ire non dubito, nam vera in annotationibus protulerunt argumenta. Nec tamen sic totus ille locus restitutus est, viam tantum monstrarunt illi, qua pergere non ausi haeserunt in reddendo Appiano quae ipse dederat. Iam quo modo persanandum locum censeam, paucis dicam: post verba in capite 65 καὶ ἐχείμαζεν ἐν Κορδύβῃ subiungantur δεύτερον ἔτος ἤδη στρατηγῶν τοῦδε τοῦ πολέμου. Καὶ τάδε μὲν ὁ Σερουΐλιανὸς ἐργασάμενος ἐς Ῥώμην ἀπῆρε διαδεξαμένου τὴν ἀρχὴν Κοΐντου Πομπηΐου Αὔλου. Potest enim sic facillime explicari quid transpositioni ansam dederit, repetitio nempe illius καὶ ἐχείμαζεν, quod alii alii tribuerunt imperatori, hinc librarii errores. Quod si recte disputavero, suspecta habeo vocabula ἐν Κορδύβῃ utpote ex sequenti capite repetita, sed hoc nunc non urgeo. At Serviliano iam tribuunt editores, quod frater eius Maximus Aemilianus fecit, lectori uni vel alteri videtur illud suboluisse, nec se potuit continere quin in margine adscripserit: ὁ δὲ ἀδελφὸς αὐτοῦ, Μάξιμος Αἰμιλιανός; cuius rei hoc indicium esse videtur, quod in alienum locum scholion irrepserit, nempe post verba Πομ-

πηΐου Αὔλου, quod librariis ignosci potest non vero editoribus, qui illud αὐτοῦ ad Pompeium referendum credebant, ex ratione grammatica etiamsi nil magis absurdum, sed hoc non agunt illi, quibus satis videbatur monuisse »multis modis corruptus locus." Quid quaeso magis perspicuum esse potest, quam ut legamus: καὶ τάδε μὲν ὁ Μάξιμος ἐργ., ut eum dixit capite 65 medio, aut quod mihi magis arridet ὁ Αἰμιλιανός, et Appiano suum redditum erit, opinor. Nil enim attinet seriem locorum afferre ubi haec duo nomina permutata sunt, nam satis eorum Schweighäuser attulit in Varietate Lectionis cap. 69 et 70, quod facillime intelligitur, quum enim semel in hunc annum pedem intulisset Aemilianus, librarii qua sunt diligentia atque constantia nonnumquam, Aemiliano tribuerunt, quae Servilianum anno 613 egisse statim [1] videbimus.

§ 8. [*Legatus ad Numantiam* 620 [2].]

Bellum Numantinum inde ab anno 611 Romani strenue gesserunt contra Hispanos atque Viriathum, quod tandem 620 confecit Scipio consul II, postquam per 15 menses urbem oppugnasset atque delevisset. Quod oppidum obsidenti Fabius noster fratri adfuisse fertur uni exercitui praepositus, dum ipse alteri praeerat. Urbem inclusit valloque circumdedit septem castellis exstructis, quae opera satis magna ita perfecit, ut bipartito exercitu pars hostium impetum arceret, pars urbem circumvallaret, quod per brevissimum temporis spatium quum factum esset, facile coëgit Numantinos fame pressos ad deditionem, quibus sub corona venditis et 50 reservatis triumpho, urbem solo aequavit.

Haec Appianus, quem nostrum sibi voluisse, nondum persuasum mihi est; dicit eum τὸν ἀδελφόν Scipionis, verum non credo consularem nostrum militasse sub fratre natu

[1]) Cf. Cap. XII § 2 huius Libri, p. 392. [2]) App. *Hisp.* 90.

minore, hinc admodum probabilis suspicio Appianum et hoc et altero loco [1] Aemilianum miscuisse cum illius filio, nam quaestor fuit Q. Maximus ille (50) hoc anno, et videtur partem copiarum Scipionis in Hispaniam duxisse [2]; nisi librariis error tribuatur, nam si hoc loco legimus ἀδελφιδοῦν, Aemiliani filius intelligitur.

§ 9. *Nummus* [3].

Caput Iunonis Sospitae caprina pelle amictum, pone *EX* *S*enatus *C*onsulto.

Ara supra quam serpens, ante *Q*uintus *FAB*ius *Q*uinti *F*ilius *MAX*imus, pone *AIMILIAN*us.

Vulgavit Goltzius huncce denarium ad annum 906; erat sacrum Iunoni quoddam, quod in Foro Olitorio fiebat, magistratus quum inirent munera, quod quo modo cohaereat cum nostro Fabio ignoramus. Videtur ex duobus aliis hic nummus esse conflatus.

CAPUT XII.

QUINTUS FABIUS Q. F. (Q.) N. MAXIMUS SERVILIANUS (49).

§ 1. *Consul* 612.

Q. FABIUS Q. F. (Q.) N. MAXIMUS SER*VILIAN*US [4].
L. CAECILIUS Q. F. L. N. METELLUS CA*LVUS*.

Pervenimus ad Servilianum, qui ab eodem Q. Maximo (43) est adoptatus, constat enim hoc duplicis adoptionis exemplum ex Appiano [5], qui nostrum Aemiliani fratrem appellat; absurda est igitur eorum opinio, qui Verrucosum nostro patrem adoptivum scilicet posuerunt, necnon Orellii et Bährii suspicio ab Aemiliano nostrum esse adoptatum, nam ipsi illi aequales erant, imo Aemilianus strenuum filium (50) progenuerat, qui Allobrogici nomine inclaruit.

---

1) *Hisp.* 84. 2) Cf. Cap. XIII § 3 huius Libri. 3) Vaill. N°. 12; Mor. XVI. 11. 4) Fast. Cap. h. a.; Cic. *ad Att.* XII. 5 § 5; Obseq. 81; Oros. V. 4; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 5) *Hisp.* 67.

Pater eius naturalis fuit Cn. Servilius Cn. f. Cn. n. Caepio anni 585 consul, qui praeter nostrum Cnaeum quoque habuit filium natu maiorem, opinor, etiamsi post Fabium consulatu functus est.

Serviliano [1] obvenit bellum Viriathicum, quod modo vidimus fratrem eius per biennium gerentem aut potius trahentem; in illius locum anno 611 neuter consulum successit, nam App. Claudius adversus Salassos Gallos rem gessit, cuius collega Q. Caecilius Metellus bellum Numantinum suscepit; contra Viriathum praetor tantum Q. Pompeius Aulus missus esse videtur [2], idem ille qui anno tertio post consul Q. Metello successit.

Adversa fortuna expertus erat Quintus ille, nam Viriathus a Metello victus ad montem Veneris rediit, sed fugavit eum rapuitque eius signa, praesidium ex Ituca expulit, depopulatus terram Bastitanorum, dum Metellus a medio autumno Cordubae in hibernis degebat.

Servilianus [3] multo melius rem aggressus est cum novis copiis 16000 peditum et 1600 equitum in Lusitaniam traiectis, negotio dato Micipsae regi Numidiae, ut elephantes submitteret. Viriathus statim magno concitato clamore eum ad proelium incitavit, Romani nil metuentes hostem removerunt; quum vero ex Africa 10 elephantes et 300 equites advenissent, consul hostem aggressus est, quem fudit atque fugavit, sed de more Hispani mox se verterunt et Romanos absque ordine aggressi sunt, quorum tria millia ceciderunt, ceteris in castra redactis, quae quum Viriathus infestaret, Servilianus coactus est Itucam castra movere. Verum frumenti inopia mox coegit [4] Viriathum in feraciorem Hispaniam redire; interea noster quinque Lusitaniae urbes cepit, quae cum Viriatho fecerant.

---

1) Liv. Epit. LIII, LIV; Flor. II. 17 § 17; Val. Max. II. 7. 11; Oros. V. 4; App. *Hisp.* 67—69; Diod. Sic. XXXIII. 1. 2) App. *Hisp.* 66, 68. 3) App. *Hisp.* 67. 4) App. *Hisp.* 68.

§ 2. *Pro consule* 613 [1].

Secundum Livium pro consule Fabius expugnatis aliquot urbibus recepit bonam Lusitaniae partem, atqui hoc anno imperium ei prorogatum est, unde sequitur Harlessium [2] scripsisse contra morem Romanum: per duos annos eum consulem rem gessisse et tertio demum anno imperium ei prorogatum esse; sed error ille ex Appiani locis non recte transpositis natus est, quod novum argumentum evincit Appiani capita alio ordine esse legenda.

Cuneis in ultima Lusitania devictis persecutus est Viriathum, quo in itinere Curium et Apuleium cum 10000 Romanorum insidiatus est in saltibus iisque praedam eripuit, quam Servilianus mox recepit. Eripuit deinde Escudiam, Gemellam et Obolcolam, alias urbes vastavit, aliis ignovit; contra crudeliter saeviit in captivos mille quos habebat, quorum dimidiam partem securi percuti iussit, et quum paulo post Connoba dux quidam latronum in eius potestatem venerat, hunc quidem salvum dimisit, verum sociis eius ad unum omnibus manus abscindi iussit, qua crudelitate a Valerio [3] in omnes transfugas animadvertisse traditur, dum Frontinus [4] dexteras tantum eum praecidisse scripsit, Orosius [5] denique nobis auctor est hoc exsecrabile facinus fecisse Fabium consulem, quum oppidum Bucciam (sive Baccium) obsidione liberasset, eum 540 principibus manus praecidisse, quam famam equidem praefero.

Hic Fabii fortuna substitit, nam quum strenuum illum hostem in urbe Erisana oppugnabat, nocte eruptione facta eos, qui vallum ducebant, fugavit exercitumque Romanum persecutus est in loca praerupta, unde non potuerint effugere. Nec tamen Viriathus, quod tunc fa-

---

1) Liv. Epit. LIII; App. *Hisp.* 68. 2) Pag. 40. 3) II. 7. 11.
4) *Strat.* IV. 1 § 42. 5) V. 4.

cillime poterat, hostem delere voluit; nonnisi patriae amor eum adduxerat, ut libertatis ergo hostem pelleret bello finito ad pascua rediturus. Pacem fecit ergo ea lege, ut unusquisque suos haberet agros, et Hispani Romanis essent socii.

Sic bellum ad finem perductum videbatur, nec tamen erat, nam populus teste Appiano firmavit quidem foedus illud, verum statim frater nostri P. Servilius Caepio ei successit [1], quem taedebat diu extrahere bellum, atqui iussit Viriathum necari, ut nobilissimo duce sublato tandem bellandi finis foret. Florus, si quid video, foedus illud iniquum non recte assecutus est, quod Serviliani successor non Popilius rumperet et ulcisceretur secundum illum, quem errorem Perizonius et Graevius recte ostenderunt; tum Fabium dixit consulem, ubi procul dubio pro consule intelligendus est.

Hoc foedus etiamsi labem iis imposuerit, quae anno ante prospere contra Viriathum gesserat, tamen non verum est, quod Krausius [2] scripsit, nil memorabile eum gessisse.

§ 3. [*Censor* [3].]

Sequitur, ut censuram Serviliano abiudicemus, quam nostro viri docti falso tribuerunt propter Valerii locum, ubi dicitur »Q. Fabius Maximus Servilianus honoribus quos splendidissime gesserat, censurae gravitati consummatus est." Nolo equidem urgere splendidos illos honores non convenire Serviliano in proconsulatu male multato, alios melius fortasse gessit, quorum memoria ad nos non pervenit. Quaeritur quonam lustro fuerit censor; primum post eius proconsulatum est LVIII, quod anno 618 condiderunt App. Claudius Pulcher et Q. Fulvius Nobilior,

---

1) App. *Hisp.* 70; Diod. Sic. XXXIII. 1. 2) *Fragm. hist. Rom.* 169.
3) Val. Max. VI. 1. 5.

olim quidem Fabium nostrum Fulvio tribuerant collegam, sed recte Pighius ex Dione [1] collato Plutarcho [2] reposuit Claudium. Krausius vero vel Pighio postponendus videtur, nam antiquam censuram decantat, ipsos classicos quum non adierit; sed sic solet ille ex aliorum operibus sua suffurari. Idem valet de Bährio, qui in eundem volebat ire errorem, sed per typothetas non licuit, scripsit eum consulem fuisse 612 et censorem 628, ubi Krausium presse secutus 618 volebat, et sic in hunc novum errorem deduxit Kraftium, qui audacter ponit eum 628 censura esse functum.

Neque lustrum LIX anni 623 condidit, quippe quod Q. Caecilius Metellus et Q. Pompeius Rufus fecerunt [3]; neque anno 629 censor esse potuit, quum Cn. Servilius Caepio et L. Cassius Longinus lustrum LX condiderunt [4], quorum nomina fugerant Ernestum et Orellium.

Iam recurrendum est ad lustrum sequens, quod anno 634 conditum est; at Pighius ex coniectura huic tribuerat censores L. Calpurnium Pisonem Frugi et Q. Caecilium Metellum Balearicum; horum Pisonis munus constat [5], ergo posset pro Metello Serviliani censurae, quae ex anno 618 cedere debuit, locum assignari; equidem Pighii sententiam defendere malim, nam Piso censor fuit 13 annis post consulatum, Metellus 3, quae ratio satis probabilis, contra Servilianus 22 annis post consulatum ceterosque honores splendide gestos ad censuram pervenisset post quatuor lustra scilicet. Ad quos numeros si attendisset Laurent, in fastis suis non Servilianum pro Pisone recepisset; unde vero habeat censores illos abdicasse, non assequor.

Denique munus illud in dubium vocandum est, nam praeterquam quod nullus locus illi assignari possit, aliud quid unico Valerii obstat testimonio; quod enim de eo

1) Fr. 81. 2) *Ti. Gracch.* 4. 3) Liv. Epit. LIX. 4) Front. *Aquaed.* 8.
5) Dion. Hal. II. 38; Plin. *H. N.* XIII. 13; Censor. 17.

tradidit ille, idem a Quinctiliano [1] tribuitur alii Fabio (51), Eburnum dico, quod convenit cum tempore, quo Orosius [2] illud narrat, nempe breve ante 652, de quo infra [3] videbimus. Nunc video Rothium quoque Valerio fidem abnegasse.

§ 4. [*Pontifex* [4].]

Hoc sacerdotio Servilianum esse functum Macrobius nobis auctor est, ubi unicum illud affert fragmentum, quod supra [5] Servio Fabio Pictori vindicare conatus sum. Contendo nempe Macrobium sibi voluisse non *Serviliani Pontificis libri* locum, sed *Servii Pontificii Iuris libri.* Maneat ergo extra censum hoc de sacerdotio testimonium; Harlessio [6] contra videtur, qui Servilianum praeter historicos libros perhibet scripsisse libros de iure pontificio.

§ 5. *Laus litteraria.*

Inter Fabios, qui laude litteraria inclaruerunt, noster quoque locum sibi postulat, etiamsi non adeo innotuerit, ita ut vel multis suspectus videatur. Enumerat eum Dionysius [7] inter alios Romanae historiae auctores, qui Latino sermone res gestas scripserunt: Porcium Catonem, Fabium Maximum, Valerium Antiatem, Licinium Macrum, Aelios, Gellios, Calpurnios.

Constat ergo Fabium illum Maximum Latine scripsisse, iam probandum est non Aemilianum verbi causa intelligendum esse verum Servilianum; suspicor hoc quoque constare hodie propter novum illud fragmentum apud Scholiastam Virgilii, quem Angelus Mai primus edidit, ubi diserte nominatur Servilianus [8].

An Cicero [9] in loco supra [10] allato nostrum quoque sibi

---

1) *Decl.* III. 17. 2) V. 16. 3) Cf. Cap. xv § 8 huius Libri. 4) Macrob. *Sat.* I. 16. 5) Cf. Lib. V. Cap. vi § 3, fragm. VI, p. 209. 6) Pag. 12, 37. 7) I. 7. 8) Cf. fragm. III, p. 399. 9) *De divin.* I. 26 § 55. 10) Cf. Q. Pictoris fragm. XXVI, p. 188.

voluerit, ubi dixit: »Omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxime Coelius", equidem non crediderim, nec vero me habet assentientem Nipperdey [1], ubi posuit Ciceroni Serviliani annales prorsus ignotos fuisse.

Quot libros scripserit et quamnam Romanae historiae partem persecutus sit, ignoramus. Probabilis quidem Harlessii [2] videtur opinio, Servilianum nempe consularem suum condidisse opus, quippe quod Polybius ignorasse videatur. Contra a via misere aberrat ille, ubi scripsit Serviliani libros popularibus fuisse gratos et acceptos; quibus enim Dionysii [3] nititur verbis, haec sunt: τὰ δὲ ἐκ τῶν ἱστοριῶν ἀναλεξάμενος, ἃς οἱ πρὸς αὐτῶν (Ῥωμαίων) ἐπαινούμενοι Ῥωμαῖοι συνέγραψαν, inter quos Fabius noster, atqui non libri eorum sed illi ipsi ἐπαινούμενοι erant.

§ 6. *Fragmenta Annalium Q. Fabii Maximi Serviliani.*

N°. I. Fabius Maximus Annalium I°: »Tum Aeneas aegre patiebatur in eum devenisse agrum macerrimum litterosissimumque" [4].

Superlativus ille haud ita vulgaris denotat Aeneam venisse ad locum in ipso littore atque mari proximum; atqui, inquit Harlessius [5] fragmentum illud convenit cum iis, quae apud Dionysium [6] legimus, τῷ δὲ Αἰνείᾳ... ὁρῶντι τὸ χωρίον γῆς τε οὐκ ἐν καλῷ καὶ θαλάττης πρόσω; non ita est, iungit ille negationem cum verbis θαλάττης πρόσω, sed contrarium voluit Dionysius, quippe qui dixerat modo collem illum, de quo sermo est, distare viginti quatuor stadia a mari, quem locum Fabius non potuit dicere litterosissimum. Quae quum ita sint, cadant necesse est quae huic discrepantiae superstruxit ille [7].

---

1) In *Philol.* VI. 132. 2) Pag. 41. 3) I. 7. 4) Serv. *ad Aen.* I. 3. 5) Pag. 6. 6) I. 56. 7) Cf. Lib. V. Cap. IV § 6, p. 163.

N°. II. Ostendebat grammaticus in libro IV° Annalium Fabii ita scriptum: »quapropter tum primum ex plebe alter consul factus est, duoetvicesimo anno postquam Romam Galli ceperunt." Non, inquit, *duoetvicesimo* sed *duodevicesimo* scribi oportuit. Quid enim est duoetvicesimo [1]?

Hunc locum Serviliano vindicandum esse credo contra omnium quot scio opinionem; Gellius nempe ubi Servii Pictoris laudat fragmenta, hoc adscripsit cognomen, hic vero »Fabii" annales nominat, unde sequitur ni fallor, diversorum locos esse allatos. Quum deinde constet ex Dionysio Maximum nostrum Latino usum esse sermone, cur locum illum re vera Latine scriptum non vindicabimus nostro? Neque ad incertas coniecturas confugiamus necesse est, nec cogitemus de Latina Quinti Pictoris versione.

Niebuhrius [2] credit Fabium Pictorem, cuius chronologia una differt olympiade ab ea, quam Diodorus sequitur, scripsisse »*duodevicesimo* anno", nam haec annorum series apud Diodorum numeratur inter Urbem captam et primum consulem plebeium. Non potest, inquit, sermo esse de mendo graphico, nobilissimus enim dicitur ille grammaticus, et hoc tantum sibi voluit Gellius grammaticum illum se vertisse ad discrepantiam chronologicam, quum graphicum mendum nullum invenisset.

Huic opinioni plura habeo obiicienda; primo non Pictoris sed Serviliani locus est, sed vel hoc mitti potest. Tum Diodorus non 18 annos sed 24 inter tempora ista enumerat; iterat quidem per primum quinquennium tribunorum nomina, ut chronologia sua congruet non Fabianae tantum sed ceteris quoque. Deinde, ut Laurent recte observat, non cogitavit grammaticus de chronologia, reprehendit nonnisi vocabuli formam; quid est, inquit *duoetvicesimo*? dicendum fuisset secundo et vicesimo,

---

[1]) Gell. V. 4 § 3, 4. [2]) *R. G.* II. 630.

hinc iam coniecturam proponit levissima litterarum mutatione *duodevicesimo*; ignorabat ergo antiquam illam dicendi formam, et iusto arrogantior erat, quod Gellius annuit per odiosum illud »quispiam", necnon alibi [1] hoc genus hominum perstringit.

Constat nempe haec vocabuli forma propter hunc Catonis [2] locum: »deinde duodevicesimo anno post dimissum bellum, quod quatuor et viginti annos fuit, Carthaginienses sextum de foedere decessere"; id est post bellum Punicum primum, quod ab anno 490 ad 513 fuit, Carthaginienses anno 22 id est 535 novum moverunt.

Satis verisimile est sive per ipsum Gellium sive per Paulum doctissimum poëtam, qui ei aderat, doctum istum in viam esse deductum, quae verba tamen ex probabili Gronovii suspicione perierunt. Desiderantur enim plura hoc loco, inter quae Varronis nomen, siquidem ex Nonio constat non ex Fabii libris desumta esse exempla simillimae dictionis, quae statim subiungit Gellius, verum ex libro XVI *Rerum Humanarum*, atqui pronomen »*hic* alio quoque loco ita scripsit" indicat Varronem, cuius verba eadem affert Nonius: »mortuus est anno duodevicesimo: rex fuit annos viginti et unum."

Sequitur ex his Fabio abiudicanda esse haec ultima verba, ut recte vidit Harlessius, contra Lachmannus [3] opinabatur, qui de regno Procae cogitabat; non recte tamen, nam Eusebii locus, quo nititur haec opinio, non ex Fabio fluxit, ut supra [4] iam dictum est; tum Procas illo loco legitur tenuisse regnum »annis tribus supra viginti", qui numerus convenit cum Dionysio [5], unde apparet hunc fontem illi fuisse, non Gellianum locum.

Hoc nomine dissentior ergo a Krausio, necnon in eo, quod duas illas sententias ad unum eundemque regem

---

[1]) IV. 1, VII. 17. [2]) Nonius, v. *duodevicesimo* p. 69. [3]) I. 51.
[4]) Cf. Ad Q. Pictoris fragm. III, p. 174. [5]) I. 71.

retulerit, nam apud veteres, prout scimus, nullus rex ad imperium pervenit primo aetatis anno, exempli gratia tantum loci afferebantur.

N°. III. Servilianus historiarum scriptor..... verit eburnum appellatum tradidit [1].

Has scholiastae lacinias Harlessius in hunc modum supplevit: [Pelopem autem Fabius Maximus] Servilianus historiarum scriptor [quod eburneum umerum hab]uerit eburnum appellatum tradidit.

Rothius vero sic: Servilianus historiarum scriptor [Pelopem quod umerum candidum hab]uerit eburnum appellatum tradidit.

Incerta sunt supplementa, utrum praestet non diiudicaverim; Harlessio non assentior, ubi Serviliano nostro tribuit quae sequuntur: »Minerva[m enim ait novum illi umerum] ex ebore [fecisse cum di] cetera membra reparassent."

Locus ille etiamsi admodum mutilatus hoc tantum nomine lucem affert, quod nunc constare videatur Servilianum condidisse opus historicum.

N°. IV. Fabius Maximus: amitti magis quam adipisci [2].

Alii legunt »apisci." Solet hic locus ad Servilianum referri, sed res est incerta, nam eodem iure Meyerus [3] haec verba tribuit uni vel alteri Cunctatoris orationi, etiamsi huius opinionis argumentum prorsus spernendum esse perhibeo »quatuor ista oratori magis propria videri quam historico," sed totus ille erat in oratorum fragmentis undique colligendis.

N°. V. *Τάδε ἐκ τῶν ἱστοριῶν ἀναλεξάμενος, ἃς οἱ πρὸς αὐτῶν ἐπαινούμενοι Ῥωμαῖοι συνέγραψαν Πόρκιος Κάτων*

---

[1]) Interpr. *ad Virg. Georg.* III. 7, ed. Mai. [2]) Prisc. VIII. 4. 16.
[3]) *Fragm. orat. Rom.* 5, ed. 2.

καὶ Φάβιος Μάξιμος καὶ Οὐαλέριος Ἀντίας καὶ Λικίνιος Μάκερ Αἴλιοί καὶ Γέλλιοι κτἐ [1].

Dionysius accurate in prooemio descripsit, cur historiam Romanam conderet, ex quibusnam fontibus sua hauserit, quos ut bene adire posset, Latinam addidicit linguam, quoniam qui hic ab eo nominantur, hoc sermone usi sunt.

§ 7. *Nummus* [2].

Capita Iovis et Ditis iugata.

*Q*uintus *FABI*us *MAX*imus *SERVILIANUS*; in vertice *S*enatus *C*onsulto; in area globus quem caduceus et palma decussatim ambiunt.

Goltzius Iovis et Ditis capita ad foedus Serviliani retulerat, Ditem enim Iovis fratrem, quem Cicero [3] Summanum appellat, contendit fulmina nocturna contra foederis violatores vibrare. At quis credet Servilianum, qui foedus cum Viriatho coactus icit, hunc praesertim deum signasse, mox in foederis violatorem Serviliani successorem tonuisset, opinor; dummodo vel hoc ipsum constet de deo, de quo vel Ovidio [4] non constare videbatur.

CAPUT XIII.

QUINTUS FABIUS Q. AEM. F. Q. N. MAXIMUS ALLOBROGICUS (50).

§ 1. *Genealogia.*

In Fastis non audit hicce Aemilianus, verum Appianus [5] et Strabo [6] eum bis dixerunt *Μάξιμον τὸν Αἰμιλιανόν*, ubi librarii accusativum propter praecedens *τόν* dederunt pro genitivo *Αἰμιλιανοῦ*. Tertius tamen his accedit Plinius [7], qui ubi de Scipione Aemiliano dixerat, sic pergit »frater

---

[1]) Dion. Hal. I. 7. [2]) Vaill. N°. 14; Mor. XVI. 12. [3]) *De divin.* I. 10 § 16. [4]) *Fast.* VI. 731. [5]) *Gall.* 2. [6]) IV. 2, 185. ed. Cas, 307 ed. Ster. [7]) *H. N.* XXXIII. 11.

eius Allobrogicus," quem locum editores emendare conati sunt rescribendo: *Fabius* pro »frater eius."

Perizonius [1] tamen maluit auctoribus istum tribuere errorem. Appiano [2] saltem alterum illum debemus, quem iam olim viri docti notarunt; legimus nempe apud illum Scipionem Aemilianum ad bellum Numantinum profecturum partem Copiarum commisisse ἀδελφιδῷ Βουτέωνι, sed voluit sibi Q. Fabium fratris sui Aemiliani filium, qui eo ipso anno quaestor fuit, ut satis verisimile posuit Freinshemius [3]; haeremus igitur nonnisi in cognomine, quod ab isto abiudicandum est, nam Scipionis frater non a Fabio Buteone sed a Fabio Maximo erat adoptatus; iam intermortua videtur illo tempore Buteonum familia. Quos omnes errores notasse sufficiat, in quorum causas frustra inquires; denique Fabium nostrum Aemiliani fuisse filium et sic L. Pauli nepotem esse dictum, multi evincunt loci [4], et obstat analogia, quominus cum aliis eum Aemilianum quoque dicamus.

Cognomen Allobrogici nos non moratur, ex victoria, de qua statim dicam, illud traxit.

§ 2. *Mores.*

Nobilissimum nostrum Fabium bene de republica esse meritum constat, quae tamen merita longe minora quam Aemiliani, Rulliani, aut Cunctatoris. Cernuntur enim vel apud hos principes ex civitate vestigia irrepentis luxuriae ex tot populis devictis, cuius foeda progenies vario modo rempublicam labentem perdidit. Denique corruptis moribus fuit Allobrogicus noster [5], in adolescentia ornatus quidem et speciosus, verum hanc ipsam ob causam infamis; bonum factum tamen quod tempore in melius mores mutaverit, et strenue rempublicam defenderit.

---

1) *Animadv. Hist.* 62. 2) *Hisp.* 84. 3) *Ad Liv.* LVI. 24, LVII. 2.
4) Liv. Epit. LXI; Vell. Pat. II. 10, 39; Cic. *Brut.* 28 § 107, *pro Mur.* 36 § 75; Val. Max. VII. 5. 1, VIII. 15. 4. 5) Val. Max. VI. 9. 4.

Habebat autem unde luxuriosius vitam ageret, Plinius [1] enim scripto mandavit hunc fuisse primum, qui mille pondo argenti habuit. Quantum mutatus ergo ab illis, quibus moribus avus fuerat, cui morienti non satis erat ut dotem uxori redderet.

§ 3. *Quaestor* 620 [2].

Scipio Africanus necopinato consul creatus erat anno 607 ex candidato aedilitatis, nec in annum 620 consulatum petebat, quum ad hunc honorem a populo electus est, ut bellum Numantinum susciperet. Hinc Valerius eum dixit iterum consulem creatum ex suffragatore Q. Fabii Maximi fratris filii comitiis quaestoriis. Ex hoc igitur testimonio colligi potest quaestorem esse creatum Fabium nostrum, quo anno bellum Numantinum suscepit Scipio, qui annus nostro legitimus fuit, nam 13 annus est ante consulatum eiusdem.

Hinc sequitur ad eum respicere Appianum, ubi nobis auctor est Scipionem non habuisse delectum verum clientium turmam secum duxisse, et voluntarios a sociis submissos in Hispaniam ducendos dedisse *τῷ ἀδελφιδῷ*, atqui Fabio nostro, nam cognomen illud Buteonis sive Appiano sive librariis debeamus, falsum est [3].

Adfuisse creditur ergo cum patre in castris Numantinis; at supra vidimus [4] longe verisimilius videri locum utrumque ad unum eundemque referri, quod si est, equidem suspicor Allobrogicum nostrum deduxisse Scipionis copias in Hispaniam iisque mox in obsidione Numantiae praefuisse, non enim patrem virum consularem sub fratre minore natu militasse crediderim, contra quaestorem Scipionis, quem illi acceptum fuisse scimus.

---

1) *H. N.* XXXIII. 11. 2) Val. Max. VIII. 15. 4; App. *Hisp.* 84. 3) Cf. Lib. VI. Cap. VIII § 1, p. 233. 4) App. *Hisp.* 90; cf. Cap. XI § 8 huius Libri, p. 389.

§ 4. *Praefectus Tauromenii* 622 [1].

Inter exempla disciplinae militaris strenue ab imperatore Romano observatae, quam haud iniuria dixit Valerius stabilimentum Romani imperii, affert hoc quoque, quo P. Rupilius consul bello, quod in Sicilia cum fugitivis gessit, anno igitur 622 et sequenti, animadvertit in generum suum Q. Fabium, quem provincia iussit decedere, quia negligentia sua Tauromenitanam arcem amiserat.

Haakhium secutus intelligo Allobrogicum nostrum, etiamsi ratio est paulo incertior, nam ignoramus quinam Q. Fabius Rupilio gener fuerit. Propter annum, quo res illa accidit, non verisimile est cogitare de Eburno praetore 13 annis post, atqui Allobrogicus quaestura 620 functus qui in Sicilia nescio quo titulo degebat, a servis oppressus arcem Tauromenitanam, quam tenebat, amisit. Rupilius simulac venit in Siciliam cum strenuissimis copiis, Fabium etiamsi affinitate sibi iunctum pro imperio decedere iubet; sic enim agendum erat contra fugitivorum copiam, quos Romani nonnisi summa virium intentione vincere et delere potuerunt; quo modo arcem Tauromenitanam consul receperit tradit Diodorus [2].

§ 5. *Pro praetore Hispaniae* 631 [3].

Praetura functus est noster anno 630, nam Plutarchi testimonio docemur eum in Hispania fuisse pro praetore anno sequenti, ubi de more misere excruciavit provinciales, quos ingentem vim frumenti Romam subvehere iussit. Hinc C. Gracchus tribunatu fungens censuit, ut senatus frumentum illud venderet Hispanisque argentum redderet, et Fabius in ius vocaretur, *ὡς ἐπαχθῆ καὶ ἀφόρητον ποιοῦντα τὴν ἀρχὴν τοῖς ἀνθρώποις*, id est de pecuniis repetundis, ut sic publicum evaderet exemplum quem tristem in modum

---

[1]) Val. Max. II. 7. 3. [2]) XIV. 1, 2, p. 137 Teubn. [3]) Plut. *C. Gracch.* 6.

potentes illi domini miseros excruciarent provinciales. Legem illam admodum placuisse provincialibus non est quod dicam.

Reversus est Fabius, et quod iam tunc fieri insueverat, absolutus esse videtur non sine opera patronorum, imo adeo strenuae eius partes esse videbantur nobilibus, id est senatoribus et qui aristocratiae studebant, ut in annum sequentem consulatum petierit, atque creatus fuerit. Qui haud speratus successus tribuendus videtur [1] odio, quo isti persequerentur Gracchos, quorum summus inimicus propter accusationem illam exstiterat. Nec aliter postea censuit, dummodo ad nostrum sit referendum legis Thoriae fragmentum [2] »pro tribu Q. Fabius Q. f. primus scivit."

§ 6. *Consul* 633.

Q. FABIUS Q. AEM. F. Q. N. MAXIMUS
QUI POSTEA ALLOBROGICUS APPELLATUS EST.
L. OPIMIUS Q. F. Q. N. [3]

Bellum gessit Maximus noster consul [4] contra Allobroges, adversus quos primum bellum moverunt Romani trans Alpes anno 629, quod C. Sextius anno 633 confecisse videbatur devictis Salluviis, quos ut aliquantisper continerent in imperio, urbem condidit Aquas Sextias. Sed non poterat gens Romana bellicosa in uno bello subsistere, neque Galli opinor. Confugerat Salluviorum rex Teutomalius ad aliam Gallorum gentem, ad Allobroges nempe, qui tunc habitabant ad Isaram Rhodanumque; qui quum benigne Teutomalium excepissent, et Aeduorum agros vastassent, sociorum populi Romani, missa est Romana lega-

---

1) Th. Lau, *die Gracchen und ihre Zeit*, 275. 2) Zell, *Delect. Inscript. Lat.* p. 205. 3) Liv. Epit. LXI; Plin. *H. N.* II. 29, VII. 50; Vell. Pat. II. 10 § 2; Obseq. 93; Oros. V. 14; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 4) Liv. Epit. LXI; Vell. Pat. II. 10 § 2, 39 § 1; Plin. *H. N.* VII. 50; Cic. *pro Font.* 12 § 26; Flor. III. 2; Eutr. IV. 22; Oros. V. 14; Caes. *B. G.* I. 45; Amm. Marc. XV. 12; App. *Gal.* 2; Strab. V. 1, p. 191 C. 1, 307 Ster.

tio, quae Teutomalium reddi iussit Aeduorumque agros tueretur; frustra tamen, quod erat exspectandum, bellum indictum est, et consul Cn. Domitius Ahenobarbus anno 632 missus est adversus Allobroges atque Arvernos, qui illis socii fuisse videntur, et sub rege Bituito (Bitulto aut Betulto) Loveri filio, trans Rhodanum habitasse videntur. Domitius ad Vindalium, ubi Sulgas in Rhodanum influit, felici successu contra Allobroges pugnavit, qui etiamsi 20,000 in acie aderant secundum Strabonem, aut 23,000 secundum Orosium, territi imprimis elephantorum adspectu, gravissimo bello victi sunt.

Sequenti anno Fabius noster adversus Arvernos et Allobroges rem gessit felicissimo successu, etiamsi febri quartana laborans ex recenti vulnere [1], ante diem VI id. aug. in proelio ad locum ubi Isara in Rhodanum influit. Male ex hac diei notatione collegit Thierry [2], versus finem autumni novum consulem Fabium advenisse, non ita est, inde ab anno 601 consules magistratum inibant kalendis ianuariis; nec est cur propter illam pugnae diem ponamus tum demum consulem Galliam intrasse. Sed sic ille solet, qui plura dat quam historici nobis reliquerunt, de suo haud pauca supplens.

Quum Bituitus consulem vidisset cum copiis appropinquantem, eos vix ad escam canibus suis sufficere fertur [3] dixisse, nec mirum nam 180,000 militum aut 200,000 secundum Strabonem secum duxisse traditur, cum magna canum copia, quibus ferox illa Gallorum gens in bello utebatur. Unus pons ad Rhodanum traiiciendum non sufficiebat, alterum igitur ex navibus hostes fecerunt, quorum ope quum in adversa ripa starent, Romani hostem aggressi sunt, ubi haud satis spatii erat ad aciem struendam. Pugna atrocissima committitur, in qua non sine

---

1) Plin. *H. N.* VII. 50; App. *Gal.* 2. 2) *Hist. des Gaul.* II. 171.
3) Oros. V. 14.

elephantorum opera Romani hostem vicerunt atque in flumen verterunt, quo magna pars mersa est pontibus fractis; multi caesi sunt, 150,000 si Orosio, 130,000 si Plinio, 120,000 si Livio et Appiano, 200,000 si Straboni credas; ex Romanis tantum 15,000 perierunt.

Insigni gaudio haec victoria Romanis fuit, in cuius sempiternam memoriam, quo loco erat dimicatum, albas saxeas erexerunt turres, quibus in tropaei modum spolia fixerunt, qui mos adhuc inusitatus fuerat Romanis; Fabius praeterea templum Martis et Herculis illo loco exstruxit [1].

An huic pugnae Domitius cum suis copiis interfuerit, ignoramus, nam nil potest confici ex numero, quem Strabo tradidit vix 30,000 Romanorum fuisse; Thierry inde collegisse videtur Fabium, quem cum duabus legionibus sive 20,000 advenisse contendit, se iunxisse copiis Domitianis; sed nil certi constat neque de legionum illius temporis magnitudine, neque de Aeduis, quos idem ille socios Romanis adfuisse coniicit; praestat igitur ab istis coniecturis abstinere.

Eadem ratio valet de pace, quam Bituitum a Fabio petiisse ponit idem ille; quidquid est, constat ex successu Fabii invidiam esse motam, Domitius [2] nempe pro consule adhuc in provincia degens, aegre ferebat Bituitum tam facile a consule esse victum, in cuius potestatem ne veniret, per colloquii simulationem eum arcessivit, sed mox non sine insigni fraude pro hospite vinctum eum Romam deportari iussit, specie ut senatui satisfaceret, re vera ut victus esset, nam post Prusiam nulli regi licuit Urbem intrare nisi victo. Addit Valerius Domitii factum neque probare potuisse senatum neque rescindere, ne remissus in patriam bellum renovaret; placuit ergo patribus eum Albae custodiendum dari, filiumque eius Congentiatum Romae educandum scilicet retineri.

---

1) Strab. IV. 1, p. 185 C., 298 Ster. 2) Val. Max. IX. 6. 3.

Non tamen in provinciae formam redacta est [1] Bituiti imperium, neque stipendium Arvernis imposuit senatus etiamsi a Fabio superatis; ex quo Caesaris testimonio Rutenis eadem quae Arvernis conditio fuisse videtur, sed de iis nil innotuit praeterea. Allobroges [2] contra in deditionem accepti; quo nil aliud significatur, opinor, quam eorum terram Romano territorio esse additam, provinciae Galliae Transalpinae; inde agnomen Fabio nostro adhaesit [3], et Allobroges eius patrocinio usi sunt [4], Romae nimis saepe de provincialibus magistratibus questuri, et sic in magno honore eius nomen fuit apud gentem illam [5]. Quod vero subiungit Thierry [6] tunc demum provinciam illam consularem esse factam, nescio unde habeat, nam huius rei causa dubio obnoxia est, et P. Manlius an Fabio successerit ignoramus.

§ 7. *Pro consule* 634.

Constat Fabio imperium esse prorogatum, nam pro consule triumphum duxit, ut Fasti testantur:

Q. FABIUS Q. AEMILIANI F. Q. N. MAXIMUS PROCOS. AN. DCXXXIII.
DE ALLOBROGIBUS ET REGE ARVERNORUM BETULTO. X. K ...
*CN. DOMITIUS CN. F. CN. N. AHENOBARBUS PROCOS. A*N. DCXXXV.
DE GALLEIS ARVERNEIS. XVI. K ...

Ad hunc triumphum ornandum Bituitus inserviit, qui discoloribus in armis argenteoque carpento ductus est in eo secundum Florum, ergo de Fabii triumpho cogitandum est, nam hic de Bituito triumphavit, non Domitius, qui frustra igitur ducem hostilem collegae gloriae surripere conatus est. Num triumphi causa Alba venerit, nescimus, posuit illud Thierry, qui in eodem loco perperam scripsit eodem die ab iis esse triumphatum; quod ex Velleio hausisse videtur, cuius »eodem tractu temporum" male intellexit, nam Fastorum laciniae accurate demonstrant sex

---

1) Caes. *B. G.* I. 45 § 2. 2) Liv. Epit. LXI. 3) Vell. Pat. II. 10 § 2; Amm. Marc. XV. 12; Ps. Asc. *ad Verr.* I. 7 § 19, p. 133 Or.
4) Cf. Cap. XVIII § 2 huius Libri. 5) Cic. *pro Font.* 12 § 26. 6) Pag. 179.

dies minimum interfuisse, si vel nobis sumere licet eodem mense duos triumphos esse actos, imo eodem anno; nam viri docti de his certant, a quibus varie suppletum video annorum numerum; Fischeri lectionem sequor, sed non mihi persuasum est eum verum vidisse, non sequitur saltem ex locis ab eo laudatis, denique Domitium brevissimo tempore post Fabium triumphavit, opinor.

§ 8. [*Censor* 646.]

Hoc anno lustrum LXIII conditum est, verum incerta sunt censorum nomina. Emendatus est autem Frontini [1] locus, quo *coss.* male abierat in *cens.*, nam quis quaeso annum per censorum nomina indicavit? Evaserunt ergo ex hoc loco consules anni 638 Q. Fabius Maximus (51) et C. Licinius Geta [2].

Quos vero Pighius ex Cicerone [3] attulit censores, post annum 639 locum suum obtineant, ut ex Tulliano testimonio de Licinio conficitur. Huic collega fueritne Allobrogicus noster an Eburnus, dubitatur; Valerius [4] nempe Eburnum annuit censorium, qui in consulatu quoque Licinio fuit collega. Pro Allobrogico contra pugnat unicus Pseudo Asconius [5], qui tradit eum censorem struxisse fornicem Fabianum, quod Scholiasta Bobiensis [6] eum praetorem fecisse scripsit. Fieri potest ut locaverit illud opus, cui nomen suum dedit, verum non ego credo, nam fornicem illum de manubiis si exstruxit, ut Sacrae Viae fieret ornamentum, post victoriam Romam reversus non potuit illud censor facere, quod si utilitatis causa esset struendum, censor locasset, opinor; nunc contraria ratio locum obtinet, nam post 14 annos demum accidisset, per quod temporis spatium duo lustra condita sunt; quae quum ita sint, malo hunc honorem Eburno vindicare, recte enim

1) *Aquaed.* 96. 2) Cf. Cap. xv § 4 huius Libri, p. 413. 3) *Pro Cluent.* 42 § 119. 4) VI. 1. 5. 5) *Ad Verr.* I. 7 § 19, p. 133 Or. 6) *Ad Verr.* 7 § 19, p. 393 Or.

Haakhius observat eum alioquin sero illud gessisse; contra Richter non dubitavit, nec Harlessius [1], qui nova erronea inde collegit, denique Kraftius de suo tribuit nostro censuram anni 643, quod sperni potest.

§ 9. *Fornix Fabianus* [2].

Fornix ille, quem nos arcum dicimus, si minus accurate Latine loquimur, ut Scholiasta Gronovianus facit, Romae stabat post templum Castoris, prope Vestam iuxta Regiam, Sacram ingredientibus Viam; erat prope puteal Scribonii [3], ad quem locum foeneratores et mercatores ad tradendum et recipiendum conveniebant, non vero ante templum Faustinae eum stetisse Becker [4] demonstravit.

In hoc fornice Fabianae familiae nomen erat inscriptum:

FABI, TU MAXIMUS ILLE ES.

Quod autem alter ille subiungit, a veritate abesse videtur, scripsit enim arcum prope Vestam a Fabio quodam praetore dictum esse, aut quia ibi multae statuae Fabiorum stant. Potior fama mihi videtur, ex qua Allobrogicus eum struxisset ex manubiis, sicut Pseudo Asconius tradidit, quod si verum est, non potuit eum ante consulatum neque in praetura fecisse [5], neque tamen in censura, ut Pseudo Asconius addit, quem Beckerus sequitur, nam brevi post triumphum fornix constructus esse videtur, qui Sacrae Viae ornamentum fuit usque ad Constantini tempora.

Iuxta eum Allobrogici aliorumque Fabiorum statuas fuisse, satis verisimile est, necnon tituli fortasse maiorum, ita ut satis probabiliter oriunda videantur ex hoc fornice inscriptionis illa fragmenta, quae supra [6] Cunctatori abnegata eius nepotibus tribuimus.

---

[1]) Pag. 40. [2]) Cic. *de orat.* II. 66 § 267, *Verr.* I. 7 § 19, ibique Schol. p. 133, Schol. Gron. ibidem p. 393 et 399 Or., *pro Planc.* 7 § 17; Senec. de *const. sap.* 1; Trebell. Poll. *Salonin.* 1. [3]) Porph. *ad Hor. S.* II. 6. 35; Schol. *ad Pers.* IV. 49. [4]) *Röm. Alt.* I. 239. [5]) Sachse, *Beschr. d. St. Rom*, I. 311, 638. [6]) Cf. Cap. v § 2 huius Libri, p. 304.

§ 10. *Laus litteraria* [1].

Cicero [2] nobis tradit auctore Attio Q. Maximum Pauli nepotem, ergo nostrum Allobrogicum, litteris tum Latinis tum Graecis eruditum fuisse ut temporibus illis. Quibus in litteris etiamsi aliquid polleret, tamen Laelius ei scripsit orationem, qua patruum suum P. Scipionem Africanum laudaret anno 625; solebant vel boni oratores laudationes ab aliis conflatas venditare, unde Cicero [3] non iniuria Cottam mirabatur ipsum oratorem minimeque ineptum Acilianas leves oratiunculas voluisse existimari suas.

Nec solus Maximus laudavit patruum, duas enim laudationes funebres in Africani honorem dictae sunt, ut postea Nero Claudius Drusus (745) ab Augusto eius vitrico et Tiberio eius fratre laudatus est [4], ut Augustus (767) a Tiberio et Druso Tiberii filio [5], et Antoninus Pius (914) ab Antonino Philosopho et L. Vero [6].

Cicero nobis auctor est Laelium scripsisse orationem P. Aelio Tuberoni, qua laudaret ille Scipionem, cuius sororis erat filius; erat hic stoïcus ex severissimis, neque eloquentiae umbra erat in istius contra Gracchum orationibus. Quum autem Maximus noster patrui sui nomine populo Romano daret epulum, rogavit Tuberonem, ut triclinium sterneret; sed tum pro stragulis stravit haedinis pelliculis lectos Punicanos, nec aurea argenteave vasa exposuit verum fictilia tantum Samia, quasi vero esset Diogenes laudandus. Hanc perversam sapientiam populus graviter tulisse fertur [7], nam homo integerrimus vel Pauli nepos istis pelliculis praetura deiectus est.

Scholiasta Bobiensis, ubi tradit Laelium [8] Maximo scripsisse laudationem, fragmentum ex ea nobis servavit ali-

---

[1]) Cic. *de orat.* II. 84 § 341, *pro Mur.* 36 § 75, ibique Schol. Bob. p. 283 Or. [2]) *Brut.* 28 § 107. [3]) *Brut.* 56 § 207. [4]) Dio Cass. LV. 2. [5]) Suet. *Aug.* 100. [6]) Capitol. *Anton. Phil.* 7. [7]) Sen. *Ep.* 95; Val. Max. VII. 5. 1. [8]) Meyer, *orat. Rom. fragm.* 2e ed. 175, 250.

quanto maius quam ipse Cicero in *Mureniana* affert a Fabio esse dicta in extremo Africani die, id est in funere. Fabii causa fragmentum adscribam: »Quapropter neque tanta diis immortalibus gratia haberi potest, quanta habenda est, quod is cum illo animo atque ingenio in hac civitate potissimum natus sit, neque ita moleste atque aegre ferri quam ferendum est, quin eo morbo mortem obiit et in eodem tempore periit, quum et vobis et omnibus, qui hanc rempublicam salvam volunt maxime vivo opus est Quirites."

§ 11. *Nummus* [1].

Caput Iovis Axuris laureatum et imberbe, sub quo fulmen, *AIMILIANI F*ilius, pone *PRO COnS*ule.

Victoria in bigis decurrentibus, sub quibus *Q*uintus *MAXIMUS*, in imo *ROMA*.

Goltzius hunc nummum protulit ad Allobrogici consulatum; caput illud Iovis quid respiciat ignoramus, colebatur imberbis ille deus in Campania in urbe Anxur. Contra fidem huius denarii afferri potest, quod indicaverit patrem nostri toto eius nomine adscripto, dum in Fastis verbi causa: Q. Aim. f. legitur et rectius, opinor; tum desidero exempla denariorum, in quorum recta parte nomen cum praenomine legatur, in aversa vero patris nomen. Denique proconsulis nostri de Allobrogibus victoria quo modo cohaereat cum Iove isto imberbi ac fulmine, non perspicio.

CAPUT XIV.

QUINTUS FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS (53).

§ 1. *Exheredatus* 663 [2].

Allobrogicus huncce Quintum progenuit, cui non recte Allobrogici agnomen adscripsisse videtur Orellius in *Ono-*

---

1) Vaill. N°. 13; Mor. XVI. 13. 2) Cic. *Tusc.* I. 33 § 81; Val. Max. III. 5. 2.

mastico, nam nullum huius rei testimonium habemus. Fuit hic patre nequior, vixerat enim ille paulo liberius ineunte aetate sed postea bene de patria meruit; filius contra a Cicerone omnium perditorum similis dicitur, ut esset facile deterrimus.

Interdixit ergo illi Q. Pompeius praetor urbanus paterna bona, ut sic dedecore mores nudarentur, publica severitate exheredatus. Nec ullus in tanta civitate inventus esse fertur, qui decretum illud reprehenderet.

Accidit hoc anno 663, tunc enim Pompeius praetor erat [1], qui quarto anno post consul fuit. Exheredatus est post patris mortem, qui nimia indulgentia eum heredem scripserat, ergo provecta aetate 30 annis post consulatum diem ille obierat supremum.

Rupertius [2] turpiter lapsus est, ubi Allobrogici nostrum filium dixit Q. Fabium *Persicum*, qui luxuria quidem perditus erat teste Seneca [3], verum sub Traiano consul fuit 786, nec Quinti verum Pauli praenomine gaudebat; nec poterat illud »nuper" apud Senecam de eo esse dictum, qui 150 annis ante vixit.

CAPUT XV.

QUINTUS FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS EBURNUS PULLUS IOVIS (51).

§ 1. *Agnomina* [4].

Huius agnominis obscuriorem explicationem dedit Festus, non ubi tradit Fabium propter candorem dictum fuisse Eburnum, quod per se intelligitur, ut quae huius generis sunt Albus, Calvus, Flavus, Fuscus, Rufus; alteram volo. Antiqui *pullum* dicebant puerum, quem quis ob-

---

1) Cic. *de orat.* I. 37 § 168. 2) *Comment. ad Iuven.* VIII. 13. 3) *De ben.* II. 21, IV. 30. 4) Fest. v. *Pullus Iovis* p. 245, Paull. ibid. p. 244; Arnob. *adv. gent.* IV. 26.

scoene adamabat, unde sequi videtur Eburnum nostrum propter candorem suum amatum fuisse a Iove nescio quo, atqui dictum illud divinum de fulmine explicandum videtur per rem obscoenam, ut qui obsignatus est posticis, ictus fuerit in partibus mollioribus fulmine scilicet, nam propter Festi testimonium non a corporis exiguitate sic dictus esse videtur.

§ 2. *Genealogia.*

Quonam patre Eburnus natus sit, ignoramus; at certe non Allobrogici (50) fuit filius, qui 5 annis ante nostrum consul fuit, contra aequalis illius habuit Servilianum (49) patrem, nam 26 anni inter patris filiique consulatus intercedunt, dum ex Livio [1] constat Allobrogicum Aemiliani (48) fuisse filium. Kraftii errorem, qui eum Serviliani posuit filium adoptivum scilicet, ipsum nomen nostri refellit.

§ 3. *Praetor* 635 [2].

Suspicor nostrum quarto anno ante consulatum fuisse praetorem, atque sortitum esse quaestionem de maiestate. Hunc enim Cicero respicere videtur, ubi inducit L. Crassum narrantem: se adolescentulum anno aetatis 21 accusasse C. Papirium Carbonem, et in huius accusationis initio tota mente atque omnibus artibus contremuisse denique exanimatum fuisse, iam frustra igitur Papirium accusasset et rei patronus irruisset in fractum et debilitatum accusatorem, nisi Q. Maximus noster, qui praeerat consilio, dimisisset illud et sic summo beneficio Crassum esset prosecutus.

§ 4. *Consul* 638.

Q. FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS EBURNUS.
C. LICINIUS P. F. GETA [3].

Consulatus nostri mentio nonnisi apud Frontinum [4] invenitur nec incorrupta, nam censores illi ferebantur qui

[1]) Epit. LXI. [2]) Cic. *de orat.* I. 26 § 121. [3]) Front. *Aquaeduct.* 96; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. [4]) *Aquaeduct.* 96.

consules fuerunt, quam virorum doctorum emendationem *coss.* pro *cens.* arripere non dubito, hoc enim solemni modo indicantur anni, non per censores illud fit. Senatus consultum illud, quo memorantur hi consules igitur ad tutelam aquarum pertinet, quae locari solebant iis legibus, ut redemtores tenerentur certum numerum opificum habere tum extra Urbem tum intra, quorum servorum nomina qui in singulis vicis essent, in publicas deferebantur tabulas; penes censores erat cura operum probandorum, interdum penes aediles, quod hoc anno ad quaestores pervenerat. Doctissimus ille omnium Romanorum M. Terentius Varro his consulibus natus est.

Quem Fabius noster, auctore Cicerone [1], superaverat candidatum etiamsi gravissimum et fortissimum, M. Aemilium Scaurum, consul in sequentem annum creatus est.

§ 5. *Pro consule Macedoniae* 639.

Eburno hunc vindicavi magistratum propter Graecam inscriptionem in ruderibus Dymae repertam [2] anno 1797 [3], in qua memoratur Κόϊντος Φάβιος Κοΐντου Μάξιμος ἀνθύπατος Ῥωμαίων, quem nostrum esse demonstrabo.

Hertzberg [4] confecit ex hac inscriptione Mummium ex Graecia devicta decedentem anno 609 manum reliquisse in Achaia duce Q. Fabio Maximo pro consule, quo tumultus qualem Sosus quidam cum nonnullis Achaeorum iugum Romanum aegre ferentibus tum Dymae excitavisse videtur, in ipso ortu opprimeretur. Habet hoc ex Böckhii annotatione, sed non accurate lecta, hic enim volebat non anno 609, quum Fabius Maximus Aemilianus (48) pro consule in Hispania degebat, in Graecia eum fuisse relictum verum anno sequenti ex Hispania reversum.

Sed vel sic tamen locus non recte illustratus est, nam

[1]) *Pro Mur.* 17 § 36. [2]) Böckh, *Corp. Inscr.* I. N°. 1543, pars IV. Peloponn. p. 712 sqq. [3]) Curtius, *Pelop.* II. 425. [4]) *De reb. Graec. inde ab Ach. foed. ad Anton.* 11.

Böckhius Q. Fabium Q. f. Maximum respiciens, qui pro consule fuerit post eversam Corinthum, quod tempus titulus indicat, proposuit Fabium Aemilianum (48), qui pro consule in Hispania degit [1]; at non potuit idem in Graecia fuisse ἀνθύπατος vel anno sequenti, obstat muneris natura, nec alia ratio est in Fabio Serviliano (49), qui in Hispania [2], nec in Fabio Allobrogico (50), qui in Gallia [3] hunc gessit magistratum; quae quum ita sint, Eburnus tantum intelligi potest, quam opinionem mox comprobatam vidi a C. F. Hermanno [4], qui huic inscriptioni superstruxit disputationem, probaturus contra Marquardtum [5] Graeciam non a Mummio in provinciae formam esse redactam, licet ex Ciceronis locis appareat quarundam urbium servitus, in quam sententiam se deductum esse Marquardtus mox confessus est [6]. Confecit nempe Fabium pro consule Macedoniae ex lege Clodia habuisse Graeciae iurisdictionem extra ordinem, et sic eum pronunciasse in quaestione Dymaeorum, quum exempli loco in eos animadverteret, in cuius rei documentum hanc epistolam insculpi iussit.

Huc fere redit proconsulis epistola ad Dymaeorum magistratus, senatores, civitatem. Dymaei duce Soso Tauromeneo res novas moliti erant, tabularium incenderant, aerarium suffurati erant, novasque leges sibi scripserant contrarias nonnihil libertati, quam a Romanis acceperat Graecia devicta; harum rerum certior factus per Cyllenii senatores proconsul Patras se contulit cum consilio, ubi cognovit eos, qui res novas excitaverant, libertatem sibi vindicaturos, et rerum statum compositaros, qui puniendus erat non tantum propter ea, quae erga se invicem deliquerant, sed quod contrarius esset libertati, qua Graecia

---

[1]) Cf. Cap. XI § 7 huius Libri, p. 387. [2]) Cf. Cap. XII § 2 huius Libri, p. 392. [3]) Cf. Cap. XIII § 7 huius Libri, p. 407. [4]) *Defensio disputat. de Graec. post capt. Cor. condit.* in *progr. Gött.* 1852. [5]) *Röm. Alt.* III. I. 121. [6]) *Statist. d. Röm. Prov.* 13.

a Romanis donata esset; quas ob causas proconsul pronuntiavit Sosum ducem istorum, qui novas leges scripserat, morte dignum relegandum esse necnon Phormiscum Echesdenei adiutorem eius in diripiendo tabulario et aerario, Timotheum vero Niceae, qui legibus fuerat auctor, minus deliquisse atqui Romam iussit submitti ad praetorem peregrinum, in libera custodia ut retineretur, opinor.

Dicebam Fabium Macedoniae proconsulem fuisse; sequitur hoc ex eo quod Hermannus confecit, nam Mummius Achaeis reddidit libertatem, quae regio libera mansisse videtur usque ad illud tempus, quo Romanorum bellis civilibus praeda victoris exstitit; interea agri eversae Corinthi, Thebarum et Chalcidis vectigales administrabantur a quaestoribus, dum iurisdictio in Graeciam, cuius rei hoc fere unicum exstat exemplum, extra ordinem proconsuli Macedoniae concedebatur lege Clodia salva populorum libertate de pecuniis creditis; provinciae neque appellatio nec rector legitimus fuit ante Augusti aetatem, nam legati praefective vectigalia administrasse videntur.

Denique hoc unicum fere libertatis recuperandae etiamsi vanum conamen fuisse videtur, nam quamdiu Polybius [1] saltem vixerit, id est usque ad 632, Graeci fracti et enervati nil conati sunt.

§ 6. *Censor* 646 [2].

Q. FABIUS Q. F. (Q.) N. MAXIMUS EBURNUS.
C. LICINIUS P. F. GETA. L. *F. LXIII.*

Licinio equidem malo collegam tribuere Eburnum nostrum quam Allobrogicum (50), non tantum propter Valerium [3], qui »censurae eius gravitatem" attingit, qui locus caute accipiendus, nam voluit sibi fortasse patrem qui acsi censor esset, filium castigavit, verum Cicero Licinium scripsit censorem fuisse, quod munus in hunc annum ca-

1) XL. 10. 2) Cic. *pro Cluent.* 42 § 119. 3) VI. 1. 5.

dit; cui quum in consulatu collega fuerit Eburnus, non dubito quin in censura itidem fuerit. Quae omnia etiamsi pro certis venditare non ausim, verisimiliora videntur quam si cum Harlessio Allobrogicum post consulatum anno 13° ponamus censorem, ut supra [1] iam dictum est.

§ 7. *Filium necavit* 651 [2].

Venimus ad factum illud, quod supra [3] verbo attigi; Quinctilianus nobis auctor est Fabium Eburnum filium suum impudicum cognita domi causa necasse. De eadem re paulo uberior Orosius scripsit, secundum quem Q. Fabius Maximus filium suum adolescentem rus relegavit, cui quum non satis poenarum dedisse videretur, in eum ius vitae ac necis exercuit, ex quo filium necari placuit, quod cum duobus servis parricidii ministris perfecit; in cuius facinoris praemium statim servos illos manumisit.

Dies tamen Fabio dicta est, non enim omnibus persuasum erat utrum adhibuisset amicorum consilium atque omnes ritus observasset. Cn. Pompeius accusavit nostrum, qui damnatus est. Quum autem Orosius statim subiungit quid Marius consul IV gesserit, factum illud Fabii ante annum 652 videtur collocandum et post 648, imo 651, nam 650 Pompeius aberat in Sardinia quaestor T. Albucii; Haakhius anno 649 illud ponit.

Denique supra [4] iam dictum est Valerii testimonium sperni posse, tribuentis illud Serviliano (49) contra Quinctilianum, quocum convenit tempus, quo Orosius illud factum tradit, ergo Valerius lapsus est nisi forte librariis error tribuendus erit, qui pro *Serviliani f.* dederunt *Servilianus*.

---

1) Cf. Cap. XIII § 8 huius Libri, p. 408. 2) Quinctil. *Decl.* III. 17; Val. Max. VI. 1. 5; Oros. V. 16. 3) Cf. Cap. XII § 3 huius Libri, p. 393. 4) Cf. Cap. XII § 3 huius Libri, p. 395.

§ 8. *Exsilium* [1].

Fabius damnatus, ut fieri solebat, voluntarium secessum praeferens, solum vertit; legimus enim apud Valerium: »Q. Fabius Maximus Servilianus honoribus quos splendidissime gesserat, censurae gravitate consummatis, exegit a filio poenas dubiae castitatis, et punito pependit voluntario secessu conspectum patriae vitando."

Pighius locum illum plures ob codices sic constituerat: »exegit a filio unico poenas dubiae castitatis; is eas pependit, voluntario secessu conspectum pa*tris* vitando", ita ut filius in exsilium iverit; equidem illam nondum amplector opinionem, nam aliunde constat patrem in ius esse vocatum, non propter abusum potestatis suae sed propterea quod amicorum consilium non adhibuisset; constat deinde filium primo rus relegatum esse, deinde a duobus servis necatum; nil aliud ergo superest, quam ut statuamus patrem in exsilium abiisse filio iam mortuo.

Iungi potest cum hac fama, quod Cicero [2] tradit, ubi docet non solum postliminio fieri civitatis mutationem, verum etiam dicatione, id est, si voluntarie quis transit in aliam civitatem, cui se tradat, »quod in calamitate clarissimis viris Q. Maximo (622 aut 652), C. Laenati (ante 684 aut 633), Q. Philippo (cons. 568 aut 585) Nuceriae, C. Catoni (644) Tarracone, Q. Caepioni (649), P. Rutilio (662) Smyrnae accidisse vidimus, ut earum civitatum fierent cives."

Viri docti duos Maximos protulerunt, in quos hoc caderet exsilium; Pighius de Eburno cogitavit, alius de genero P. Rupilii (50), qui Tauromenitana arce amissa 622 provincia decedere iussus est [3] a socero consule. Nec vero Pighianam sententiam amplecti dubito; primo Cicero

---

1) Val. Max. VI. 1. 5. 2) *Pro Balb.* 11 § 28. 3) Cf. Cap. XIII § 4 huius Libri, p. 403.

affert exempla eorum, qui studio partium solum verterunt post magistratum, Rupilii gener contra tribunus tantum arci praeerat aut legatus, qui iustissimam effugit poenam non a partibus damnatus; deinde non in iudicio damnatus est gener ille, cuius rei exempli loco affert istos; tum cadit alterum exsilium 30 annis ante Eburni, hoc igitur Romanis notius erat; denique cadit Eburni aetas inter 644 et 684, ex quo spatio Cicero exempla affert.

Freinshemius [1] Fabium nostrum Nuceriam exsulasse scribit, haud scio an recte, nam locus ille nonnisi Q. Philippum respicit, opinor, non Fabium nec Laenatem.

§ 9. *Nummi.*

I [2]. Caput Romae galeatum cum nota denarii, *Q*uintus *MAX*imus, pone *ROMA*.

Cornucopiae cum fulmine per transversum, corona ex palmis laureatis et glandibus ac spicis.

II [3]. Caput Apollinis laureatum cum nota denarii, ante lyra, pone *ROMA*, *Q*uintus *MAX*imus.

Aversa pars praecedenti simillima.

Ursinus hos denarios ad Fabium (55) consulem anni 709 traxerat, Vaillantius ad Eburnum propter fulmen, quo ictus fertur ille a Festo; signa ubertatis ad aedilitatem referuntur; Havercampius recte refellit opinionem hic Verrucosi cunctationem innui, a qua fulmen symbolum est satis alienum, nec cornucopiae bello Punico secundo conveniunt, ni fallor, quo alii Deum terminalem indicari ponunt, Morellius denique ubertatem refert ad hunc annum Apollinis beneficio id est solis et caliditate aëris, cuius symbolum fulmen est. Ex quibus omnibus nil aliud conficies quam incertissimum esse huius denarii auctorem.

III [4]. Caput Iani bifrontis barbatum.

1) *Ad Liv.* LXVII. 25. 2) Vaill. N°. 16; Mor. II; Ricc. tab. XIX. 2. 3) Vaill. N°. 17; Mor. III; Ricc. tab. XIX. 3. 4) Vaill. N°. 9; Mor. XVI. 14.

Quintus MAXimus, ROMA; navis, supra quam Victoria stans dextra coronam tenens, sinistra pateram.

Goltzius hunc assem ad Eburnum protulit, sed ratio incerta est; Vaillantius addit illius pondus esse duarum unciarum, atqui ante bellum Punicum secundum eum cusum esse; videtur illi caput Iani victoriam de Liguribus innuere. At nummorum Goltzianorum pondus quis quaeso definiet? ergo confici nequit quo tempore cusus fuerit, sin vero ipse Goltzius Vaillantio auctor fuerit ponderis istius, ingenue se reum fassus est, nam ante Verrucosi dictaturam (537) signatus fuerit necesse est, nec Eburno poterit vindicari. Tum Iani caput pertinet ad typum assis, cur quaeso de victoria cogitemus nescio qua?

CAPUT XVI.

(QUINTUS) FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS (54).

§ 1. *Necatus a patre* 651 [1].

Deperditum huncce fuisse et adeo impudicum, ut a patre rus relegatus fuerit imo brevi post, quum non satis animadversum videretur, necatum esse, supra [2] dictum est.

Praenomen eius ignoramus, sed videtur Quintus fuisse, nam illud nomen tantum occurrit in hac stemmatis parte et vigebat adhuc senatus consultum, ex quo patris nomine filius natu maximus saltem appellaretur. Quum vero non verisimile esse crediderim eum posteros progenuisse, Allobrogico ceteros Fabios tribuerim.

Secundus est hicce in gente nostra, quem pater necavit, noli tamen credere bis narratum esse quod semel accidisset, nam Buteo ille (35) propter furtum ab eodem Orosio fertur necatus esse [3], hic vero stupri causa id est παιδε-

---

[1]) Quinct. *Decl.* III. 17; Val. Max. VI. 1. 5; Oros. V. 16. [2]) Cf. Cap. XV § 7 huius Libri, p. 417. [3]) IV. 13; cf. Lib. VI. IV § 2, p. 226.

ῥαστίας. Contra offendit impudicum cognomen in patre, cuius filius stupri causa necatus est, melius enim conveniret »Pullus Iovis" in filium, hinc suspicio mihi nata est, an hic fortasse ignominiose sic dictus fuerit, non vero pater, qui severe in filium animadvertit, nisi iam hereditaria fuerit impudicitia.

CAPUT XVII.

FABIA, UXOR DOLABELLAE (52).

§ 1. *Genealogia* [1].

Hanc Fabiam in nostrae gentis stemma recipere ea de causa licebit, opinor, quod matrimonio iuncta fuerit uni alterive Dolabellae, qui quum ad nobilissimam Corneliam gentem pertineat, satis verisimile videtur eum duxisse uxorem ex Maximorum familia. Incertum est tamen a quonam Fabio prognata fuerit, anni suspicionem movent eam aequalem fuisse Quinti (53) illius exheredati et alterius impudici (54).

Innotuit tantum propterea, quod Cicero huic Fabiae Dolabellae simulata assensione redarguerit, quum diceret triginta se annos habere, tum ille »verum est, inquit, nam hoc iam viginti annos audio". Lepidus hicce locus varie acceptus est; fuit autem Fabia illa non Dolabellae filia, nam tunc Cornelia audiret, verum uxor unius alteriusve Dolabellae. Orellio sufficere videbatur Spaldingii adnotatio: »Dolabellam hunc esse notissimum Ciceronis generum, antequam duceret Tulliam, iam maritum, nec quo probem habeo, nec quare negem reperio." Quam incertissimam sententiam Drumannus [2] pro certissima habuit, nec aliter censuit Haakhius. Non recte illi, ni fallor, nam habeo quibus refellam istam opinionem.

---

[1]) Quinct. *I. O.* VI. 3. [2]) *Gesch. Roms*, II. 578 n. 97, VI. 699 n. 44.

P. enim Dolabella Ciceronis gener mortuus est anno 710 annum agens 26 [1]; duxerat autem Tulliam anno 704 [2], postquam modo prior uxor discesserat [3], quam duxerat ergo ad summum anno aetatis 19. Dictum Ciceronis ad verbum etiamsi non est accipiendum, tamen vix dubito quin Fabiae aetas 50 propius accederet annis quam 30, unde sequitur iuvenem illum anno aetatis ad maximum 19 annorum duxisse uxorem quinquagenariam scilicet. Sed quis hoc sibi sumet? Dolabella enim valde mulierosus erat, adamabat optimam quamque puellam, ut abunde ex eius vita apparet, sed hercle non matronam quinquagenariam. At, dixit hoc Cicero, quum illa re vera erat aetate adeo provecta; non ego crediderim, non enim Quinctilianus per »Fabia Dolabellae" significasset eam Fabiam, quae ante duos et triginta annos per breve temporis spatium Dolabellae fuit uxor. Denique Fabiam uxorem posuerim Cn. Cornelii Dolabellae illius, qui 15 annis, aut eius, qui 18 annis Cicerone maior erat, id est consulis anni 673, aut praetoris eiusdem anni.

CAPUT XVIII.

QUINTUS FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS SANGA (55).

§ 1. *Genealogia.*

Fabius, qui nobis describendi supersunt, Allobrogici (50) posteros fuisse suspicor, nam ut modo dicebam, non licet nobis sumere ut alii fecerunt, filios relictos esse ab eo Fabio (54), qui adolescens dum erat, a patre necatus est.

Vaillant Eburnum (51) patrem nostro tribuit, non recte, nam annuit 70 annorum spatium inter utriusque consulatum duas generationes. Contra Allobrogici nepotem eum

---

[1]) App. *B. C.* II. 122. [2]) Cic. *ad Att.* VI. 6 § 1. [3]) Cic. *ad fam.* VIII. 6 § 1.

habeo ex patre (53) exheredato, de quo modo vidimus [1], nec aliter Haakhium posuisse video.

§ 2. *Patronus Allobrogum* 691 [2].

Haec genealogia ea praesertim de causa se commendat, quod idem noster Q. ille Fabius Sanga fuisse videatur, qui patronus Allobrogum coniurationem Catilinariam evulgavit. Sequitur enim ex patronorum ratione Sangam, cuius nominis originem et significationem ignoramus, unum ex Allobrogici posteris fuisse. Invaluerat nempe apud Romanos, ut civitates devictae iis uterentur patronis [3], a quibus in fidem receptae id est subactae essent, quod patrocinium in una eademque familia perdurabat: sic Bononienses fuerunt in Augusti [4] clientela, Lacedaemonii in Claudiorum [5], Puteolani in Cassiorum [6], Siculi in Marcellorum, Scipionum, Metellorum [7], sic Allobroges a Q. Fabio Maximo (50) subacti anno 633, plurimum utebantur Fabiano patrocinio, apud quos ab eo inde tempore nomen illud erat amplissimum, magnumque solatium contra Romanorum oppressionem in provincia.

Anno 691 eadem de causa legati Allobrogum Romae degebant, de avaritia magistratuum querentes, qui de more Q. Fabium Sangam adierunt. Quintum Sangam, inquam, ut constat ex Sallustio et Cicerone [8], ubi eum L. Pisonem deprecatum esse dicit, quod quum ita sit, non audiendus est Thierry [9], qui praepostere Marcum fuisse nostrum scripsit, nomen et agnomen nostri miscens cum accusatore Fonteii. M. Fonteius nempe, redux ex provincia Gallia, quam praetor per triennium tenuerat, a Plaetorio in ius est vocatus (685) quod provinciam oppresserat, et quaes-

---

[1]) Cf. Cap. XIV huius Libri, p. 412. [2]) Sal. *Cat.* 41 § 4; App. *B. C.* II. 4. [3]) Cic. *de off.* I. 11 § 35; App. *B. C.* II. 4; Dion. Hal. II. 11. [4]) Suet. *Aug.* 17. [5]) Suet. *Tib.* 6. [6]) Cic. *Phil.* II. 41 § 107. [7]) Cic. *in Caec.* 1 § 2, ibique Ps. Ascon. p. 100 Or. [8]) *In Pis.* 31 § 77. [9]) *Hist. des Gaul.* II. 268.

tum fecerat ex viarum munitione vinique portorio. Hac in causa Cicero eum defendit, qui Plaetorii subscriptorem M. Fabium dixit [1]. Thierry [2] hoc ad nostrum referens narrat Gallorum Trevirorum legationem venisse Romam apud M. Fabium Sangam Allobrogum patronum, unum ex Allobrogici posteris, qui mandavit Plaetorio, ut Fonteium de pecuniis repetundis in ius vocaret. At Allobrogici ille nepos Quintus est, et Sanga audit, contra Fonteii accusator, cuius agnomen latet, Marcus appellatur; nec iidem sunt, ni fallor, Galli Treviri et Allobroges; denique si Marcus ille Trevirorum fuisset patronus, cur non ipse intercessit pro provincialibus misere oppressis, cur non ipse in ius vocavit Fonteium, cui bono erat patronus, nisi eiuscemodi negotiis? Equidem contendo duos illos homines esse diversos et probe distinguendos, qui nil inter se commune habent praeter nomen, quod innuit Tullius quoque, qui, si ad nostram gentem pertinuisset Marcus iste, procul dubio non neglexisset hoc contra patronum torquere, ita ut Marcum illum aliunde ignotum in stemma gentis noluerim recipere.

Quaeritur an Sanga ille idem fuerit, qui anno 709 non sine Caesaris gratia ad consulatum pervenit? De illa re equidem vix dubito, nam 18 annis ab aetate consulari detractis, ea restat, quam apte ageret quum patrocinio fungeretur. Nec urgendum est, quod noster Caesarianus fuerit, nam postea demum ad istam discordiam perventum est; nec alieni erant Romani a partium mutatione, denique ipse Caesar quatenus Catilinae aut motibus saltem, quorum iste auctor fuit, studuerit, adhuc inquirendum esse videtur.

Catilinam Allobrogum legatos sollicitasse per P. Umbrenum ad belli societatem in vulgus notum est; nec a coniuratione abhorrebat eorum animus, qui omnibus magis

---

[1]) *Pro Font.* 12 § 26. [2]) II. 252.

erant propensi quam Romanis, foede provinciam excruciantibus. Priusquam vero socios se istis iungerent, placuit patronum Sangam nostrum de ea re consulere, cui totum negotium aperuerunt. Nec frustra, nam sic vigilantissimus consul Cicero cognovit, quid re vera ageret Catilina, cuius consiliorum certior factus non tantum Allobrogibus praecepit, ut studium coniurationis vehementer simularent, bene pollicerentur, verum et operam darent ut quam maxime manifestos haberent. Nec aliter res cecidit, nam quum coniuratio in eo erat, ut exardesceret, consul rem in senatu evulgavit exhibitis indubitatae fidei testimoniis, legatorum dico epistolas; igitur Fabii quoque opera oppressum est bellum Catilinarium.

§ 3. *Accusator Antonii* 695 [1].

Probabilis virorum doctorum opinio esse videtur, qui Fabium huncce eum Maximum fuisse credunt, qui anno 695 accusavit C. Antonium. Desunt quidem huius rei testes, sed innuit eam tum Caesaris Maximique amicitia, tum ipsum illud, ob quod Antonius damnatus est. Obtinuerat nempe concedente Cicerone C. Antonius provinciam Macedoniam pro consule, unde anno 695 reversus accusatus est de pecuniis repetundis a M. Coelio Rufo et Fabio nostro [2], quod solemne erat iis, qui de provincia decedebant. Damnatus esse fertur quod Catilinam iuvasset [3], praeterea damnatus esse traditur a L. Caninio Gallo [4]. Iam disputant viri docti cuiusnam criminis fuerit accusatus, an diversi forte, nam secundum scholiastam non tantum de pecuniis repetundis verum etiam ob Catilinae coniurationem damnatus est.

Equidem Reinii [5] opinionem de una tantum atque de-

1) Cic. *in Vatin.* 11 § 28, Schol. Bob. ad hunc locum p. 321 Or.
2) Cic. *pro Coel.* 31 § 74, *pro Flacc.* 38 § 95; Auct. *pro Domo* 16 § 41.
3) Dio Cass. XXXVIII. 10. 4) Val. Max. IV. 2. 6. 5) *Criminalrecht d. Röm.* 660.

pecuniae repetundae accusatione cogitantis praefero prae Drumanni [1], atque Dionem secutus crediderim Antonium in ius esse vocatum propter provinciam male administratam, verum accusatores attulisse Catilinariam coniurationem quo certius damnaretur; Fabium saltem constat certiorem fuisse eorum, quae Catilinae partes moliebantur per Allobroges, unde sequitur admodum facile Antonium damnari potuisse tali accusatore, qui isti praeter provincialem accusationem Catilinarii belli aliquid obiecerit.

Frustra Cicero Antonium defendit, qui hac defensione Caesari et Pompeio suspectus factus est; aegre tulit damnationem, nam per Vatinium modo ante legem tulerat Caesar reis valde salutarem de alternis consiliis reiiciendis, quam pertulit demum quum Antonius reus factus esset. Torquet Cicero hoc opprobrium in Vatinium et Q. Maximum, qui Antonium ita accusaverant, ut novae legis commodo non frueretur.

§ 4. *Consul* 709.

C. IULIUS C. F. C. N. CAESAR IIII
SINE COLLEGA. *EODEM ANNO*
Q. FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS [2]
IN MAG. MORTUUS EST. IN EIUS L. F. E.
*C. CANINIUS C. F. C. N. RE*BILUS.
C. TREBONIUS C. F.

De consulatu [3] nostri pauca admodum innotuerunt, proprie eius triumphus tantum et mors. Pervenit autem ad hunc magistratum non more maiorum, sed ut mutatus rerum status ferebat, nova via.

Legimus in Fastis Caesarem hoc anno consulem IIII fuisse sine collega, aut si mavis dictatorem, cuius magister equitum Lepidus perfecit, ut in hunc quoque annum

---

1) I. 539 n. 28. 2) Fast. Cap. h. a.; Cic. *ad fam.* VII. 30 § 1; Plin. *H. N.* VII. 53; Suet. *Caes.* 30; Dio Cass. XLIII 33; Plut. *Caes.* 58; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic. 3) Dio Cass. XLIII. 46.

consul crearetur etiamsi in Hispania degeret; iniit honorem antequam Romam reversus est. Nec vero per totum annum gessit hunc magistratum, quem Romae redux Quinto Fabio et Caio Trebonio tradidit. Hi per tres tantum menses fungi poterant honore, nam rediit Caesar initio mensis octobris. Addit Suetonius [1] tertio quoque Caesaris consulatu in tres novissimos menses consules esse substitutos, sed hoc non credo esse verum.

Fabius sub Caesare in Hispania militaverat legati titulo; atque coniicere licet eum in magno honore apud Caesarem fuisse, quippe qui non tantum triumphi honore ei concesso vel consul factus fuerit etiamsi trimestris [2], ita ut primum locum obtinuerit inter eos, qui praemiis bellorum civilium ornandi erant.

Dio Cassius [3] tradit et Fabium et Pedium sub Caesare militasse, quibus μηδὲν ἰδίᾳ κατορθῶσαι διεορτάσαι ἐπέτρεψε. Pompeius nempe cum suis in Hispaniam aufugerat, ubi Fabius et Pedius stabant [4] cum exercitu, sed nil audebant adversus eum, donec ipse Caesar supervenerit devicta Africa. Tum Pompeius in Baeticam rediit, omnesque oras tenuit, dum Caesar Cordubam petebat; sed ut notum est, Caesar mox superior fuit, qui ad Mundam gravissimum commisit proelium, in quo Labienus cecidit; tum Pompeius aufugit et mox periit eiusque frater Sextus paulo post in fuga necatus est. Nil poterat Hispania, frustra restitisset, cepit ergo Caesar Cordubam ceterasque urbes et ad Mundam reliquit Fabium nostrum [5]. Minus recte tamen Fischer [6] traxit ad hanc oppugnationem summae crudelitatis exemplum, quod Valerius [7] et Florus [8] memorant, docet enim ipse huius belli auctor [9], quem uterque descripsit, illud accidisse statim post pugnam ad Mundam commissam, quum summa vi et immani crudelitate co-

1) *Caes.* 76. 2) Suet. *Caes.* 80. 3) XLIII. 42. 4) Dio Cass. XLIII. 31; Auct. *B. Hisp.* 2. 5) Auct. *B. Hisp.* 41. 6) *Röm. Zeittaf.* p. 301 f. 7) VII. 6. 5. 8) IV. 2 § 85. 9) Cap. 32.

nati sunt pellere adversarios ex hac urbe; post haec tandem Caesar Cordubam se contulit et Fabium reliquit ad oppidum oppugnandum, ergo duce Fabio non acciderunt ista, contra operibus urbem circumclusam mox recuperavit et quatuordecim millia captivorum cepit.

Caesar reliquit Hispaniam cruentam, et medio septembri iam in Italia erat; Fabius contra diutius degit in provincia, eius triumphus enim paulo post accidit:

Q. FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS COS. AN. DCCIIX.
EX HISPANIA III IDUS OCTOB.

Huius triumphi pompa Caesariana longe inferior fuit, nec mirum hercle, nam quae Caesar in hunc impenderat, legatus non poterat suppeditare, nec opus erat. Possumus nobis speciem huius triumphi in animum inducere, si cogitemus oppidorum, quae in Hispania devicerat, nomina non tantum esse ducta, sicut olim fieri solebat, verum ferebantur tunc urbium simulacra satis eleganter facta, inter quae eborea fuerunt; contra quum Fabius paulo post triumphabat, lignea duxit secum negligentius facta [1], unde populus eius triumphum deriserit, et architecton quidam Chrysippus urbane eas lignothecas oppidorum Caesaris dixerit [2]. Per tres dies durarunt solemnia ex Fabii Pediique triumphis.

Non potuit noster per tres magistratus menses multa facere, omnia enim per Caesarem fiebant; etiamsi ergo nomine tantum consul fuerit, tamen ille magistratus adeo in honore erat, ut quum pridie ante finem consulatus Maximi mors eius in Campo esset nuntiata, tanta istorum hominum ambitio fuerit, ut qui comitiis tributis esset auspicatus consul, centuriata habuerit, et C. Caninius Rebilus statim consul creatus fuerit [3].

---

[1]) Dio Cass. XLIII. 42. [2]) Quinct. *I. O.* VI. 3. [3]) Cic. *ad fam.* VII. 30 § 1; Plin. *H. N.* VII. 53; Suet. *Caes.* 76, *Nero* 15; Tacit. *Hist.* III. 37.

Renuntiatus est ille hora septima, ne respublica sine consulibus scilicet foret, usque ad kalendas ianuarias, quae erant futurae mane postridie, ergo pariter honorem iniit et eieravit. »Ita, inquit Cicero [1], Caninio consule, scito neminem prandisse. Nihil eo consule mali factum est, fuit enim mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non viderit"; et non sine aculeo in Caesarem, qui honores proiiciebat, »solent, inquit [2], esse flamines diales, modo consules diales habemus"; fertur denique Caninio exprobranti quod ad eum consulem salutandum non venisset, dixisse: »veniebam, sed nox me comprehendit."

§ 5. *Nummi.*

I [3]. Caput Veneris; *P*ublius *VATINI*us *P*ublii *F*ilius *CO*n*S*ul.

*Q*uintus *MAX*imus *Q*uinti *F*ilius. Sella curulis supra quam corona, hinc caduceus, inde lauri ramus, inter sellae pedes *S*enatus *C*onsulto.

Goltzius hunc denarium protulit ad annum 709, Vaillant contra eum signatum credit a Q. Fabio Maximo nostro, quum consul erat Vatinius, id est anno 707; caput Veneris in gratiam Caesaris, huiusque victoriam cetera insignia spectare. Fieri potest, ut anno 707 praetor fuerit noster, sed dubitant fueritne cura monetae praetoris munus; cetera vero insignia quo modo Caesaris honores et victorias illustrent non assequor, contra alia longe melius Caesaris laudes significassent, denique ex aliis nummis conflatus esse videtur.

II [4]. Caput Romae galeatum, pone *ROMA*.

*Q*uintus *MAX*imus *Q*uinti *F*ilius *Q*uinti *N*epos; Fabius togatus quadrigis triumphalibus vectus, dextra habenas, sinistro scipionem eburneum, in cuius apice aquila.

---

1) *Ad fam.* VII. 30 § 1; Plut. *Caes.* 58; Dio Cass. XLIII. 46; Macrob. *Sat.* VII. 3. 2) Macrob. *Sat.* VII. 3. 3) Vaill. N°. 18; Mor. XVI. 15. 4) Vaill. N°. 19; Mor. XVI. 16.

Goltzius hunc quoque ad annum 709 protulit, cogitans de Fabio ex Hispania triumphante; potest ad optimum quemque Quintum Quinti filium Quinti nepotem referri.

CAPUT XIX.

PAULUS FABIUS (Q.) F. (Q.) N. MAXIMUS (56).

§ 1. *Consul* 743.

PAULUS FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS [1].
Q. AELIUS Q. F. TUBERO.

Videamus de Paulo Maximo, quem fratrem credo cum Perizonio [2] Quinti illius (57) consulis anno sequenti. Videtur avus illi fuisse Allobrogici filius exheredatus (53), ut alii iam posuerunt; noli tamen ei Paulum patrem tribuere, nam Quintus (55) consularis 709 eum progenuisse videtur. Et sic verum esse potest, quod viri docti suspicantur, eum Paulum esse dictum in memoriam Pauli Aemilii, quo patre naturali abavus eius gavisus erat.

Nec vero Ellendtio [3] assentior, ubi contendit Paulum praenomen haberi non posse, nam Frontinus plura nobis servavit senatus consulta, ex quibus luce clarius apparet nostrum sic esse dictum, quod conficit porro tabula I fratrum Arvalium [4], in quo monumento plura exstant exempla cognominis in praenomen conversi, ut Potitus Valerius Messala et Taurus Statilius Corvus.

De Fabio consule pauca innotuerunt, solus enim Augustus ipse rempublicam gubernabat; iam sibi placebant Quirites in otio tandem fruendo, qui magna delectatione tunc primum viderunt in cavea tigrim mansuefactam, quum Marcelli theatrum dedicaretur hoc anno, ut Pli-

---

[1]) Dio Cass. LIV. 32; Plin. *H. N.* VIII. 17; Front. *Aquaed.* 99, 100, 104, 106, 108, 125, 127; Obseq. 132; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic.
[2]) *Anim. Hist.* 149. [3]) *De cognom. et agnom. Rom.* p. 57. [4]) Marini p. 13. 76.

nius [1] tradit, sed Dio [2] illud retulit ad annum 741. Secundum eundem [3] cadit in hunc annum census, qui anno 746 factus esse videtur, ut docet Monumentum Ancyranum.

Sed haec Fabium non spectant, neque bella quae M. Livius Drusus in Germania trans Rhenum per alterum annum degens gerebat [4], et Tiberius contra Pannonios et Dalmatas, et Piso contra Thraces; denique senatus consulta a Frontino servata, quae aquarum curam spectant, nonnisi Fabium memorant anni causa.

§ 2. *Amicus Augusti, Fautor Ovidii.*

Contra alio nomine innotuit propter Augusti amicitiam, nam nostrum, ni fallor, intelligit Quinctilianus [5], inter exempla dictorum, quae in metalepsin cadunt, afferens illud Fabii Maximi incusantis Augusti congiariorum, quae amicis dabantur, exiguitatem, ea dicens heminaria. Congiarium enim capiebat 6 sextarios, unde nomen traxit donativum principis liberalitate militibus et pauperibus datum. Non addit quidem Quinctilianus Fabii praenomen, sed vix dubito quin Paulus noster intelligendus sit, non vero eius frater Quintus (57). Videtur nempe ille Augusti fuisse amicus, apud quem multum poterat, quod innuit dictum illud, sed praeterea evincit Ovidius, qui quum esset relegatus, ad Maximum misit *epistolas ex Ponto* I. 2, III. 3 et III. 8. Attamen hic quoque praenomen non adscriptum est; paucis defendam necesse est, cur haec eidem tribuam.

In primo carmine libri quarti Horatius cecinit, se non amplius aptum esse amoribus Veneris celebrandis, quippe qui iam quinquagesimum annum ageret; Augustus autem secundum auctorem *vitae Horatii* eum hortatus

---

1) *H. N.* VII. 17. 2) LIV. 26. 3) LIV. 35. 4) Liv. Epit. CXXXVIII; Dio Cass. LIV. 32—35. 5) *I. O.* VI. 3.

erat, ut quartum libellum in honorem privignorum ederet, quam ergo provinciam poëta eleganter mandat [1] Paulo Maximo,

»Namque et nobilis et decens
»Et pro sollicitis non tacitus reis,
»Et centum puer artium,
»Late signa feret militiae tuae."

Maximum illum fuisse Fabium Porphyrio solus annotat, quod collegit commentator iste ex ipso loco; certarunt tamen viri docti, utrum idem ille Paulus Fabius consul 743 intelligendus sit, an filius eius. Equidem facile crediderim eum ipsum sibi voluisse poëtam, qui anno 739, ergo 4 annis ante consulatum nostri, sic potuit canere, nec isto tempore consules sua tandem aetate ad hoc munus perveniebant. Gravissimum autem argumentum contra hanc opinionem cecidit [2], nam quod Ovidius ad Fabium scripsisse credebatur [3]:

»Tibi in cunis oscula prima dedi."

Maximum, Cottam nempe, spectat, ut recte ostendit Haakhius.

Docet illo loco Horatius Paulum illum Maximum apud Augustum pro reis intercedere solere, hanc ob causam eo magis nostrum intelligo, ad quem Ovidius epistolas suas scripsit, quod prorsus idem Naso mutatis verbis decantaverit de Maximo suo [4]:

»At tua supplicibus domus est assueta iuvandis;"

tum flebiliter admodum quod eum deprecatus sit relegatus poëta vergente quarta hieme, ut pro amico intercederet apud principem [5]:

»Vox, precor, Augustas pro me tua molliat aures,
»Auxilio trepidis quae solet esse reis."

---

1) *Od.* IV. I. 13—16. 2) Masson, *Vita Ovid.* 216, *Vita Hor.* 328. 3) *Ex Ponto* II. 3. 72. 4) *Ex Ponto* III. 3. 107. 5) *Ex Ponto* I. 2. 117, 118.

Ex quibus locis abunde patet Maximum tum apud Augustum multum potuisse tum Ovidii fuisse fautorem, subiicit enim [1]:

»Ille ego sum, qui te colui; quem festa solebat
»Inter convivas mensa videre tuos.
»Ille ego, qui dixi vestros Hymenaeon ad ignes,
»Et cecini fausto carmina digna toro."

Ovidium autem sibi voluisse Fabium ex nobilissima nostra gente abunde conficit illud [2]:

»Qui nasci ut posses, quamvis cecidere trecenti,
»Non omnes Fabios abstulit una dies."

Huiuscemodi indiciis facile demonstrari potest hanc epistolam ad Fabium esse datam, etiamsi titulus »Maximo" rem non conficiat, nam ad Cottam nempe Maximum scripta esse videtur epistola 5 Libri I, ut Haakhius collegit [3], et Libri I epistola 9 [4], nisi forte Maximi frater ille fuerit Q. Fabius (57) consul anni sequentis, et Libri II epistola 3 ad Maximum longe iuniorem [5]. Contra res incerta est de epistola 8 Libri III, Haakhius credit illud propter v. 7. Videtur porro Ovidius laudem litterariam Fabii Maximi nostri innuere, ubi [6] se eum esse dicit,

»Cui tua nonnumquam miranti scripta legebas;"

contra ex adulatione fluxisse videtur hoc [7]:

»Suscipe, Romanae *facundia*, Maxime, linguae,
»Difficilis causae mite patrocinium;"

necnon illud [8]:

»Assuetaque tibi *doctae dulcedine linguae*
»Aequandi Superis pectora flecte viri;"

et prorsus eodem modo intelligendum est alterum illud summi inimici dictum, quod Seneca [9] servavit; hic nempe nobis auctor est Fabium Maximum nobilissimum hominem

---

1) *Ex Ponto* I. 2. 131—134. 2) *Ex Ponto* I. 2. 3, 4. 3) Propter v. 37, cf. IV. 16. 42. 4) Propter v. 29, cf. I. 7. 31 et 60. 5) Propter v. 75, cf. II. 2. 99, III. 5. 7. 6) *Ex Ponto* I. 2. 137. 7) *Ex Ponto* I. 2. 69, 70. 8) *Ex Ponto* I. 2. 119, 120. 9) *Contr.* 12.

fuisse, qui primus foro Romano intulit vomicum illum morbum, quo aetate Senecae laborabat, de quo Severus Cassius, antequam ab illo reus ageretur, dixerat: »Quasi *disertus* es, quasi formosus es, quasi dives es, unum tantum non es quasi, vappa." Intelligo eundem nostrum Fabium, nam eodem hoc tempore vixit adversarius iste.

§ 3. *Mors* 767.

Constat denique Fabii Augustique amicitia ex eo, quod eius mortem praecessit. Princeps Agrippam unicum nepotem suum ex Iulia in insulam Planasiam relegaverat, ad quem visendum quum paulo ante suam mortem se conferret, Fabius solus eum comitatus est. Nostrum intelligo Maximum, etiamsi Tacitus [1] nomen reticuit, sed Seneca [2] eandem rem narrans Paulum Fabium Maximum nominat, dummodo locus ille sanus est, tum Tacitus eius uxorem memorat Marciam, eandem, opinor, de qua Ovidius cecinerat [3]. Marcia illa, ut anni docent, filia fuisse videtur L. Marcii Philippi praetoris anno 710. Hinc intelligimus cur ad Fabii uxorem quoque provocaverit poëta, erat enim affinitate quadam principi iuncta, nam privignus Augusti L. Marcius Philippus cons. 697 avus fuit Marciae nostrae [4].

Fabius uxori aperuit quod in Planasia viderat, multas nempe utrimque lacrimas fuisse et signa caritatis, atque spem fore, ut Agrippa penatibus avi redderetur. Sed ut fieri solet, mulieres garrulitate laborant, atque Marcia arcana ista non sibi reservavit verum cum Livia Augusti uxore communicavit, et sic ipse princeps proditionis certior factus est, qui valde metuebat, ne ista res divulgaretur, ac palam postularent ut Agrippam revocaret, et sic turbae nascerentur. Denique non multo post Fabius

---

1) *Ann.* I. 5. 2) *De clem.* I. 9. 3) *Ex Ponto* I. 2. 142. 4) Ovid. *Fast.* VI. 801—810.

exstinctus adeo tempore obiit, ut dubitaretur, an quaesita mors fuerit; Marcia saltem in funere audita est, semet incusans, quod ipsa exitii marito causa fuisset; Plinius [1] idem illud innuit, ubi Augusti enarrat adversae fortunae documenta; Plutarchus [2] contra tradit eum voluntaria morte quum interire vellet, uxorem arripuisse gladium et sic ante maritum occubuisse; equidem Tacito plus tribuo, non quod apud Plutarchum pro Fabio legamus Φούλβιον, nam hoc librariis debemus, verum quod Marciae gemitus in mariti funere huic famae obstet.

Quidquid est, Ovidius, quum quinquennis Olympias exsilii acta est, flebiliter de huius fautoris Augustique amici morte cecinit [3]:

»Certus eras pro me, Fabiae lux, Maxime, gentis,
»Numen ad Augustum supplice voce loqui.
»Occidis ante preces, causamque ego, Maxime, mortis,
»Nec fueram tanti, me reor esse tuae."

§ 4. *Nummi.*

I [4]. Vultus iuvenilis Augusti Caesaris; ΦΑΒΙΟΣ Ο ΜΑΞΙΜΟΣ.

ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ ΤΡΥΦΩΝ, sine typo.

Aureum huncce Vaillantius retulit ad nostrum aut ad Quintum fratrem (57), atqui Asiae aut Syriae proconsul fuit, nam Hierapolis reperitur in Phoenicia et in Phrygia. At Eckhel [5] hunc iudicavit suspectum, quoniam unicum est exemplum magistratus tantum in utraque superficie inscripti, quam ob causam de proconsulatu eius supersedere placuit.

II [6]. Caput Apollinis radiatum.

Luna bicornis inter quinque triones, in media *EX Senatus Consulto*; *PAULUS FABIus MAXIMus.*

---

1) *H. N.* VII. 45. 2) *De garrul.* 11. 3) *Ex Ponto* IV. 6. 9.
4) Mor. tab. III. 1. 5) III. 156. 6) Vaill. N°. 20; Mor. XVI. 17.

Goltzius hunc denarium vulgavit ad nostri consulatum; quod vero Vaillant perhibet Augusti temporibus nonnisi principis effigiem signari, refellit Morellius; hinc ille de ludis Apollinaribus cogitabat, ex senatus consulto celebratis, a praetore ergo eum signatum credebat; at Morellius contendit illud consulem facere potuisse, quae pecunia in usum illorum ludorum cusa est.

CAPUT XX.

QUINTUS FABIUS (Q.) F. (Q.) N. MAXIMUS AFRICANUS (57).

§ 1. *Consul* 744.

Q. FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS AFRICANUS [1].
IULIUS ANTONIUS M. F. M. N.

Q. Fabius Maximus hicce a Suetonio, ubi narrat hoc anno Lugduni natum esse Tiberium Claudium Drusi filium, dicitur Africanus, apud Cassiodorum contra et Anonymum Norisii et Fastos Siculos audit Africanus Fabii collega, attamen dubium sustulit nummus bene explicatus, de quo statim dicam.

Perparum abfuit, quin hoc anno [2] Iani templum clauderetur, sed congelato Istro in Pannoniam Daci traiecerunt, hi igitur iam subigendi erant, quod Tiberius fecit, dum Drusus Celtorum Chattorumque agros vastavit.

§ 2. *Nummus.*

Vulgavit Eckhel [3] nummum, in quo cernitur Caput Augusti ut videtur nudum, *APR. FA. PROCOS. VIIV*ir *EPUL*o.

Protome capite velato barbato, quod pileo peregrinae formae integitur, *HADRUM*etum.

Haakhius probabili coniectura hunc nummum ad Fabium nostrum retulit, cuius aetatem innuit Augusti caput, praeterea credidit non *APR.* in eo esse cusum sed

---

1) Dio Cass. LIV. 36; Suet. *Claud.* 2; Cassiod.; An. Nor.; Fast. Sic.
2) Dio Cass. LIV. 36; Liv. Epit. CXXXIX; Flor. IV. 12 § 26. 3) IV. 134.

AFR., ita ut *FA*bius Africanus noster intelligatur, quae etiamsi non certa sunt, veri speciem prae se ferunt. Fieri potest, ut ex hoc denario sequatur Fabium nostrum Africam tenuisse pro consule, et sic denique explicari posset agnominis origo. VIIviratus, quem nummus testatur, nunc nos non morabitur.

CAPUT XXI.

[FABIA], UXOR P. OVIDII NASONIS.

§ 1. *Genealogia.*

Ultima e Fabiis, de qua ut dicam superest, creditur fuisse tertia Nasonis uxor propter huius unicum versum [1]:

»Ille ego, de vestra cui data nupta domo."

Scripsit hoc ad Fabium Maximum, inquiunt, atqui Ovidius uxorem duxit Fabiam, quae tertia sustinuit coniux esse eius etiamsi exsulis [2]. At mihi nondum persuasum est rem ita sese habuisse, nam si tertia illa Ovidii uxor Fabia fuit, soror fuerit necesse est Pauli et Quinti (56, 57), ut docet stemma; quod si est, mirari satis non possum, quod Ovidius in epistolis ad Maximum [3] et ad uxorem [4] suam nullam fecerit mentionem huius affinitatis arctissimae, quod ni fallor, haud spernendum argumentum arripuisset ad Maximum deprecandum, ut pro amico non tantum sed pro sororis suae coniunctissimae marito intercederet; procul dubio suum locum obtinuisset in exsulis querelis hoc affinitatis testimonium, et decantasset uxorem suam fidelissimam ex nobilissima gente esse natam, ut nunc de Maximo fecit, nam cadit illud omnino in vanitatem poëtae, qualis Naso fuit; nunc vero vel nomen uxoris reticuit, quod hercle non erat, cur faceret, si ex Tirynthia prole originem duxisset.

---

1) *Ex Ponto* I. 2. 138. 2) *Trist.* IV. 10. 74. 3) *Ex Ponto* I. 2, III. 3 et 8. 4) *Ex Ponto* I. 4, III. 1.

Quas ob causas iam Lipsius [1] haud iniuria mihi dubitasse videtur, an ex Marcia forte domo Ovidii uxor nata esset, quam explicationem nexus sinit. Contra Massonus [2] opinatur, sed ut vere dicam nullo allato argumento atque nondum sublata difficultate; nec aliter quicunque de hac Nasonis uxore egerint, qui nondum in suam sententiam me detraxerunt, nam rem non conficit quod afferunt [3]:

»Hoc domui debes, de qua censeris, ut illam
»Non magis officiis, quam probitate, colas.
»Cuncta licet facias, nisi sis laudabilis, uxor,
»Non poterit credi Marcia culta tibi."

Ut vere dicam perobscura est nostra de muliere ista notitia, et iam plura collegerunt viri docti ex paucis istis locis, unde scimus tantum eam Virgilio [4] fuisse »non alienam", eique Rufum Fundanum [5] esse »quod Hermiones Castor fuit, Hector Iüli", i. e. avunculum, necnon Marciam [6] illi amicitia coniunctam fuisse, nam

»Hanc probat, et primo dilectam semper ab aevo
»Est inter comites Marcia censa suas.
»Inque suis habuit matertera Caesaris ante,"

Attia nempe, quarum consuetudo aliquantisper innuit affinitatem, sed libenter concedo rem adhuc sub iudice esse.

Denique recte mihi videtur demonstratum esse [7] Ovidii filiam [8], quae »bis, sed non ex uno coniuge fecit avum" Nasonem, ex primis vel secundis nuptiis esse natam non vero ex tertia Fabia scilicet, quam ob causam missa illa hic tandem subsistendi locus est.

---

1) *Ad Tac. A.* I. 3. 2) *Vita Ovid.* 61. 3) *Ex Ponto* III. 1. 75—78. 4) *Ex Ponto* II. 10. 10. 5) *Ex Ponto* II. 11. 15. 6) *Ex Ponto* I. 2. 139. 7) V. Loers, *de Ovid. filia* in *Rhein. Mus.* I. 125—134. 8) *Trist.* IV. 10. 76.

CONSPECTUS DISPUTATIONIS.

INTRODUCTIO.

LIBER I.

Fabii Vibulani.

LIBER II.

Fabii Ambusti.

LIBER III.

Fabii Dorsones.

LIBER IV.

Fabii Licini.

LIBER V.

Fabii Pictores.

LIBER VI.

Fabii Buteones.

LIBER VII.

Fabii Maximi.

(4). N. Otacilius Maleve

(5). × Otacilia.
,305.

(6). + Q. Fabius Vibulan
21. c. 331. t. 338, 340.

(9). + N. Fabius Ambu
65. t. 348. l. 363. t

. M. Fabius Ambu
c. 394, 398, 400. i. 398, 40

. Q. Fabius Maxim × L. Licinius. + Q. Fabius Ambustus (21).
aed. 423. m. 429. c. 432, 4 t. 390. m. 410. d. 433.

Q. Fabius Maximus
aed. 459. c. 462, 478, 489.

8). Q. Fabius Maxim
aed. 487.

. Q. Fabius Maximu mininus.
c. 521, 526, 539, 540, 54

Q. Fabius Maxim
aed. 539. pr. 540. c. 541.

+ Q. Fabius Maximu
1. aug. 551—558. †

. Q. Fabius Maximu
l. 600. pr. 6

× Q. Fabius Maxim
q. 620. pr.

a (52). + Q. Fabius M
exheredat

opus. Q. Fabius Maxi
c. 709.

× Paul. Fabius Ma
c. 743. †

(4). N. Otacilius Maleven

5). × Otacilia.
305.

6). + Q. Fabius Vibulan
21. c. 331. t. 338, 340.

9). + N. Fabius Ambu
65. t. 348. l. 363. t

M. Fabius Ambu
c. 394, 398, 400. i. 398, 40

Q. Fabius Maxim × L. Licinius. + Q. Fabius Ambustus (21).
aed. 423. m. 429. c. 432, 4 t. 390. m. 410. d. 433.

Q. Fabius Maximus
aed. 459. c. 462, 478, 489.

3). Q. Fabius Maxim
aed. 487.

Q. Fabius Maximu mininus.
c. 521, 526, 539, 540, 54

Q. Fabius Maxim
aed. 539. pr. 540. c. 541.

+ Q. Fabius Maximu
1. aug. 551—558. †

Q. Fabius Maximu
l. 600. pr. 6

× Q. Fabius Maximu
q. 620. pr.

a (52). + Q. Fabius M
exheredat

pus. Q. Fabius Maxi
c. 709.

× Paul. Fabius Ma
c. 743. †

THESES.

I.

Nescimus quinam Fabius memoretur in fragmento Polybii apud Suidam v. πρᾶξις· Μετὰ τῶν ἐν τῇ πατρίδι φίλων τρίτην πρᾶξιν κατασκευασαμένου καὶ προσενεγκόντος τῷ Φαβίῳ τὸν λόγον.

II.

Quae Livius XXX. 24, 25 tradit de legatione L. Fabii Carthaginem anno 551, ex Polybio XV. 1, 2 hausisse videtur.

III.

Studium partium non alienum fuisse videtur a nece, qua C. Fabius Hadrianus, praetor Africae anno 672, succubuit in praetorio Uticae vivus exustus; eidem causae tribuerim, quod nulla quaestio de isto flagitio habita sit; Liv. Epit. LXXXIV, LXXXVI; Cic. *Verr.* II. I. 27 § 70, v. 36 § 94, ibique Ps. Ascon. p. 179; Val. Max. IX. 10. 2; Oros. V. 20; Diod. Sic. XXXVIII. 14, p. 189 T.

IV.

As apud Riccio tab. XIX.9 signatus est post legem Papiriam, ab eodem C. Fabio, qui cudit denarios N°. 21 apud Vaillant, N°. D. apud Morellium, apud Riccio tab. XIX. 8; numismatici perperam C. Fabio C. f. Pictori (26) tribuebant hos nummos, quorum auctor fuisse videtur C. Fabius Hadrianus.

V.

M. Fabius Hadrianus Luculli legatus, qui militavit bello Mithridatico (683—686), filius aut frater C. Fabii Hadriani esse potuit; Dio Cass. XXXVI. 11, 12 [XXXV. 9, 10]; App. *Mithr.* 88; Plut. *Luc.* 17, 35; Oros. V. 20.

VI.

Q. Fabius Saguntinus, quem Q. Metellus Pius (675—683) civem Romanum fecit, Cic. *pro Balbo* 22 § 50, descendit ex uno alterove liberto Q. Fabii Maximi Aemiliani (48) consulis Hispaniae 609, aut Serviliani (49) consulis Hispaniae 612, aut Allobrogici (50) praetoris Hispaniae 631. Eadem ratio est in M. Fabio M. f. Maximo Saguntino et aliis, qui occurrunt in inscriptionibus Sagunti erutis; Grüt. *C. I.* p. CCCXVII. n°. 9, CCCXXIV. n°. 6, CCCCVII. n°. 6, DCCCLXX. n°. 12, DCCCCLXXV. n°. 3.

VII.

L. Fabius L. f. Hispaniensis obvius in denariis (apud Vaillant N°. 4, apud Morellium N°. VIII, apud Riccio tab. XIX. 11), quaestor C. Annii proconsulis adversus Sertorium missi, post Annii cladem videtur ad Sertorium transiisse et huius morti adfuisse, non eius filius; Sall. *Hist.* III. 17, p. 225 Gerl., apud Serv. *ad Aen.* I. 698.

VIII.

Fabius, unde petebatur in M. Tullii causa, Cic. *pro Tullio* pass., miles gregarius Sullanus et postea arator ac pecuarius non ad gentem nostram pertinuit, quod annuit vel nomen eius *Publius*, etiamsi idem ille in codicibus et editionibus *Quintus* quoque audiat.

IX.

Fabius Luscus Ciceronis amicus Firmanus fuisse videtur, nec vero ad nostram gentem pertinuisse; Cic. *ad Att.* IV. 8 B. § 3, 4.

X.

Q. Tullius Cicero in epistola C. Fabio data, quam affert M. Tullius *ad Quint. fratr.* I. 2. 2 § 6, annuit necem C. Fabii Hadriani; nec crediderim illum fuisse eum Fabium, qui Q. Tullio Asiae praetori successit.

XI.

Apud Ciceronem *ad Quint. fratr.* I. 2. 2 § 6: »Hae »litterae abs te per iocum missae *ad C. Fabium*", videntur tria ultima vocabula ex margine irrepsisse repetita ex praecedentibus.

XII.

Quod Orellius *Onomast. Tull.* p. 245 Fabium, de quo Cicero *ad Att.* II. 1 § 5, Clodiae dixerit adulterum, colligi nequit ex unico illo huius rei testimonio.

XIII.

Fabia Vestalis, soror Terentiae Ciceronis uxoris, quam Catilina adolescens stuprasse arguebatur, culpa vacasse videtur; Sall. *Cat.* 15; Asc. *ad Cic. in tog. cand.* p. 93; Oros. VI. 3.

XIV.

Plutarchus in *vita Caton. min.* 19 miscuit Catilinam anno 688 ex Africa praetorem reducem a P. Clodio de repetundis in ius vocatum eundemque anno 683 incesti accusatum a nescio quo.

XV.

Nimium sibi sumunt, qui ex Ciceronis verbis *ad fam.* XIV. 2 § 2 de Terentia sua »maximo cum fletu legi, »quemadmodum *a Vestae* ad tabulam Valeriam ducta »esses", colligunt Terentiae sororem Fabiam Vestalem adhuc in vivis fuisse.

XVI.

Non faciendum videtur cum Brücknero; qui *Leben des M. Tull. Cic.* I. 185 suspicatur Ciceronem patronum adfuisse uxoris sorori Fabiae, quum incesti esset accusata.

XVII.

Non sine ambiguitate scripsit Orellius *Onomast. Tull.* p. 199: »L. Cornificius Milonem iterum accusavit de vi", nam quum Cornificius petebat Milonem, apud L. Fabium quarto in ius vocabatur, quae fuit altera accusatio de vi.

XVIII.

Improbanda est ratio, ex qua Nipperdey in edendis Caesaris commentariis eundem C. Fabium codices presse secutus *Gaium* dixerit, verum contra codices *Caium* in *B. G.* VIII. 24, 27, 54, *B. C.* I. 37, 40, 48.

XIX.

Non pugnant inter se quae Caesar *B. C.* I. 40, Dio Cassius XLI. 20 et Appianus *B. C.* II. 42, 43 tradunt de clade, qua Petronius affecit duas Fabianas legiones, quae sub L. Planco Sicorim pabulatum transierant, quas C. Fabius subsidio misso servavit.

XX.

C. Fabius Caesaris legatus intelligendus videtur apud Ciceronem *ad Att.* VII. 3 § 3 necnon VIII. 3 § 7, ergo hoc loco non legendum est *Fadium*, quod Orellius proponit, cogitans de M. Fadio Gallo, *Onom. Tull.* 245 et 249.

XXI.

Q. Fabius Vergilianus, qui occurrit apud Ciceronem *ad fam.* III. 3 § 1, 4 § 1 non videtur intelligendus esse in epistola *ad Att.* VIII. 11 A.

XXII.

Ignoramus quinam Fabius fuerit Pompeii ille centurio, qui cum Fausto Sullae filio et Furio primus Hierosolymorum murum adscendit (691); Ioseph. *Ant. Iud.* XIV. 4. 4, *Bel. Iud.* I. 7. 4.

XXIII.

Verba Iosephi *Bell. Iud.* I. 12. 1: Ἡρώδης δὲ ἔτυχε μὲν ὢν παρὰ Φαβίῳ τῷ στρατηγῷ κατὰ Δαμασκόν male versa sunt in edit. Didot.: »Erat autem Herodes quidem »Damasci, apud Fabium *ducem*;" *praefectus* Damasci erat Fabius ille, et Antigonum Aristobuli filium regnum Iudaeae affectantem adiuvit, quo anno ad Philippos pugnatum est, ergo 712, non *sub Claudio*, ut Haakhius dedit; Ioseph. *Ant. Iud.* XIV. 11. 7, 12. 1, *Bell. Iud.* I. 12. 2.

XXIV.

Eundem Fabium intelligo apud Horatium *Sat.* I. 1. 14 quem ibidem 2. 134, equitem illum Narbonensem Stoïcum, verum subdubito fueritne ille Maximus cognominatus, quod apud Porphyrionem tantum legitur.

XXV.

Cum Estré, *Prosopogr. Horat.* p. 198, nego Fabium illum, apud Horatium *Sat.* I. 2. 134, fuisse iurisconsultum, et cum Haupt in *Rhein. Mus.* 1843, p. 147, nego eum adulterum fuisse, quae commentatores ex loci nexu non recte intellecto collegerant.

XXVI.

In Acronis scholio *ad Horatium Sat.* I. 1. 14 »Fuit »Fabius eques Romanus Narbonensis, qui *aliquos* libros »pertinentes ad Stoïcam philosophiam conscripsit," rescribendum est *aliquot;* idem vitium tollendum est ex Porphyrionis scholio ad hunc locum.

XXVII.

Non opus est, ut Fabium Vestalem, de quo Plinius *H. N.* VII. 60, illius aequalem fuisse ponamus.

XXVIII.

Fabius, qui praetor dum erat, ex lactis haustu uno pilo strangulatus esse fertur a Plinio *H. N.* VII. 7, non Plinii aequalis fuerit necesse est; intelligi potest N. Fabius Buteo (45), qui praetor Hispaniae obiit Massiliae 581, cf. supra p. 233.

XXIX.

Recte Düntzer demonstravit in *Rhein. Mus.* 1848, p. 283—294 Dosennum, quem laudant Horatius *Ep.* II. 1. 173, Plinius *H. N.* XIV. 13 et Seneca *Ep.* 89, *poëtam* fuisse non vero personam ex Atellanis, ut C. O. Müller posuerat; contra nondum constare contendo, fueritne Dosennus ille *Fabius*, quod propter Dorsonis cognomen extra dubium posuit ille.

XXX.

Fabius et Fabia, nomen fictitium apud Iurisconsultos quod dicitur, apud Ciceronem *de fato* 6 § 11, 12 et *top.* 3 § 14 sic occurrit, sed Orellius et Bähr falluntur tertium huius rei exemplum afferentes ex Cicerone *de div.* II. 17 § 34; quo loco Verrucosus (33) intelligitur imo designatur, qui stupidis serioris temporis auguribus opponitur peritissimus augur, quo titulo Cato quoque apud Cic. *Cato* 4 § 12 eum laudat.

XXXI.

Fallitur Heineccius, *Synt. Antiq. Rom.* lib. IV. tit. 18 § 78, p. 802 ed. Mühlenbr., scribens: »Per eadem tem»pora (inter 634 et *686*) lex Fabia *promulgata* de numero

»sectatorum a populo *antiquata* est"; ex unico de hac lege testimonio apud Ciceronem *pro Mur.* 34 § 70, 71 apparet anno *691* hanc legem *valuisse*, cui Murenae sectatores *restiterunt*, id est: legem contemnentes prae sectandi officio Murenam assectati sunt.

XXXII.

Legem Fabiam, »quae erat de numero sectatorum", cavisse de omni petitorum comitatu, saltem de nomenclatoribus, ut suspicatur Rein in Pauly's *Encycl.* V. 680, non credo.

XXXIII.

Dubio non vacat quod Plutarchus tradit in *vita Cat. min.* 8 solum Catonem legem contra nomenclatores observasse, quum tribunatum militum petebat.

XXXIV.

Quinam e Fabiis tulerit legem Fabiam de plagiariis ignoramus, sed absurde olim credebatur sub regibus eam esse latam, et nullo nititur fundamento Gravinae opinio de Q. Fabio Labeone (41) cogitante; Cic. *pro C. Rab.* 3 § 8; Iust. *Inst.* IV. 18 § 10; Dig. de lege Fabia de plag. (XLVIII. 15); Cod. Theod. eodem (IX. 18); Cod. Iust. eodem (IX. 20); Pauli *Sent.* V. 30 b.

XXXV.

Recipienda est omnino Pithoei emendatio in Pauli *Sent.* V. 30 b. *ad legem Fabiam* § 1 »et olim quidem huius »legis poena *nummaria* fuit", pro corrupto *summaria*, quam poenam pecuniariam dixit Hermogenianus l. 7. D. h. t.

XXXVI.

Apud Plutarchum in *vita Fab. Max.* 1: Ἐπὶ τὸν Φάβιον τὴν ἱστορίαν μεταγάγωμεν. Νυμφῶν μιᾶς λέγουσιν, οἱ

δὲ γυναικὸς ἐπιχωρίας, Ἡρακλεῖ μιγεἴσης γενέσθαι Φάβιον, ex constanti huius scriptoris usu requiritur *οἰμέν*, quae videtur absorpsisse terminatio praecedentis μεταγάγω*μεν*.

XXXVII.

Dionysius Halicarnassensis *A. R.* VIII. 89: Τοῦ κόπου παραλύοντος τὰ νεῦρα καὶ τὰς πληγὰς ἀσθενεῖς ποιοῦντος, ἱδρῶτος, δὲ καὶ δίψης καὶ ἄσθματος, οἷα ἐν *πνίγει ὥρᾳ ἔτους* τοῖς πολὺν χρόνον ἀγωνιζομένοις συμπίπτειν Φιλεῖ, vocabulum πνίγει non explicuit per ὥρᾳ ἔτους.

XXXVIII.

Apud Polybium I. 21 § 3: Τὰς ναῦς καθελκύσαντες καὶ βραχὺν χρόνον ἐπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας *ἐν θαλάττῃ* πειραθέντες ἔπλεον, tollatur otiosum interpretamentum ἐν θαλάττῃ.

XXXIX.

In choro apud Aeschylum *Pers.* 532:

ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, νῦν * Περσῶν,

longa syllaba, quem metrum requirit, excidisse videtur voc. δή.

XL.

In Euripidis *Rhes.* 676:

θένε, θένε· τίς ἀνήρ;

sensus postulat, ut addito articulo legamus *ἁνήρ*.

XLI.

Tolli potest et debet versus dactylicus hypermeter apud Horatium *Sat.* I. 6. 102:

» (Nam mihi foret)... ducendus et unus
» Et comes alter, uti ne solus *rusve peregreve*
» Exirem."

legendo:

» Et comes alter, uti ne solus *rus peregreve* cet."

XLII.

Apud Livium V. 51: »Et quum victoribus Gallis, capta »tota Urbe, Capitolium tamen atque arcem diique et ho»mines Romani *tenuerint*, *habitaverint*, victoribus Ro»manis, recuperata Urbe, arx quoque et Capitolium dese»retur?" ad vocabulum *tenuerint* explicandum male irrepsit *habitaverint*.

XLIII.

Apud eundem IX. 36: »Usque ad Camertes Umbros »penetrasse dicuntur. Ibi, *qui* essent, fateri Romanum »ausum, introductumque in senatum consulis verbis egisse »de societate", legendum coniicio: »*quum* essent."

XLIV.

Apud eundem X. 46: »Aeris gravis tulit in aerarium »trecenta octoginta millia: *de reliquo aere* aedem Fortunae »*de manubiis* faciendam locavit, et militibus *ex praeda* »centenos binos asses... divisit", abundat alterutrum, suspicor expungendum esse *de reliquo aere*.

XLV.

Apud eundem XXIV. 34: »Postremo, ut sui vulnere »intacti tela in hostem ingererent, murum ab imo ad »summum crebris cubitalibus fere *cavis* aperuit, per quae »*cava* pars sagittis, pars scorpionibus ex occulto pete»bant hostem", non opus est ut relativo illi *quae* suppleatur *cava*.

XLVI.

Apud eundem XXX. 41: »Cornelio consuli quinqua»ginta navium classis ex duabus classibus, Cn. Octavii, »quae in Africa *esset*, P. Villii, quae Siciliae oram tue»batur, decreta", excidit coniunctio *et* a praecedenti *esset* absorpta.

XLVII.

Apud Ciceronem *de finibus* I. 11 § 39: »Athenis statua »est Chrysippi sedentis, porrecta *manu*, quae *manus* »significet, illum in hac esse rogatiuncula delectatum: »num quidnam manus tua sic affecta desiderat?" sufficit pronomen *quae* expuncto *manus*.

XLVIII.

Apud eundem *Tusc.* I. 43 § 102: »De qua Socrates »quidem quid senserit, apparet in eo libro, in quo mori»tur: de quo *iam tam* multa diximus", ex dittographia natum videtur illud *tam*.

XLIX.

Ibidem V. 2 § 5: »Vitiorum peccatorumque omnis a phi»losophia petenda correctio est. Cuius in sinum quum a »primis temporibus aetatis nostra voluntas studiumque nos »compulisset, his gravissimis casibus in eundem portum, »ex quo eramus egressi, magna iactati tempestate confu»gimus. O vitae *philosophia* dux! o virtutis indagatrix, »expultrixque vitiorum!" tollendum est vocabulum *philosophia* e margine in alienum locum intrusum.

L.

Apud eundem *de offic.* II. 7 § 23: »Omnium autem »rerum nec aptius est quidquam ad opes *tuendas ac* »*tenendas*, quam diligi, nec alienius quam timeri", videtur expungendum *ac tenendas* ex dittographia natum.

LI.

Apud eundem *pro Sex. Rosc.* 9 § 26: »Ac primo »rem differre coeperunt,... postremo insidias vitae *hu*»*iusce Sex. Roscii* parare", magistellus recte explicuit *huiusce* adscribendo nomen *Sex. Roscii*, quod illi reddendum est.

LII.

Ibidem 28 § 76: »Arcessivit aliquem. At quando? »Nuntium misit. Quem aut ad quem", recipienda est altera lectio: »Arcessivit ali*quem. Quem aut* quando? »Nuntium misit. Quem aut ad quem."

LIII.

Ibidem 45 § 130: »Ego quaero quare aliquanto post »eam diem venierint, quae *dies* in lege praefinita est", suspectum est otiosum illud *dies.*

LIV.

Apud eundem *pro Balbo* 11 § 28: »Neque enim sine »causa de *Cn. Publicio Menandro*, quem apud maiores »legati nostri in Graeciam proficiscentes interpretem secum »habere voluerunt, ad populum latum ut *is Publicius*, »si domum revenisset et inde Romam rediisset, ne minus »civis esset", expunge *Publicius*, quod nomen lector nimis benevolus adscripsit.

LV.

Apud eundem *in Pisonem* VII § 16: »A me quidem »etiam poenas expetistis, quibus coniuratorum *manes* »*mortuorum* expiaretis", minus recte Orellius in textum recepit glossema *mortuorum.*

LVI.

Apud Velleium II. 114 § 2: »Erat desiderantibus *para-* »*tum iunctum* vehiculum", abundare videtur *iunctum.*

LVII.

Plinius *Epist.* II. 11 § 10: »Dilata res est in proximum »senatum, cuius ipse conspectus augustissimus fuit. Prin- »ceps praesidebat, *erat enim consul;*" ad amicum aequalem scribens non addidisse videtur causam cur Traianus praesideret.

LVIII.

Ibidem IV. 12 § 2: »Cum in provinciam quaestor exisset »scribamque, qui *sorte* obtigerat, amisisset", revocandum suspicor: »sorte *ei*."

LIX.

Ibidem IV. 24 § 1: »Proxime quum *apud centumviros* »*in quadruplici iudicio* dixissem, subiit recordatio egisse »me iuvenem aeque in quadruplici", carere possumus additamento *in quadruplici iudicio.*

LX.

Ibidem V. 6 § 39: »Non secus ibi quam *in nemore* iaceas, »imbrem tantum *tamquam in nemore* non sentias", expungenda videtur otiosa repetitio: *tamquam in nemore.*

LXI.

Categoriae, quae dicuntur, quas Kantius distinxit, improbandae sunt.

LXII.

Non assentiendum Beckio, *Encycl. der Theoret. Philos.* § 38 in nota sic scribenti: »Wer die Mehrheit und den »Streit der philosophischen Systeme für ein Uebel hält, »der musz auch die *Mehrheit der Sprache*, dieses bunte »Kleid, das der Geist in schöpferischer Fülle für seine »Vorstellungen webt, ferner die verschiedenen Entwicke- »lungsmomente und Darstellungen, in denen die Eine »Kraft zur Erscheinung kommt, für ein Uebel halten."